




NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 06825949 2


The
New York Public Library
Purchased from funds
granted by the
Carnegie Corporation
of New York

HYMNODIA
HISPANICA

HYMNODIA
HISPANICA

AD CANTUS, LATINITATIS, METRIQUE LEGES

REVOCATA; ET AUCTA.

PRAEMITTITUR DISSERTATIO

DE HYMNIS ECCLESIASTICIS

EORUMQUE CORRECTIONE, ATQUE OPTIMA CONSTITUTIONE.

ACCEDIT APPENDIX

I. DE FESTO CONVERSIONIS GOTHORUM INSTITUENDO. II BREVIARII QUIGNONIANI FATA. III. CENSURA HYMNORUM SANTOLII VICTORINI.

Ad Illustrissimum, & Reverendissimum

CLERUM HISPANUM.

AUCTORE FAUSTINO AREVALO.




ROMAE

E TYPOGRAPHIA SALOMONIANA

AD DIVI IGNATII.

CIↃIↃCCLXXXVI.





ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO

CLERO HISPANO

FAUSTINUS AREVALUS S.

Quamquam in vestro ordine multi sunt virtute, dignitate, sapientia, et generis splendore praestantes, quorum singulorum nomen si huic operi praefixum conspiceretur, maximi honoris loco ponerem, malui tamen meum qualemcumque laborem vestro universo coetui, ad quem jure, meritoque spectat,

offerre, quam videri, unum aliquem singillatim compellans, gratiam solum, et patrocinium aucupari voluisse. Nam cum mihi propositum fuerit, divini cultus decori, ac dignitati pro virili parte consulere, in eamque rem Hymnorum Officii proprii Hispanici emendationem persuadere, quae perfici plurimorum e Clero consensione potest, sine ea non debet, consentaneum, immo necessarium esse duxi, susceptum consilium, conatusque meos non tam vestro nomini consecrare, quam judicio, prudentiaeque committere. Nec dubito, quin plerique Ecclesiastici Hispani pro ea, qua pollent, religione, et pietate libentissime hanc cogitationem, et curam sint amplexuri; pro certoque habeo, omnes facile in eandem sententiam esse concessuros, si praeclara Majorum in hoc genere exempla memoria repetere, et vestigia persequi voluerint. Arroganter fortasse aliquis a me dictum putet, verissime tamen sum dicturus, nullam esse provinciam, nullum regnum, in quo ampliora, quam in Hispania, sacrae antiquitatis monumenta de Officio ecclesiastico ordinando, augendo, instaurando conserventur. Nihil autem proferam de primaeva in Hispaniis

Liturgia, sive ea a S. Petro, sive a S. Paulo, sive a S. Jacobo, ſive a tribus his ſimul Apostolis fuerit invecta, propterea quod aut nulla fuit in tota Ecclesia primis seculis litteris exarata Liturgia, ut multi opinantur, aut, quod perinde est, ad nostram aetatem non pervenit. Seculo IV. ineunte habitum est celeberrimum Eliberitanum Concilium, cujus sunt capita 28., 29., et 43. de rebus liturgicis; eodem seculo exeunte, seu potius in ipso seculi V. initio, anno videlicet 400. canones quinque Concilii Toletani I. idem argumentum pertractant. Secutum est imperium Gothorum, in quorum ecclesiasticis officiis nonnullam partem habuit S. Joannes Chrysostomus, ut plurimis videtur, maximam Ariani, quibus adhaeserat Ulphilas, primus gentis Episcopus, et litterarum apud eam inventor, sive amplificator, qui sacros libros in patrium sermonem convertit. Sed ut veteres in Hispania incolae, et nonnulli ex Gothis catholicam religionem profitebantur, intermissa non fuit cura, et diligentia Hispanorum in divino officio perficiendo; cujus indefessi studii certa emicant argumenta in Concilio Bracarenſi anno 411., in Hispanico Generali anno 447., in

epistola Episcoporum Tarraconensium ad Hilarium Pontificem Romanum anno 465., et in Concilio Romano eodem anno lecta, in Concilio Tarraconensi anno 516., in Concilio Gerundensi anno 517., in epistola, qua Vigilius Profuturo Episcopo Bracarensi *Textum canonicae precis* misit, in Concilio Barcinonensi anno 540., in altero Bracarensi anno 565., ut alia praeteream. Postquam vero auspicatus dies illuxit, sempiterna nostrorum hominum memoria recolendus, quo Gothi, ac ceteri populi, qui e diversis regionibus in Hispaniam confluxerant, duce, et impulsore piissimo Rege Recaredo haeresim Arianam ejurarunt, Fidemque Ecclesiae catholicae amplexi sunt, quis oratione satis explicare valeat, quanto cum animi ardore Episcopi, aliique ecclesiastici viri doctissimi in libris liturgicis illustrandis, corrigendisque elaboraverint? Quo loco religioni haberem, si tacitum relinquerem clarissimum factum, ex quo tanti Principis pietas singularis maximopere elucet, quae inde ad Reges Hispanos veluti haereditario jure transmissa omnium linguis, plausuque celebratur. Cum enim Toleti catholici Episcopi congregati essent, ut gens Gothorum haeresi Arianae

publice nuncium remitteret, nihil habuit Rex antiquius, quam ut Patres ad *Ordinem canonicum* reformandum adhortaretur; *Prius tamen*, inquit, *admoneo pariter, et exhortor, jejuniis vos, et vigiliis, atque orationibus operam dare, ut Ordo canonicus, quem a sacerdotalibus sensibus detraxerat longa, ac diutina oblivio, quo* [forte *quem*] *aetas nostra se nescire fatetur, divino nobis rursus dono patefiat*. Ac rursus, cum religionis amore accensus vehementer optaret, ut symbolum catholicum in sacrosancto Missae sacrificio clara voce recitaretur, ita Concilii Patres allocutus est. *At nunc, beatissimi Sacerdotes, non in eis tantummodo rebus diffundimus solertiam nostram, quibus populi sub nostro regno positi pacatissime gubernentur, et vivant; sed etiam in adjutorio Christi extendimus nos ad ea, quae sunt caelestia cogitare, et quae populos fideles efficiunt, satagimus non nescire... Ceterum si totis nitendum est viribus, humanis moribus modum ponere, et insolentem rabiem regia potestate fraenare, si qui etiam paci propagandae opem debemus impendere, multo magis adhibenda est solicitudo desiderare, et cogitare divina, inhiare ad sublimia, et ab errore retractis populis veritatem eis*

serena luce ostendere . . . Hoc adhuc necessarium pro firmitate catholicae Fidei nostra Deo supplex instituere decrevit auctoritas , et propter roborandam gentis nostrae novellam conversionem , omnes Hispaniarum , et Galliae Ecclesiae hanc regulam servent , ut omni sacrificii tempore ante communicationem corporis Christi , vel sanguinis , juxta orientalium Patrum morem unanimiter clara voce sacratissimum Fidei recenseant symbolum. Cum tam illustrem operam gloriosissimus Rex in sacras functiones contulerit , quid attinet jam dicere , qua alacritate , et industria Episcopi , et Concilia commissum negotium expleverint ? Nam praetermisso hoc tertio Concilio Toletano , quod Regis voluntati ultro morem gessit , in Concilio Toletano IV. canones 14. annumerantur , quibus sapientissimae regulae praescribuntur : in his maxime laudatur canon II. , jubens , per omnem Hispaniam , Galliamque unum eundemque ordinem recitandi constantem , et perpetuum observari : cui Concilium Bracarense II. praeiverat , et omnium votis esset expetendum , ut ea lex , quod Patres Tridentini cogitaverant , in universa Ecclesia in morem induceretur . Jam Concilium Toletanum V. anno 636. , VI. an-

no 638., VII. anno 646., VIII. anno 653., X. anno 656., Emeritense anno 666., Toletanum XI. anno 675., Bracarense III., aliis IV. anno 675., Toletanum XII. anno 681., XVII. anno 694., aliaque amplissimam dicendi copiam mihi suppeditarent; quae tamen neque hujus loci, neque porro necessaria est, ut non iniqui rerum aestimatores singularem veterum Patrum Hispaniensium in ordine officii ecclesiastici excolendo sapientiam, studiumque admirentur. Zeno Episcopus Hispalensis, Profuturus Bracarensis, Joannes Abbas Biclarensis, Martinus Dumiensis, Petrus Ilerdensis, Leander, Isidorus, Conantius Palentinus, Joannes Caesaraugustanus, Eugenius Junior, Julianus Toletanus, ac permulti alii libris ecclesiasticis recognoscendis, augendis, ordinandis aeternam sibi nominis famam, laudemque immortalem pepererunt. Et Isidori quidem opus de divinis officiis ut tempore, ita etiam eruditione, et elegantia reliquos omnes, quotquot extant, hujus generis tractatus antecellit; atque adeo in collectione ejus argumenti lucubrationum, quam Hittorpius, aliique procurarunt, primum inter scriptores locum obtinet Isidorus, atque ita „ ut qui

consequuntur, vix possint cum eo ulla ex parte conferri, nisi in iis forte, quae ab illo sunt, ut plerique faciunt, mutuati. Infinitus essem, si omnes rationes colligere, et explanare vellem, quibus excellentiam, praestantiamque Ecclesiae Gothicae in officio divino adornando confirmarem. Non possum tamen, quin leviter attingam, quod ad rem meam proprie pertinet, nullum extitisse Concilium, in quo nervosius, et efficacius canone 13. Concilii Toletani IV. traditio Apostolica de hymnis in Ecclesia concinendis fuerit propugnata; nullum itidem fuisse Hymnographum Christianum, quem noster Prudentius longo post se non reliquerit intervallo. Quae cum adeo sint explorata, ut nemo Hispanae gloriae tam invidus reperiatur, qui in dubium revocet, quo vos tandem animo esse oportet? Quid statuendum esse censetis? An vos non moveant Patrum, Majorumque vestrorum exempla, quibus exterae nationes impulsae pium, egregiumque consilium susceperunt? Sed quo ego imprudenti quodam impetu incitatus extra praestitutos limites aberro, quid vobis agendum sit, veluti praescribere aggressus? Non enim

quidquam aliud de re tota sperare ; aut expectare ausim, quam ut propositum, ac voluntatem meam aequi, bonique consulatis. Id autem pro rei, quam prae manibus habeo, dignitate facile me impetraturum ab eis spero, qui ecclesiasticum decorem, et cultum non aversentur, multo facilius a vobis, quos certo scio eidem esse addictissimos. Equidem dum memoria repeto, quae olim in Hispania adolescentulus animadverti, simulque totam vitae rationem, moresque ecclesiasticorum aliarum Gentium confero, quorum nonnullos vidi, de aliis fando audivi, plures lectione cognovi, multa esse comperio, quibus si dixero, Hispaniae Clerum eminere, longeque praecellere, non deerunt, qui existiment, hominem Hispanum aut amore patriae, aut assentandi studio fuisse abreptum; sed certe nihil esse, quamobrem Exteris jure possimus invidere, citra cujusquam offensionem, et, ut spero, summa omnium approbatione, et plausu licet confirmare. Quis enim in ditionibus Catholico Regi subjectis Episcoporum vigilantiam, gravitatem, temperantiam, religiosamque vitae consuetudinem ad antiquorum mores, regulasque ple-

ne conformatam non suspiciat ? Nam apud alias nationes laudata illa *Conclavia* Episcoporum, quibus Clerici communiter viventes ad pietatem, et scientiam informabantur, solum extant in antiquis monumentis Conciliorum; apud nostros perseverant adhuc in Episcoporum Aedibus, quas rectius appellaveris Collegia sanctissime constituta. Quis autem Canonicorum in divinis officiis assiduitatem, Parochorum in animarum cura diligentiam, omnium Ecclesiasticorum modestiam, probitatem, in omni victu, atque cultu domi continentiam, foris dignitatem, rerum denique sacrarum intelligentiam summis laudibus non efferat? Latissimus pateret dicendi campus, quem ego libenter decurrerem, nisi hoc onus viribus meis multo gravius esse agnoscerem. Itaque hanc mihi dabitis veniam, ut in qua parte aliorum exultaret, et triumpharet eloquentia, in ea ego majestate argumenti deterritus conticescam, ne vestras laudes, quae nullius oratione, nedum mea, satis digne ornari, illustrarique possunt, merito quis dicat, obscuratas potius a me fuisse, quam celebratas.

IMPRIMATUR

Si videbitur Rmo Patri Magistro Sac. Pal. Apost.

F. X. Passari Vicesgerens.

Etsi multos jam annos, ut gravioribus disciplinis mentem, animumque admoverem, poetis omnibus, S. Hieronymi exemplo monitus, omnino vale dixeram: jussu tamen Rmi. P. Mag. Sac. Pal. Dissertationem De hymnis Ecclesiastic., eorumque correctione, atque optima constitutione cum Hymnodia Hispanica etc.: Auctore D. Faustino Arevalo, *accuratissime perlegi; ejusque profecto lectione illum aetatis meae florem, quem junior Musis dicaveram, et qui prorsus aruerat, planeque exciderat, quodammodo recreari, et revirescere sensi: neque fieri potuit, quin e rudissimum juxta, ac numeris omnibus absolutum Cl. Arevali Opus, et sua sermonis elegantia, et eruditionis copia, et argumenti utilitate, quibus omni ex parte summopere decoratur, pristinum in me amoeniorum litterarum studium excitaret, meque ipsum afficeret incredibili oblectamento. In hoc quidem scriptionis genere, quo sacros hymnos concinnandi regulae praescribuntur, et admissa antiquitatis vitia reprobantur, opus erat Auctori modo sermone soluto, modo stylo ad prosodiae leges exacto disserere, atque orationem passim carminibus interrumpere; quod ea ille elegantia, ac venustate praestat, ut procul dubio mereatur utriusque simul artis, et bene dicendi, et optime modulandi peritissimum audire. Plerique illorum, qui huic scribendi generi animos applicuerunt, singulare aliquod argumentum persecuti sunt, certisque illud limitibus circumscriptum; at vero disertissimus hic Auctor omnia prorsus, quae e re sunt, et sunt quidem pene infinita, indefesso studio complexus, singulares species ad suam regulam refert, singulas regulas enucleatissime exponit, earum officia exemplorum multitudine ostendit; antiqua novis, nova antiquis illustrat; veterum omnium, qui de rebus iisdem aut graece, aut arabice, aut latine scripserunt, ac recentium item eruditorum opiniones, atque sententias ad perfectissimae locutionis regulas examinat; verba, numeros, syllabas, accentus, atque adeo apices pensitat, cum antiquitatis reliquiis confert, et quid sentiendum sit, sapientissime pronuntiat; nimirum ad divinas laudes concinendas nihil adhiberi aequum esse, nisi grave, pium, decorum, elegans, splendidum, elaboratum ingenio, et perfectum industria, prout summa divini cultus ratio, templique majestas expostulant.*

Propterea, et quod nihil opus continet divinis, aut humanis legibus contrarium, illud dignissimum censeo, quod typis evulgetur. In hoc SS. Trinitatis, et Redemptionis captivorum de Urbe collegio Prov. Castellae, 30. Januarii 1786.

Fr. Antonius Quevedo Procurator Generalis.

Faustini Arevali V. C. Hymnodiam Hispanicam etc. quum jussu Rmi P. Thomae M. Mamachii attente legerim, et expenderim, videor mihi affirmare vere posse, opus elegans esse, politum, ingeniosum, eruditum, omnibus artis, omnibus doctrinae distinctum luminibus; varium praeterea, ac multiplex, ut, quia non omnes, *ut ait ille*, eadem mirantur, amantque, *ejus quidem lectionis fructus pertinere ad multos possit: certè magnam inde, nisi valde me omnia fallunt, animo voluptatem percepturi sunt, ac profecturi etiam plurimum, quum poetae ipsi, quique humanitati, litterisque politioribus dediti sunt, tum qui gravioribus etiam Canonum, Rituumque Sacrorum studiis, atque adeo Christianarum omne genus antiquitatum, spissioribusque delectantur. Quare proferatur per me quidem in lucem, atque in adspectum hominum, liber praeclarus, ex quo, ut ex lucubratione in speciem quidem* tenui, *praeterquam quod non parva, ut dixi, in lectores utilitas, non* tenuis *utique* gloria *in eruditissimum, luculentissimumque Scriptorem est redundatura.*

Romae prid. Nonas Sext. 1786.

Vitus M. Giovenazzius.

IMPRIMATUR

Fr. Th. Maria Mamachius Ord. Praed. Sac. Pal. Apost. Mag.

DISSER-

DISSERTATIO DE HYMNIS ECCLESIASTICIS EORUMQUE CORRECTIONE ATQUE OPTIMA CONSTITUTIONE.

§. I.

Scopus, et ratio Dissertationis.

1. Specimen emendationis Hymnorum, qui in Officio proprio Sanctorum Hispanorum occurrunt, adornaturus, operae pretium me facturum judicavi, si universam de Hymnis Ecclesiasticis tractationem susciperem, remque altius repetitam ad nostra usque tempora protraherem. Quod ut peragam, satis idonea causa videri potest consuetudo nostrae aetatis, usus que communis; quippe cum occasione quavis data, vel arrepta, in longiores Dissertationes plerique soleant excurrere in rebus praesertim, quae ad veterem historiam, disciplinamque Ecclesiasticam illustrandam quoquo modo pertinere intelliguntur. Ceterum nihil necesse est, ut ex hac agendi ratione excusationem petam. Nam qui sedulo animadvertat, quo ego in Hymnis Officii Hispanici ad cantus, latinitatis, carminisque leges revocandis respexerim, facile existimabit, opinor, utilem, ac propemodum necessariam provinciam me esse aggressum, gravissimasque esse causas, quibus inductus sum, ut Hymnorum correctioni historiam, ac dissertationem de eorum usu, et emendatione praemitterem.

2. Sane plurimos fore arbitror, qui vetustatem, plusquam satis est, in deliciis habentes, vel ipsos errores longinqui temporis auctoritate velint tueri, ac veluti ab Ecclesia consecratos

clament esse retinendos. Pervulgatum est, quantas tempestatum subierit moles sanctissimus Sacrae Scripturae interpres Hieronymus, quod plurima loca aliter, quam prius legi solerent, verterit, ac prorsus novam interpretationem condiderit. „ Periculosum opus certe, ait (1), et obtrectatorum meo„ rum latratibus patens; qui me asserunt in septuaginta inter„ pretum sugillationem nova pro veteribus cudere. „ Et alibi (2) „ Cogor per singulos Scripturae divinae libros adver„ sariorum respondere maledictis, qui interpretationem meam „ reprehensionem septuaginta Interpretum criminantur. „ Ac rursus (3) „ tanta est enim vetustatis consuetudo, ut etiam „ confessa plerisque vitia placeant. „

3. Et ut innumera alia omittam, ita scribit ad Damasum (4). „ Novum opus me facere cogis ex veteri .... Pius la„ bor, sed periculosa praesumptio judicare de ceteris ipsum „ ab omnibus judicandum: senis mutare linguam, et cane„ scentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum. „ Quis enim doctus pariter, vel indoctus, cum in manus volu„ men assumpserit, et a saliva, quam semel imbibit, viderit „ discrepare, quod lectitat, non statim erumpat in vocem, me „ falsarium, me clamitans esse sacrilegum, qui audeam ali„ quid in veteribus libris addere, mutare, corrigere? „ Neque vero is ego sum, qui ulla ex parte me cum S. Hieronymo velim conferre; neque ejus exemplum ideo profero, ut quod ipsi licuit, mihi pariter liceat. Sed praeterquamquod non eadem est ratio sacrae paginae, et Hymnorum, qui in Ecclesiis decantantur, non illud mihi propositum est, ut, quas exhibeo, Hymnorum emendationes probentur, ceterisque praeferantur, sed illud solum, ut Hymnos correctione egere ostendam, sine pietatis offensione corrigi posse demonstrem, melioresque meo exemplo excitem, ut, siquidem meus labor non placuerit, novam ipsi operam collocent (a).

(1) In Praefat. ad Pentatheucum

(2) In Praefat. ad Librum Job.

(3) In altera Praefatione in eundem Librum Job.

(4) In Praefatione in Evangelistas.

(a) Verba Andreae Marci Bur-

4. Uno verbo hic meus scopus est, ut Hymni proprii Sanctorum Hispanorum emendentur. Quod ut facilius assequar, ad exponendam originem, ac progressionem Hymnorum in Ecclesia Dei per singulas aetates, optimamque recenti tempore eorumdem constitutionem explicandam aggredior. Ita enim fiet, ut quivis intelligat, neque improbandum, neque novum esse Hymnos, etiam antiquos, extra recti sermonis latini, metrique leges vagantes ad exactam normam reducere. Quod si alicui videatur, uberiori, quam par sit, oratione me uti, hoc sibi responsum habeat, quod cum plures Heterodoxi in hoc Hymnorum argumento explanando diligenter fuerint versati (a), si veri, propriique sunt tituli tractatuum, quos exhibet Cl. Franciscus Antonius Zacharias (1), et Joannes Albertus Fabricius (2); contra e nostris neminem reperi, qui accurate disputationem hac de re instituerit, proptereaque multa dicta fuisse animadverti ab hominibus quoque doctissimis, quae castigatione indigerent, ut usu solet evenire in iis, de quibus obiter tantum, ac perfunctorie disseritur. Itaque

riel, Viri doctissimi, quamvis in ejus Epistola M.S. hispanica ad Pat. Franciscum Ravago legerim, tamen non auderem hic inserere, nisi in Bibliotheca Hispana Optimorum Scriptorum Semperii nuper edita Matriti 1785. in 8. vol. 1. transcripta vidissem, Causame verguenza, „ que los Estrangeros nos hayan ilu„ strado de tantas maneras nuestras „ Liturgias Gotica, y Muzarabe „ Hoc ipsum ne cum Hymnis accidat, providendum est.

(a) Joannes Baptista Bonifacius *Miscellanea Hymnorum. Dantisci* 1690. in 4. Thomas Smith „ *De Hymnis Graecorum Diatriba in Miscellaneis Londinensibus tom.*1. *anno* 1686., *et* 1710. *in* 8. Joannes Georgius Walchius „ *Dissertatio de Hymnis Ecclesiae Apostolicae. Jenae* 1737.. Jo: Matthias Gesnerus „ *De Hymnis veterum maxime Graecorum, Gottingae* 1742.. Johannes Zacharias Hilligerus „ *De Psalmorum, Hymnorum, atque Odarum Sacrarum discrimine*. *Witemb.*1720.. Georgius Ostius. „ *Dissertatio de Hymnis Martyrum in primitiva Ecclesia, Jenae* 1700. Benedictus Pictetus „ *Dissertatio de Hymnis, et Canticis, quorum usus fuit in Ecclesia vetere Christiana* (*Gallice*). *Genevae* 1706. in 12. Aliorum nomina infra in decursu indicabuntur.

(1) Biblioth. Ritual. tom. 2. cap.2. art.3.

(2) Bibliogr. Antiq. c. XI. n.13.

in veterum auctoritatibus exponendis abundare volui, ne quis a me confictum aliquid esse putet, si quando in recentes Auctores, qui aliter senserint, incidat.

§. II.

Quid sit Hymnus.

5. Primo loco quid vox *Hymnus* proprie significet, ac quot diversis modis accipiatur, a Graecis, unde ea petita est, desumere oportet. Apud eos autem frequenter sonat carmen in honorem Dei scriptum. Quamquam enim a radice provenit, quae significat *celebrare*, *canere*, *dicere*, ideoque, ut multi ajunt, apud Athenaeum (1) carmen nuptiis celebrandis compositum *Hymnus Nuptialis* dicitur; tamen usus obtinuit, ut vocabulum *Hymnus* carmini ad laudes Deorum cantu celebrandas tribueretur. Ipso etiam *Nuptiali Hymno* Hymen magna ex parte canebatur. Auctores latini profani vix ea voce usi sunt; versusque in Deorum laudes compositos proprio nomine pauci distinxerunt. *Odas* enim vocarunt carmen lyricum, sive Deos tali carmine, sive homines celebrarent, sive quid aliud exponerent (*a*). Scriptores vero Ecclesiastici ab ipso nascentis Ecclesiae primordio Hymnorum passim meminere. Et in veteri quidem testamento, ac nominatim in psal-

(1) Lib. 4.

(*a*) Extant nihilominus Fragmenta ex Lucilii *Epodis*, *Hymnis etc.* Sanctus Isidorus lib. 1. Orig. cap. 38. „ Hymnos, inquit, primum David „ Prophetam in laudem Dei com„ posuisse, ac cecinisse manifestum „ est. Deinde apud Gentiles pri„ ma Mnemia Timothoe fecit in „ Apollinem, et Musas, quae fuit „ temporibus Ennii longe post David „. Alii legunt *Nemmiam*, alii *Emmiam*, alii *Mnemia*, et *Timotoe*, alii dubitant, an Mnemia nomen sit feminae, an potius *Monumenta* significet. Interpretes ad hunc locum nihil certi statuunt, et ego nonnihil incerti subesse puto, cum ante Ennium Hymni in consuetudinem apud Gentiles venerint. Dubito etiam, an Fragmentum, quod ex *Epodis Hymnis* Lucilii ex Nonio circumfertur, ex veris Hymnis sit depromptum, an potius ex aliquo opere, seu comoedia, quam Lucilius, non satyricus, sed alius sub eo titulo vulgaverit.

mis tam frequens, ac repetita est ejus vocis commemoratio, ut supervacaneum sit loca indicare. Neque in novo desunt exempla; sed ea meliori loco excribentur, postquam ostendamus, quid Sancti Patres, aliique Auctores Ecclesiastici Hymni vocabulo intellexerint.

6. S. Augustinus ita definit (1): „ Hymni laudes sunt Dei „ cum cantico: hymni cantus sunt continentes laudes Dei. „ Si sit laus, et non sit Dei, non est hymnus; si sit laus, et „ Dei laus, et non cantetur, non est Hymnus. Oportet ergo, „ ut si sit hymnus, habeat haec tria et laudem, et Dei, et „ canticum. „ Similia repetit alibi (2). S. vero Isidorus (3) „ carmen in laudem Dei hymnum vocat. „ Estne ergo necessarium metrum, an sufficit cantus ad rationem Hymni? Placet media via, quam tenet Walafridus Strabo (4) „ Notandum „ autem, hymnos dici non tantum, qui metris, vel rhythmis „ decurrunt, quales composuerunt Ambrosius, Hilarius, et „ Beda Anglorum Pater, et Prudentius Hispaniarum Scholasticus, et alii multi; verum etiam ceteras laudationes, quae „ verbis convenientibus, et sonis dulcibus proferuntur. „ In eamdem sententiam disserunt Correctores Hymnorum Breviarii Romani sub Urbano VIII. (5); loquuntur enim de Hymnis prosa oratione, quos inquiunt „ Viri sanctissimi si „ non certis illos pedibus, aliquibus tamen incisis partiti, auribus indulgentes, oratione non omnino soluta scripserunt „. Neque S. Isidorus dissentit (6) in sententiam S. Augustini relabens „ Hymnus est canticum laudantium, quod de Graeco in Latinum interpretatur pro eo quod sit carmen laetitiae, „ et laudis... Si ergo in laudem Dei dicitur, et cantatur, „ tunc est hymnus „. Praeterea ex Hieronymo Amalarius (7)

(1) In Psalm. 72. num. 1. tom. 4. edit. *Maurin.* col. 753. Venetiis 1729.

(2) In Psalm. 149. num. 17. col. 1682.

(3) De Ecclesiast. Offic. lib. 1. cap. 6.

(4) De rebus Ecclesiasticis c. 25.

(5) In Praefatione ad Hymnos editos typis Vaticanis an. 1629.

(6) Lib. 6. Originum cap. 19.

(7) De Ecclesiasticis officiis lib. 4. cap. 3.

hymnum distinguit a psalmo, et cantico „ Hic autem breviter „ hymnos esse dicendum, qui fortitudinem, et majestatem „ praedicant Dei, et ejusdem semper vel beneficia, vel facta „ mirantur „. S. Isidorus (1) universe sine hoc discrimine docet, quod „ Carmina quaecumque in laudem Dei dicun- „ tur, hymni vocantur „. Eadem habet Rabanus Maurus (2), qui plura capita ex S. Isidoro transtulit, ejus nomine non laudato; praemiserat tamen, se ea fuisse mutuatum ex Auctoribus Ecclesiasticis. Etsi autem repugnare videatur Cardinalis Bona (3), non incongrue tamen Hymni appellantur carmina in laudem Martyrum, ac Sanctorum, non solum quia in eis plerumque Deus nominatim laudatur, verum etiam quia cultus, honorque Sanctis praestitus in Deum potissimum vergit, ac refunditur. Georgius Cassander (4) hymnos in laudem Sanctorum *Odas Encomiasticas* rectius esse appellandas pronunciat; antiquum tamen hymnorum vocabulum, rationemque indicatam libenter admittit.

7. Quare omissa ampla illa significatione, qua laus quaevis, sive cantus *hymnus* fortasse nuncupari potest, ad usum Ecclesiae praesertim antiquum *Hymnus est canticum in laudem Dei, sanctorumve sive metro, sive rhythmo, sive oratione incisis quibusdam disiuncta, ac non omnino soluta*. Nova autem multorum consuetudo fert, ut Hymnus solum dicatur carmen lyricum ad laudes Dei, Sanctorumque cantu celebrandas compositum. Nihilominus aliter sentit Card. Bona (5), qui Venerabilem Bedam redarguit, quod ad rationem Hymni metrum necessarium esse crediderit; nisi forte loquitur Cardinalis de hymnorum antiqua appellatione. Cassiodorus quidem Beda antiquior (*in Expositione Psalmorum* VI. XXXIX. et LXVI.) in Hymnis metri alicujus legem pariter exigit. Sed uterque congruenter intelligi potest, ut improprie *metri* nomi-

(1) De Eccl. offic. lib. I. cap. 6.

(2) De Institut. Clericor. lib. 2. cap. 49.

(3) Tractatu Divinae psalmodiae cap. 16. §. 9.

(4) In Epistola praemissa Hymnis Ecclesiast. Scholiis illustratis.

(5) Loc. cit.

ne rhythmum quemdam poeticum comprehendi voluerint. Nam Beda in libro de Arte Metrica Hymnos rhythmice tantum compositos in exemplum cum ceteris metricis adducit. Guyetus (1), et Meratius (2) distinctionem inter psalmos, modernosque Hymnos hanc volunt esse, quod Hymni ad diem, festumve proprium Domini, B. Virginis, aut Sanctorum accommodantur; psalmi vero Dei laudes universales, communesque, vel mirabilia legis antiquae comprehendunt: uterque rationem carminis exigit. Equidem non video, cur psalmi aliqui ad festa propria aptari, accommodariquc nequeant aeque ac plures Hymni proprii, qui extant in Breviario. Hoc tamen semper intererit discrimen, quod psalmi e lingua Hebraea translati carminis rationem non retinent, neque idonei sunt musicis modulis, quibus Hymni metro, vel certo syllabarum numero constantes succinuntur. Nam haec est adhibenda distinctio, ut contrariae sententiae in concordiam redigantur, quod alii sunt hymni metrici legibus carminis alligati, alii rhythmici solum exigentes, ut singuli versus determinato syllabarum numero includantur; reliquae Dei laudes latiori sensu Hymni dicuntur.

§. III.

Non Graeci, sed Hebraei fuerunt primi Auctores Hymnorum.

8. Quibus ita expositis, videndum jam est, an Christiani, uti vocem, ita etiam usum hymnorum a Graecis antiquis acceperint. Siquidem veteres illi Graeci, ut erant non minus vani rerum suarum ostentatores, quam mendaces, sese primos Hymnorum auctores esse gloriabantur. Profecto antiquissimus fuit apud eos carminum in honorem Deorum usus sub Hymnorum nomine: scribebant autem haec carmina multiplici metri genere, et Diis, Deabusque suis quibuslibet dedicabant.

(1) In Heortologia, sive de Festis propriis lib. 3. cap. 5.

(2) In Notis ad Gavant. part. 2. sect. 5. cap. 6.

Homerus quidem plures habet Hymnos, hexametris versibus omnes; inscriptos autem in omne suorum Deorum genus (*a*). Est etiam inter eos unus in Hospites. Aliqui eorum sunt paullo longiores, ut hymnus in Apollinem versibus 546., et hymnus in Mercurium versibus 577. constans; nonnulli vero quinque, aut sex versibus concluduntur. Scio, non omnes hujusmodi hymnos Homero adiudicari (*b*); verum de multis constat, Homeri esse, et ego rei genus, argumentumque propono, non autem litem de certo auctore dirimo.

9. Fuerunt tamen ante Homerum alii, qui hujus carminis pangendi laude excelluerint. Lycius, an Antheus, an Stesichorus Imeraeus inventor fuerit, non liquet. Linus, Musaeus, Orpheus in hoc pulvere desudarunt; longe post hos, immo et post

(*a*) In Apollinem, in Mercurium, in Venerem, in Martem, in Dianam, in Palladem, in Junonem, in Cererem, in Matrem Deorum, in Herculem, in Aesculapium, in Jovis pueros, videlicet Castorem, et Pollucem, in Pana, in Vulcanum, in Neptunum, in Vestam, in Musas, in Bacchum, in Matrem omnium, in Solem, in Lunam. Vide Scalig. *lib.* 3. *Poetic. cap.* 112., *et* sequen.

(*b*) Joannes Albertus Fabricius *lib.* 2. *Biblioth. Graec. cap.* 15. *n.* 11. *et seq.* accurate disputat. de Hymnis Homeri, Alcaei, Anacreontis, Arionis Methymnaei, Aristotelis, Asclepiadis, Myronis, Damophylae, Sapphus, Simonidis, aliorumque. In Bibliographia vero Antiquaria *cap.* 11. *num.* 13. plures Auctores allegat, qui de variis Hymnorum generibus, nominibusque disserunt. Hymnus Cereris dicebatur Iulus, Rheae Lityersa, Bacchi Dithyrambus, Apollinis Paean, Dianae Hypoepus. Vide Theodoretum *sermone* 4. *ad Graecos infideles de Materia, et Mundo*, Athenaeum *lib.* 14., Rhodiginium *lib.* 7. *cap.* 5., Joannem Guilielmum Stuckium *Sac. Gent. Descript. p.* 153. De Graecorum Hymnis duas Dissertationes Souchay habes *T.* XVIII. et XXVI. *Academiae Inscript.* Ptolomaeus Hephaestion, sive, ut alii scribunt, Hephaestionis filius *lib.* 3. recensuit Auctores Graecos, qui Hymnos per singulas urbes cani solitos composuerant. Iulius Pollux *Onomastico lib.* I. *cap.* 33. ita Hymnorum nomina exprimit: „ Dianae Hymnus Hypingus, Apollinis Paean, utrorumque simul „ Prosodia, Bacchi Dithyrambus, „ Cereris Iulus dicitur. Sed Linus, et Litierses Fossorum, et Rusticorum carmina sunt. „ Consule etiam Conradum Gesnerum *tom.* 2. *Biblioth. tit.* 7. *par.* 3.

post Homerum Callimachus, aliique. Sed jactet, quam voluerit, suos Hymnographos Graecia; sanctiorem tamen, venioremque originem ex Sacris Litteris repetere juvat, ac prorsus necessarium est. Cujus rei testem adduco locupletissimum Clementem Alexandrinum (1) „ Modos autem poematibus „ adjecit, et Lacedaemoniorum leges numerosis versibus scri- „ psit Terpander Antissaeus, Dithyrambum autem excogita- „ vit Lassus Hermiones, Hymnos Stesichorus Imeraeus, Cho- „ ream Alcmam Lacedaemonius, Amatoria Anacreon Teius, „ canticum ad saltandum accommodatum Pindarus Theba- „ nus .... Tempora horum tradunt Grammatici. Longum „ autem fuerit ea accurate tradere, cum ipse mox ostendatur „ Dionysius, nempe Bacchus, propter quem celebrantur et „ dionysia, et spectacula, esse Moyse posterior „. Legi potest Cardinalis Bona (2), qui de Hymnis Graecorum, ac multiplici eorum specie, nec non de Hymnis Orphei singillatim disputat erudite. Quidam Onomacritus, qui temporibus Pisistrati Tyranni floruit, creditur auctor Orphicorum Poematum.

10. Simillimum vero est, homines veri Numinis cultui addictos carmina, versusque excogitasse, quibus Divinas laudes in festis, sacrificiisque canerent, antequam caeco furore abrepti ad vanam Idolorum religionem se converterunt. Probabiles conjecturas de Iob, qui creditur fuisse Iobab, quintus ab Abrahamo, ipso Abrahamo non numerato (3), ac de ejus historia arabico carmine conscripta, non vacat promovere. Cl. Mazochius, quem in linguis orientalibus eruditissimum nostra vidit aetas, (4) exponens illud Genesis (5), *Audite vocem meam, uxores Lamech, auscultate sermonem meum*, contendit, hoc loco frustum poematis latere. Non idcirco tamen hi qualescumque versus auctore Geneseos Moyse antiquiores erunt dicendi. Fabricius (6) commenta Rabbinorum

(1) Stromat. lib. 1. cap. 7.
(2) Divinae psalmodiae c. 16. §. 9.
(3) Genes. cap. 36. v. 33.
(4) Tom. 1. Spicilegii pag. 45.
(5) Cap. 4. v. 23., et 24.
(6) Bibliogr. Antiq. cap. 11. n. 13.

refert de novem Hymnis praeter psalmos ex Mechlita (1), et Targum, sive Chaldaeo Paraphraste (2), quorum primum cecinerint Israelitae in Aegypto, quod ex Isaia (3) conjiciunt. Dubitandum tamen non est, quin Hymni nomen mereatur canticum post transitum maris rubri a Moyse cum ceteris Israelitis decantatum, de quo Exodus (4) „ Tunc cecinit „ Moyses carmen hoc Domino, et dixerunt: cantemus Do- „ mino etc. „ et (5) „ Sumpsit ergo Maria prophetissa soror „ Aaron tympanum in manu sua, egressaeque sunt omnes „ mulieres post eam cum tympanis, et choris, quibus praeci- „ nebat, dicens: cantemus Domino etc. „.

11. Quis enim perspicue in his verbis non videat, canticum Moysis verum hymnum, carmenque in laudem Dei fuisse? Atqui ad hujus cantici imitationem Therapeutas hymnos suos cecinisse, auctor est Philo Iudaeus (6), quemadmodum paulo post enarrabimus, disputaturi, fuerintne Therapeutae Philonis primi illi christiani, qui sub S. Marco in Alexandria summis virtutibus eminebant. Interim satis fuerit annotasse, Hebraeos mare rubrum incolumes transisse anno mundi 3357., et anno ante aeram christianam 1534.. Quod tempus vix fabulae Graecorum attingunt. Canticum Moysis ex calculis chronologicis Usserii, Newtonii, et Bedfordii ipsos ducentos annos ante Orpheum fuisse compositum, confirmat eruditisimus Alphonsus Nicolai (7).

§. IV.

Iudaeorum Hymnodia.

12. Plura alia ex Veteri Testamento ad hanc rem illustrandam proferre licet, quae breviter percensenda sunt; quoniam

(1) In xv. Exodi.
(2) In Cantica Cant.
(3) Cap. 30. v. 29.
(4) Cap. 15. v. 1.
(5) Vers. 20.
(6) Lib. de Vita Contemplativa, sive de Supplicum Virtutibus.
(7) Dissert. Lect. Sacrar. tom. 9. dissert. 7.

quo magis pateat, Deum apud Sanctos Prophetas sacrorum carminum cantu fuisse delectatum, eo certius argumentum conficietur, Ecclesiae consuetudinem in hymnis concinendis maximopere esse approbandam. Igitur aliud Moysis carmen in honorem Dei legitur in Deuteronomio (1) „ Locutus est „ ergo Moyses audiente universo coetu Israel verba carmi- „ nis hujus, et ad finem usque complevit: Audite caeli, quae „ loquor etc. Opinantur etiam aliqui, psalmum 89. non a Davide, sed a Moyse fuisse compositum, de quo vide Menochium (2). Canticum Debborae, et Barac habetur in libro Iudicum (3); „ Cecinerunt Debbora, et Barac filius Abinoem „ in illo die, dicentes: Qui sponte obtulistis etc. „ Canticum Annae, quod incipit „ Exultavit cor meum in Domino, et „ exaltatum est cornu meum in Deo meo „ refertur in libro 1. Reg. (4) Non ergo David primus fuit, qui hymnos sacros composuit, quamvis primus fortasse fuerit, qui, ut scite, publice, ac solemniter canerentur, instituerit.

13. Id intellexit, opinor, S. Isidorus, cum (5) scripsit: „ Hymnos primum eumdem David Prophetam condidisse ac „ cecinisse manifestum est, deinde et alios Prophetas „. De cantoribus David mentio extat in *lib.* 1. *Paralip. cap.* 25. ubi inter alia dicitur *vers.* 7. „ Fuit autem numerus eorum cum „ fratribus suis, qui erudiebant canticum Domini cuncti Do- „ ctores ducenti octoginta octo „. Jam Psalmos David, licet aliqui querelas, lamentationes, imprecationes, et narrationes solum comprehendant, majori tamen ex parte laudes Dei, ac Christi continere exploratum est; ideoque liber Psalmorum ab Hebraeis vocatur *Sepher Theillim*, nempe *Liber Hymnorum*, ut S. Hieronymus vertit. Mortuo subinde David, filius ejus Salomon in Templum Domini a se constructum cantores Psalmorum induxit, qui cymbalis, psalteriis, citharis,

(1) Cap. 31. in fine, et cap. 32.
(2) In Praefat. in Lib. Psalmor.
(3) Cap. 5.
(4) Cap. 2.
(5) Lib. I. de Ecclesiast. officiis cap. 6.

organis, et tubis personantes, carmina, et hymnos David canerent (1). Hic porro mos continenter deinde processit. Certe dum Iudaei tempore Ieremiae captivi Babylone detinerentur, ut hymnos de canticis Sion canerent, Babylonii flagitabant, quod egregie, ac plane poetice describitur in psalmo 136., qui inscribitur *Psalmus David propter Ieremiam*, ex quo primi quatuor versus huc pertinent „ Super flumina Babylo-
„ nis illic sedimus, et flevimus, dum recordaremur Sion. In
„ salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Quia
„ illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos verba
„ cantionum. Et qui abduxerunt nos, Hymnum cantate no-
„ bis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Do-
„ mini in terra aliena „?

14. Non me latet, plures existimare, hunc psalmum non a Ieremia, sed a Davide in Prophetia fuisse confectum; nimirum ita tenent illi omnes, qui David auctorem volunt esse omnium psalmorum, qui in Psalterio reperiuntur. Verum sive Ieremias hunc psalmum ediderit, sive David longe ante futura praenuncians ita cecinerit, veritas rei utrolibet modo aeque immota, certaque permanet. Nec silentio praetereundum est canticum, sive hymnus trium Puerorum in fornace ignis, quem a Libris canonicis rejicere nefas est, et verissimam hymni metrici notionem prae se ferre constat ex iis obiectionibus, quas Iudaeus quidam opponebat, referente S. Hieronymo (2): „ Haec idcirco refero, ut difficultatem vo-
„ bis Danielis ostenderem, qui apud Hebraeos nec Susannae
„ habet historiam, nec hymnum trium Puerorum etc.. Au-
„ divi ego quemdam de Praeceptoribus Iudaeorum, cum Su-
„ sannae derideret historiam etc.. Deinde tantum fuisse otii
„ tribus pueris cavillabatur, ut in camino aestuantis incen-
„ dii metro luderent, et per ordinem ad laudem Dei omnia
„ elementa provocarent „.

15. Optime cavillationem appellat S. Doctor ridiculam Iu-

(1) Paralip. lib. 2. cap. 5. vers. 12., et cap. 7. v. 6.

(2) In Praefatione in Danielem.

daei difficultatem, quae profecto non admodum dissimilis est illis dubitandi rationibus, quas moderni aliqui Philosophi ad religionem evertendam usurpant. Quid enim? Nonne pro certo ponendum est, quod „ Angelus Domini descendit cum Aza-
„ ria, et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis
„ de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum roris
„ flantem, et non tetigit eos omnino ignis, neque contrista-
„ vit, nec quicquam molestiae intulit? „ Ecqua ergo difficultas in eo versari potest, quod canticum *Benedicite* metro luderent, sive tunc ipsi conderent, sive prius a se perceptum, memoriaeque traditum in eo quasi vento roris flante repeterent? Quaerat tamen fortasse aliquis, psalmi, hymnique, quos hactenus commemoravimus, metrone, an rhythmo, an prosa oratione in hebraico, aliove primo suo idiomate fuerint compositi? Non una est eorum, qui eas linguas sibi callere videntur, sententia.

16. S. Hieronymi affirmantis, haec pleraque omnia numeris metricis ligata esse, tum opinio maxime placet, tum auctoritas vehementer commovet (a); cui ego hac in re tantum

(a) En ejus verba in Praefatione in Librum Job: „ A principio ita-
„ que voluminis usque ad verba
„ Job apud Hebraeos prosa oratio
„ est. Porro a verbis Job, in qui-
„ bus ait: *Pereat dies, in qua*
„ *natus sum, et nox, in qua di-*
„ *ctum est; conceptus est homo*:
„ usque ad eum locum, ubi ante
„ finem voluminis scriptum est:
„ *idcirco ipse me reprehendo, et*
„ *ago poenitentiam in favilla, et*
„ *cinere*; hexametri versus sunt,
„ dactylo, spondaeoque curren-
„ tes, et propter linguae idioma
„ crebro recipientes et alios pedes,
„ non earumdem syllabarum, sed
„ eorumdem temporum. Inter-
„ dum quoque rhythmus ipse dul-
„ cis, et tinnulus fertur numeris
„ pedum lege solutis: quod metri-
„ ci magis, quam simplex lector
„ intelligit. Quod si cui videtur in-
„ credulum, metra scilicet esse
„ apud Hebraeos, et in morem no-
„ stri Flacci, Graecique Pindari, et
„ Alcaei, et Sapphus vel Psalte-
„ rium vel Lamentationes Ieremiae,
„ vel omnia ferme Scripturarum
„ cantica comprehendi, legat Philo-
„ nem, Iosephum, Origenem, Cae-
„ sariensem Eusebium, et eorum
„ testimonio me verum dicere
„ comprobabit „. Vide etiam Præfationem in Chronica Eusebii, et in Ieremiam, lib. 9. Comment.

tribuo, ut non dicam equidem, malle me cum eo errare, quam cum aliis vera sentire; sed credam potius, eum unum vera sentire, ceteros recentiores errare. Adhaerent autem ei e recentioribus Mercerus, Erbertus, Gomerus, Buxtorfius, pluresque alii. Petrus Benedictus Interpres, et Editor Operum S. Ephrem *in Praefatione ad tom.* 2. repetit ex Cl Assemano *tom.* 1. *Biblioth. Orient. in Ephrem*, *et Balaeo*, syriacam Poesim ab hebraica parum vocibus, minimum metro discrepare; syriacam, vel chaldaicam hebraica videri antiquiorem, cum Hebraei a Chaldaeis originem duxerint; neutram syllabarum quantitate versum definire, sed numero; versus septimam syllabam non excedere, nec a quarta deficere. Multi fortasse, licet linguam hebraicam, chaldaicam, et syriacam intelligant, prosodiam tamen ignorant, neque carmen ab oratione soluta distinguunt, aut saltem syllabarum quantitatem, ac varietatem, dimensionemque pedum non percipiunt, praesertim post puncta a Massoretis inventa.

17. Ita plures apud nos reperias, qui Terentium, Plautumve perlegunt, quin satis sciant, an metro sint scriptae eorum comoediae, quove carminis genere constent. Horatius observabat, in vocibus optimi carminis solutis, et hinc inde commutatis semper apparere „ *disjecti membra Poetae* (1) „. Ego vero in Sacrae Scripturae psalmis, canticisque latine redditis non *disjecti membra Poetae*, sed vigentem ipsam animam videre mihi videor. Adeo ingentes, nobiles, sublimes, ac vere poetici sensus in verbis plerumque incomptis eminent. In eamdem sententiam disputat Mazochius (2), refutans eos, qui stylo tantum prosam orationem a carminibus differre contenderent, et antiquorum sententiam praeferens (3) „: Mihi pro-
„ fecto, inquit, antiquorum magis sententia placuit, sed ita
„ ut in his pedibus hebraea tarditas magis, quam graeca ra-

in cap. 30. Ezechielis, et Epistolam 115. ad Paulam Urbicam, nec non Prolegomena Ioannis Martianay, et Antonii Pouget in *Divinam S. Hieronymi Bibliothecam*.

(1) Lib. 1. Satyr. 4.

(2) Tom. 1. Spicilegii pag. 45.

(3) Tom. 2. pag. 171.

„ piditas numerorum se probaret „. Diversas sententias de natura Poeseos hebraicae, auctoresque hinc inde contrarios recenset Nicolaius (1) post Fleurii, aliorumque Dissertationes. Blasius Garofalo (2) tenet, Hebraeorum carmina homoteleuta fuisse, non metrica; quam ille opinionem mihi non persuasit. Expendi etiam possunt Roberti Lowth de Sacra Poesi Hebraeorum Praelectiones Academicae cum notis, et epimetris Ioannis David Michaelis: nec non Francisci Hare Psalmorum Liber in versiculos metrice divisus cum Dissertatione de antiqua Hebraeorum Poesi. Ex antiquioribus legi dignus est Alfonsus Mendoza, Theologus amoenissimi ingenii Ordinis Augustiniani, qui *Quaest.* 3. *Positiva* probat, aliquot veteris Testamenti libros carmine conscriptos esse, idque magnopere decuisse. Nostro tempore celebris est Dissertatio Xaverii Matthaei de Poesi Hebraeorum, et Graecorum.

§. V.

Hymnorum apud Christianos origo a Christo, et Apostolis repetenda.

18. Hactenus de veteris testamenti Hymnis: nam licet plura ejusdem generis congeri possent, rem per se claram, videlicet constantem, ac perpetuum usum cantandi hymnos apud Hebraeos superfluis probationibus confirmare nihil attinet, leviter exposuisse sufficiat. Sequitur, ut in novo Testamento, Christianaque Ecclesia eamdem disciplinam, consuetudinemque, atque primam ejus originem perquiramus. Facem praeferat Concilium IV. Toletanum, cujus extat gravissimus, et luculentissimus Canon 13. in haec verba„: De Hymnis etiam „ canendis et Salvatoris, et Apostolorum habemus exemplum; „ nam et ipse Dominus hymnum dixisse perhibetur Mat- „ thaeo Evangelista testante: *Et Hymno dicto, exierunt in*

(1) Loc. cit.

(2) Considerazioni intorno alla Poesia degli Ebrei. In Roma 1707.

„ *montem Oliveti* (1). Et Paulus Apostolus ad Ephesios scri-
„ psit dicens: *Implemini spiritu, loquentes vos in psalmis, et*
„ *Hymnis, et canticis spiritualibus*. Et quia nonnulli Hymni
„ humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum, et Mar-
„ tyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos
„ beatissimi Doctores Hilarius, atque Ambrosius ediderunt,
„ quos tamen quidam specialiter reprobant pro eo quod de
„ Scripturis Sanctorum Canonum, vel Apostolica traditione
„ non existunt; respuant ergo et illum Hymnum ab homini-
„ bus compositum, quem quotidie publico, privatoque offi-
„ cio in fine omnium psalmorum dicimus: *Gloria, et honor Pa-*
„ *tri, et Filio, et Spiritui Sancto in saecula saeculorum Amen*.
„ Nam et ille Hymnus, quem nato in carne Christo Angeli
„ cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, et in Terra pax homini-*
„ *bus bonae voluntatis*, reliqua, quae ibi sequuntur, Ecclesia-
„ stici Doctores composuerunt. Ergo nec idem in Ecclesia ca-
„ nendus est, quia in Scripturarum Sanctarum libris non in-
„ venitur. Componuntur ergo hymni, sicut componuntur
„ Missae, sive preces, vel orationes, sive commendationes,
„ seu manus impositiones; ex quibus si nulla dicantur in Ec-
„ clesia, vacant officia omnia Ecclesiastica... Sicut igitur
„ orationes, ita hymnos in laudem Dei compositos nullus ve-
„ strum ulterius improbet, sed pari modo Gallia, Hispania-
„ que celebret; excommunicatione plectendi, qui Hymnos
„ rejicere fuerint ausi „.

19. Haec quamvis longiora in medium proferre placuit, quia hymnorum consuetudo laudabilis efficacissimis rationibus vindicatur, et hic Canon loco *Textus* esse poterit pro his, quae modo sunt exponenda, ut pateat, usum canendi Hymnos in Ecclesia a Christi, Apostolorumque tempore, et exemplo processisse. Celebratum vero fuit Concilium IV. Toletanum anno 632., eique praefuit sanctissimus, ac doctissimus Isidorus Praesul Hispalensis; maximique proinde ejus auctoritas sem-

(1) Cap. 26.

semper fuit habita. Adnectenda vero est generalis quaedam regula a S. Augustino tradita, et ad praesentem controversiam ab eodem Sancto Doctore accomodata (1). „ Miror sa-
„ ne, quid ita volueris, ut de iis, quae varie per diversa loca
„ observantur, tibi aliqua scriberem, cum et non sit neces-
„ sarium, et una in his saluberrima regula retinenda sit,
„ ut quae non sunt contra fidem, neque contra bonos mo-
„ res, et habent aliquid ad exhortationem vitae melioris,
„ ubicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus,
„ non solum non improbemus, sed etiam *laudando et imitan-*
„ *do sectemur* etc., maxime id, quod etiam de Scripturis
„ defendi potest, sicut de hymnis, et psalmis canendis, cum
„ et ipsius Domini, et Apostolorum habeamus praecepta,
„ et exempla. „ Quae verba eo libentius excripsi, quia Epistolam, ex qua hic locus desumptus est, aliquando citatam vidi, quasi ex ea S. Doctor Hymnis contrarius arguatur. Ex his ergo intelligitur, morem cantandi in Ecclesia Hymnos, licet non ubique ab omnibus fuerit observatus, ut postmodum ex dicendis fiet manifestum, honestum tamen esse, ac retinendum, cum ad exhortationem vitae melioris conferat, et a Christo, atque Apostolis originem duxerit, et constanter in maxima Ecclesiae parte, et a plerisque Sanctis Patribus cum laude fuerit frequentatus,

§. VI.

Quinam sint in novo Testamento Hymni?

20. Igitur edisserendum jam est de Hymnis in novo Testamento aut repertis, aut indicatis, aut praeceptis. Ac primum Archangelum Gabrielem, cum B. Virginem salutavit, usum fuisse Hymno, scilicet carmine, et modulatione vocis, ac similiter respondisse Deiparam, pluribus contendit Ruti-

C

(1) Tom. 2. edit. Venet. an. 1729. epist. 55. lib. 2. ad Inquisitiones Januarii num. 34. col. 141. et seqq.

lius Benzonius (1), quem refellit Theophilus Raynaudus (2), asserens, quod etsi S. Athanasius, sive quicumque alius auctor *Sermonis de Assumptione* salutationem Gabrielis vocet Hymnum, ea tamen vox late accipitur pro quavis Dei laude, sive gratiarum actione. Nec certo potest affirmari, salutationem Angeli aut metro fuisse adstrictam, aut canora vocis modulatione ab Angelo pronunciatam. Ceterum si nomine Hymni nihil aliud intelligamus, quam laudem Dei oratione quadam sublimi, ac veluti poetica, aptaque decantari expressam, facile quivis consentiet, eam salutationem, quam affert S. Lucas (3), recte hymnum dici posse. Nam de responsione Deiparae minus id liquet (*a*).

21. Potiori ratione affirmandum hoc est de verbis S. Elisabeth (4): „ Repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit: *Benedicta tu inter Mulieres* etc. Neque ullo modo dubito, quin canticum *Magnificat* (5), quo B. Virgo Sanctae Elisabeth respondit, ac canticum *Benedictus Dominus Deus Israel*, quod Spiritu Sancto repletus protulit Zacharias (6), jure optimo Hymnis annumeranda sint. Quid enim his duobus divinis canticis, quibus quotidie personat Ecclesia, ad exactam hymni proprietatem deest, siquidem vera hymni ratio consistere potest sine metro, ac rhythmo in sola prosa oratione certis incisis distincta, cantuique accommodata? Quod si laus Dei cum cantico rite Hymnus appellatur, nullus praestantior Hymnus erit, quam is, quem exhibet idem S. Lucas (7) „ : et subito facta est cum Angelo

(1) In Psalm. 86. cap. 22.

(2) Diptych. Marian. puncto 5. n. 2. tom. 7. p. 53. (3) Cap. 1.

(*a*) Rutilius in Expositione Psalmi 86., non 87., ut habet Theophilus, septem rationes pro sua opinione affert, atque ad eas explicandas ita aggreditur „ Congruis vero rationibus praeter eas octo, quas adduximus *in lib.* 1. *cap.* 8. *Comment. in Magnificat*, Virginem hujusmodi mysterium carmine hominibus propalasse sic ostenditur „. Rationes, quas producit, congruas esse non negaverim.

(4) Eod. cap. vers. 41.

(5) Eodem Capite.

(6) Eod. cap. Evangelii S. Lucae.

(7) Cap. 2. vers. 13. et seq.

„ multitudo militiae caelestis laudantium Deum, et dicen-
„ tium: *Gloria in altissimis Deo, et in Terra pax hominibus*
„ *bonae voluntatis*„; nam reliquam hujus Hymni partem ab hominibus fuisse compositam, admonet laudatus nuper Canon. 13. Toletani Concilii IV., cujus verba habes §.V. numer.18. Jam in cantico Simeonis *Nunc dimittis* (1) eadem prorsus ratio est, ac in duobus canticis *Magnificat*, *et Benedictus*. In Antiphonariis, Breviariisque antiquissimis haec cantica Hymnorum nomine donantur. Restat igitur, ut de Hymno, quem commemoravit S. Matthaeus, ac significavit Concilium Toletanum, breviter dicamus. Evangelista Matthaeus (2), postquam coenam Dominicam, institutionemque Sacramenti enarraverat, subjungit illico (3)„: Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti„. Quidam male feriati Haeretici, atque inter eos Priscillianistae Hymnum, quem Christum cecinisse hinc colligebant, vulgo ostentabant, et in Canonem Scripturarum referebant, de quibus est Epistola S. Augustini (4)„: Hymnus sane, quem dicunt esse Domini no-
„ stri Iesu Christi, qui maxime permovit venerationem tuam,
„ in Scripturis solet apocryphis inveniri.... Habes verba
„ eorum (Priscillianistarum) in illo codice ita posita: *Hym-*
„ *nus Domini, qnem dixit secreto sanctis Apostolis Disci-*
„ *pulis suis, quia scriptum est in Evangelio*: *Hymno dicto,*
„ *ascendit in montem etc*.

22. Quam libidinem mentiendi, recitatis, et explosis nonnullis versiculis Hymni commentitii, egregie refutat in ea Epistola S. Augustinus. Legi etiam potest Albini Epistola 106. ad Carolum Magnum Imperatorem, a quo interrogatus fuerat, qualis esset iste Hymnus. Putat, esse verba illa: *Pater clarifica Filium tuum etc.* Ex loco Evangelistae illud tantum depromendum est, quod sive Christus, Apostolique psalmum aliquem canonicum veterem dixerint, sive usitatam aliquam for-

(1) Eod. Lucae capite.
(2) Cap.26. (3) Vers.30.
(4) 237. tom. 2. edit. Venet. col. 849.

mulam agendi Deo gratias post coenam usurpaverint, sive quid aliud cecinerint, tali exemplo primi Christiani permoti fuerint, ut cantica spiritualia in morem inducerent. Eoque etiam magis, quia accessit praeceptum Apostolorum. S. Paulus hortatur Fideles, ut non solum lingua, sed cordis affectu mutuo inter se cantiones spirituales canant (1) „: Et nolite „ inebrari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu „ Sancto loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis et can„ ticis spiritualibus, cantantes, et psallentes in cordibus ve„ stris Domino „. Et alio loco (2) „: Docentes, et com„ monentes vosmetipsos psalmis, hymnis, et canticis spiri„ tualibus in gratia cantantes in cordibus vestris Deo „. Quibus consentit Epistola catholica S. Iacobi (3): *Tristatur aliquis vestrum? oret: aequo animo est? psallat*. Quod explicat Menochius ibi „. Cantet Deo laudes, et gratias agat „ pro acceptis beneficiis, et prosperis rerum suarum succes„ sibus (*a*) „.

23. Siquis tamem haec, aliaque similia ita accipienda dicat,

(1) Ad Ephes. cap. 5. vers. 18., et sequen.

(2) Ad Coloss. cap. 3. vers. 16.

(3) Cap. 5. vers. 13.

(*a*) Referri huc possunt ex Epistola 1. ad Corin. c. 14. versiculus 15. „ Quid ergo est? Orabo spiri„ tu, orabo et mente: psallam „ spiritu, psallam et mente: et versiculus 26. „ Quid ergo est Fra„ tres? cum convenitis, unusqui„ sque vestrum psalmum habet, „ doctrinam habet, apocalypsim „ habet, linguam habet, interpreta„ tionem habet: omnia ad aedifica„ tinonem fiant „: Quem locum ita interpretatur Estius: „ Quando con„ venitis ad res divinas, alii aliis do„ nis instructi estis, et ea in me„ dium promere parati. Nam verbi „ gratia alius habet psalmum, id „ est, canticum aliquod spiritua„ le, quo Deum laudet. Ad hoc „ enim quidam specialiter inspira„ bantur, de quo dono supra ver„ su 15. „: Grotium Estio assentientem in eumd. loc. audire non erit „ ingratum: „ Etiam extemporales „ isti Hymni ab afflatu erant. Talis „ fuit Hymnus Simeonis, et An„ nae Viduae; et ut credibile est, „ Mosis, et Mariae Sororis ejus; „ et alter Mosis, et Debborae, „ et Esaiae cap. v. Omnia quae „ olim aut ex ingenio aut ex la„ bore veniebant, tunc multis da„ bantur subito, et divinitus, ut „ ex eo intelligeretur Dei summa „ beneficentia. „

ut cantus veterum psalmorum, qui in Scripturis canonicis inveniuntur, non vero consuetudo carminum denuo conficiendorum, aut alterius generis Hymnorum suadeatur, is facile revincetur; non solum quia S. Paulus aperte distinguit Hymnos, et cantica spiritualia a psalmis, *odasque pneumaticas*, quod *carmen* sonat, pro canticis spiritualibus in graeco habet; verum etiam quia ex Christi exemplo, et praeceptis Apostolorum nascentis Ecclesiae usus, auctoritasque gravissimorum SS. Patrum semper tenuit, honestum, laudabileque maxime esse Deum metro, aliisque artificiosis laudationibus celebrare.

§. VII.

De primitivae Ecclesiae Hymnodia: ac primum de Therapeutis.

24. Sed de primitivae Ecclesiae moribus disputaturo statim occurrit percelebris controversia de Therapeutis a Philone Iudaeo commemoratis, fuerintne vere Christiani, sub Marci disciplina in Alexandriae solitudinibus degentes; in quam etsi non divertisse, sed incurrisse mea videri debeat oratio, tamen ita in ea versabor, ut plura ultro praeteream, eaque potissimum seligam, quae ad sacrum cantum enucleatius explicandum pertinebunt. Antiqui Ecclesiastici Scriptores, primusque Eusebius Caesariensis (1), de Therapeutis Philonis cum incideret sermo, eos Christianos fuisse consentiebant. Recentiores aliqui aut negant, aut in dubium revocant, asserentes, Philonem *in Libro de vita contemplativa, sive de Supplicum virtutibus* Essenos laudare voluisse. Est in utraque sententia, quod probes; nam omnia, quae refert Philo, non in Essenos certe, neque tamen penitus in Christianos quadrare mihi videntur.

25. Et ut dicam, quod res est, in rationes hinc inde collectas intuens saepe subdubito, an non Philo sicut in aliis,

(1) Lib. 2. Histor. cap. 17.

ita etiam hac in re Platonem fuerit imitatus, et ut hic suam Atlantida creavit simul, et enarravit, ita ille vitam Ascetarum nusquam nisi in sua cogitatione existentium celebrandam susceperit. Pervulgatum erat apud veteres illud dictum: *Aut Plato philonizat, aut Philo platonizat*; nimirum propter consimilem in utroque philosophandi rationem, germanasque cogitationum perceptiones. Eusebius multum fidere in eo videtur, quod Philo in narrationis initio affirmaverit, se sine ullis exaggerationibus, aut rhetorico ornatu, quo veritas non eget, res ipsas religiose esse expositurum „. Ordo (inquit in „ exordio) postulat, ut deinceps dicamus de contemplationi „ deditis, nihil affingendo rei ornandae gratia, sicut poetae, „ scriptoresque solent destituti vera, honestaque materia, „ sed simpliciter veritatem sectando, quam vix ulla eloquen- „ tia potest assequi „. At enim experientia satis nos docet, nunquam auctores magis laborare, ut historiam verissimam se narrare profiteantur, quam cum fabulam aliquam adornant, et suum aliquod ipsorum commentum evulgant, ac tunc maxime veritatis amorem ostentare, cum minime veritatem sequuntur. Philonis hoc ipsum exordium videtur prae oculis habuisse in sua fabulosa Utopia Thomas Morus, qui *in praefatione* ita habet „: Mea oratio quando accederet propius ad illius „ neglectam simplicitatem, tanto futura sit propior veritati, „ cui hac in re soli curam et debeo, et habeo „. Haec Thomas Morus, cum Utopiam ad similitudinem Insulae Platonicae confingeret (*a*).

(*a*) Timide ad hanc suspicionem de fabulosa Philonis narratione declarandam descendi, paulo fidentius eam confirmaturus, si idoneum, quem sequerer, Ducem haberem. Non enim mente, et cogitatione assequi possum, qui fieri potuerit, ut de hoc admirabili hominum instituto *in multis orbis regionibus vigenti, et a Graecis, atque Barbaris magna in veneratione habito*, nulla memoria extet, nisi in libro Philonis. Quid? tot scriptores Alexandrini, Clemens Alexandrinus, Origenes, alii, quorum aetas a Therapeutis non procul aberat, idne ignorasse dicendi sunt? an tacuisse, cum tanta alioquin eruditione de Christianorum, Iudaeorum, Gentilium-

26. Nihilominus longe probabilius est, Philonem in eo opusculo conficiendo ad vitam Ascetarum Ecclesiae Alexandrinae respexisse, eamque ita litteris consignasse, ut multa de suo addiderit, quasi incoeptum ab aliis vitae genus institutionibus suis perficeret. Sed jam audiendus est ipse. „ Hoc genus reperitur *in multis orbis regionibus* merito ut absolutae „ pietatis receptum *a Graecis*, atque *Barbaris*. Maxime tamen „ in Aegypto frequentatur *per praefecturas singulas* praesertim „ circum Alexandriam ... Solitarii sanctae vitae mysteriis „ dant operam, nec cibi, potusve quicquam eo inferunt, „ aliudve in usum corporis, sed legem tantum, et Propheta„ rum oracula divinitus prodita, et quaedam alia pietatis, „ scientiaeque promovendae utilia ... Itaque non solum con„ templantur, sed etiam cantica, hymnosque in Dei laudem „ componunt *vario metrorum, carminumque genere, rhythmis* „ concinnatos in augustiorem, et religiosam speciem ... Tum „ ille (Praeses) assurgens hymnum in laudem Dei primus ca„ nit aut *recens a se compositum*, aut descriptum *ab aliquo Va*„ *tum veterum*: extant enim hujus generis *carmina prisca ver*„ *su trimetro*, et hymni cum suis accentibus inter sacra ca„ nendi ante altaria vel a stantibus, vel a *choreas ducentibus* „ *moderatas variis flexibus, atque reflexibus*.

27. „ Praesulem mox imitantur ceteri decenti ordine, „ omnibus intente, quieteque auscultantibus, praeterquam „ in fine hymni, extremaque clausula. Tunc enim uni„ versi vocem extollunt sine sexus discrimine ... Ubi omnes „ consurrexere, *duo chori* fiunt in medio coenaculo, alter „ virorum, alter feminarum. Cuique suus incentor prae„ ficitur, honore praestans, et canendi peritia; deinde

que ritibus multis in locis edisserant? Laudat Philo in suis Therapeutis interpretationes allegoricas, quibus hi delectabantur; in quo causam ille agit suam, cum litteram sacrae paginae ad sensus allegoricos plerumque absurdos detorquere habuerit in deliciis. Atque utinam aliqui Christiani eius effraenatam licentiam in allegoricis explanationibus non fuissent imitati! Adi-sis Platonem *lib.7. de Legib.*

„ cantant hymnos in laudem Dei compositos *variis metrorum*, „ *carminumque generibus*, *nunc ore uno*, *nunc alternis*, non „ sine decoris, ac *religiosis gestibus*, atque accentibus, mo- „ do stantes, modo prorsum, retrorsumve *gradum moventes*, „ utcumque res postulat. Deinde postquam uterque chorus „ seorsum explevit sese his deliciis, velut amore divino ebrii „ unum chorum faciunt promiscuum... Hymnis gratias „ Servatori Deo canebant (Israelitae), praecinente viris „ Mose propheta, Mariamne vero prophetide feminis, ad „ horum maxime imitationem hic therapeutarum, thera- „ peutridumque chorus compositus, et mixtis ad graves vi- „ rorum acutis femineis vocibus concinne temperatus con- „ centum reddit suavissimum, vereque musicum; pulcher- „ rimis enim verbis includuntur sententiae pulcherrimae *re-* „ *ligiosis choreis* accedentibus. Horum porro universorum „ finis unus et idem est pietas etc. „

§. VIII.

Quid ex Therapeutarum instituto ad concentum sacrorum Hymnorum confirmandum colligi debeat?

28. Haec ex Philone de Therapeutis, quantum quidem ad sacros eorum cantus attinet, excerpta sunt. Ex quibus omnibus liquet *primum*, Therapeutas in multis orbis regionibus, in singulis Aegypti Praefecturis, potissimum vero circa Alexandriam floruisse: *deinde*, eos solitos fuisse concinere Hymnos tum veteres, tum novos, tum metrice, tum rhythmice: *praeterea*, modulos, numerosque musicos usurpasse: *postremo*, nunc ore uno, nunc alternis non sine choreis cantum huiusmodi fuisse celebratum, viris, feminisque aliquando simul cantantibus. Sed credibilene est, hanc totam canendi disciplinam a primis Christianis per plures orbis regiones diffusis fuisse reipsa observatam? Mihi sane vehementer displicent choreae illae quantumvis *moderatae variis flexibus, et* *refle-*

reflexibus, neque adducor, ut credam, Apostolos eas instituisse. At enim, inquiunt aliqui, nihil mirum est, si Iudaei recens ad fidem conversi morem suum pristinum retinerent. Verum ubinam est hic mos priscus Iudaeorum, aut quo pacto fuisse unquam ostenditur, eo nempe ordine, quem Philo describit?

29. Quid quod hoc vivendi genus a *Graecis*, atque *Barbaris* receptum Philo commemorat? concentum musicum, et consuetudinem alternis canendi communem fuisse apud nascentis Ecclesiae Christianos nemo erit, qui affirmet; plerique etiam negabunt, primo illo tempore usquam extitisse. Quo loco miror, Nicephorum Callistum (1) summis viribus contendere, Philonem de Therapeutis fuisse locutum, cum ipse posteriorem originem alterni concentus agnoscat (2) „: Morem autem „ antiphonorum, hoc est, alternis per responsionem carmi- „ num concinendorum Ecclesia antiquitus jam inde ab Apo- „ stolis accepit. Divinum namque Ignatium ... visionem „ novam vidisse ferunt: Sanctos scilicet Angelos alternis, et „ sibi invicem respondentibus carminibus Sanctam Trinita- „ tem hymnis, et laudibus vehentes. Et ipse *primus* hanc „ concinendi formam Antiochenorum Ecclesiae dedit. *Unde* „ *quasi a fonte* in alias Ecclesias Dei omnes ejusmodi consue- „ tudo est propagata „. Enim vero si Christiani sub disciplina S. Marci, qui Neronis anno octavo decessit, consuetudinem a Philone expositam observabant, qui convenit dicere, S. Ignatium tertium post S. Petrum Antiochenae Ecclesiae Episcopum hunc usum primum induxisse, inde in omnes alias Ecclesias propagatum?

30. Nam si Philo suum Librum edidit anno aerae vulgaris 68., ut vult Montfauconius (3), sive ante annum 40., ut mavult Cl. Mamachius (4), ab initio Ecclesiae musica alter-

D

(1) Lib. 2. cap. 16.

(2) Lib. 13. cap. 8.

(3) In Notis ad lib. Philonis Gallice redditum.

(4) Lib. 1. Origin. Antiquit. Christ. p. 45.

na modulatio fere ubique invaluit, quod negat Theodoretus (1) „: Hi primi (Flavianus, et Theodorus, sive Diodo- „ rus Monachi) psallentium choros duas in partes diviserunt, „ et Davidicos hymnos alternis canere docuerunt; quod qui- „ dem tunc primum Antiochiae fieri coeptum inde ad reli- „ quos pervasit, et ad ultimos usque terrarum fines perla- „ tum est „. Eodem, ac Nicephorus, vitio laborat Cassianus, qui originem Monachorum Aegypti ab Anachoretis S. Marci discipulis repetit (2), et diversam prorsus psalmodiae rationem, causasque apud eos se animadvertisse profitetur.

31. Atque haec est communis opinio, modulationem vocis, consuetudinemque alternis concinendi in primo Ecclesiae fervore non innotuisse, ac psalmodiam tunc usitatam propiorem fuisse pronunciationi, quam cantui, quod S. Isidorus testatur (3): „ Primitiva autem Ecclesia ita psallebat, ut mo- „ dico flexu vocis faceret psallentem resonare itaut *pronun-* „ *cianti vicinior esset, quam canenti* „. Videtur id desumptum ex S. Augustino, qui nominatim morem Ecclesiae Alexandrinae, in qua potissimum Therapeutae viguisse dicuntur, sub S. Athanasio laudat (4): „ Tutiusquee mihi videtur, quod de „ Alexandrino Episcopo Athanasio saepe mihi dictum com- „ memini, qui tam modico flexu vocis faciebat resonare le- „ ctorem psalmi, ut *pronuncianti vicinior esset, quam canen-* „ *ti*„. Hanc sententiam amplexus est Martene (5): Constat „ primis Ecclesiae seculis, cum adhuc in venis Fidelium pro „ nobis effusus Christi sanguis ferveret, psalmos ita modi- „ co vocis flexu decantatos fuisse, ut *pronuncianti vicinior es-* „ *set psallens, quam canenti*; sed refrigescente postmodum „ charitate, ad excitandam Christianorum Fidem, et devo- „ tionem cum suavi vocis modulatione divina celebrari coepe-

(1) Histor. Eccl. Lib. 2. c. 19.

(2) Lib. 2. cap. 5. de Institut. Coenobior.

(3) Lib. I. de Offic. Eccles. c. 5.

(4) Lib. 10. Confession. c. 33.

(5) De antiq. Eccls. ritib. tom. 4. lib. 1. cap. 2. num. 50.

„ runt officia „. Nicephorus (1) ad tria secula hanc consuetudinem extendit „: Cum jam per tria a Christo nato secu-
„ la *simplex cantus*, sive potius *recitatio* nullo modulationis
„ fuco permixta Christi populos nutrivisset, ecce tibi Harmo-
„ nius quidam etc. „. Vide Marten. loc. cit.

32. Quae cum ita sint, persuasum cuilibet esse debet, aut Therapeutas non fuisse Christianos, aut in eorum coetibus describendis arbitrario Philonem plura confinxisse (*a*). Eusebius ipse Caesariensis etsi attestationi Philonis plurimum confidere videatur, qua is veritati penitus se devovisse confirmat, statim tamen dubitat, an nomen Therapeutarum, quo appellatos fuisse huiusmodi Monachos Philo asseverat, unquam fuerit a Christianis usurpatum, an a Philone primum inventum. Praeterea apparatus defensionis, quam adhibet Eusebius, qui primus, quod ego scierim, Philonem de Christianis esse locutum tradidit, satis per se declarat, fuisse jam tunc, qui inficiarentur, aut in dubium revocarent, nisi divinabat Eusebius, fore deinceps, qui secus essent judicaturi. Quamquam ut initio proposui, admodum credibile est, Philoni ante oculos Ecclesiam nostram Alexandrinam sub S. Marco vigentem obversatam fuisse, cum therapeutarum vitam, et conversationem enarrandam, ornandamque su-

(1) Lib. 9. Hist. cap. 16.

(*a*) Auctoritas Philonis non ejusdem est apud omnes ponderis. Neque ego huc afferam testimonium Scaligeri, qui ait (*cap.* 18. *Elench. tribaeres*), Philonem hebraici, et syriaci idiomatis imperitiorem fuisse, quam ullus Gallus, aut Scytha, et hoc omnia ejus scripta loqui; neque judicium R. Cudworth, qui contendit, eum ignorantissimum fuisse rituum hebraeorum. Propius ad veritatem accedunt Eduardus Bernardus (ad lib. 4. Antiquit. pag. 320.) *Hanc itaque Archaelogum forte an seduxit ars Philonis, cujus sub calamo grandescunt omnia, colliculique in magnos assurgunt montes*. Item Clericus (*ad Exod.* 29. *v.* 20.) *Plerumque fidiculis ad negotium suum, quidquid videtur, trahit*. Demum Hugo Grotius (*ad Matth.* 2. *vers.* 18.) *In moribus hebraeis Philo ipse Alexandrinus non satis certus est auctor*. Haec omnia expendit Fabricius *Bibliothec. Graec. lib.* 4. *cap.* 4. *pag.* 104.

scepit: tum quia plura refert, quae in ejus temporis Christianis emicabant, neque alibi, aut apud alios unquam tanto virtutis ardore, tantaque animi contentione fuerunt observata, tum quia hoc saltem tribuendum est auctoritati Eusebii, S. Hieronymi, Epiphanii, et aliorum, qui non solum opusculum Philonis de Christianis intellexerunt, sed addebant etiam causam, qua impulsus fuit Philo, ut eos scriptione sua collaudaret.

33. Traditum quippe fuerat, Philonem, Romae cum esset ad Claudium legatus, cum S. Petro consuetudinem habuisse, indeque in ejus gratiam Alexandrinos Christianos a S. Marco, quem Petri discipulum agnoverat, edoctos sub therapeutarum nomine laudibus extulisse. Ac Sanctus quidem Epiphanius in exemplar ejus operis, quod titulum de *Iesseis*, quasi a *Iesu* praeseferret, videtur incidisse: loquitur enim (1) de libro Philonis „ *quem*, inquit, *de Iesseis inscripsit*. Denique Sozomenus ad eamdem sententiam inclinat (2): „ Et Philo quidem cum ista ad hunc modum nar-
„ rat, *indicare videtur* Christianos sui temporis, qui ex He-
„ braeis conversi iudaico more vivebant, eorumque ritus
„ custodiebant. „ (a).

34. Ut ut haec sunt, hoc ad rem nostram pertinet, quod ad hymnorum usum comprobandum exemplum therapeutarum maximopere confert, si vere fuerunt Christiani; sin minus, illud certe constat, veteres Christianos, quibus opinio de therapeutis Christianis insederat, pro certo habuisse, consue-

(1) Haeresi 29. Nazaraeorum num. 4., et 5.

(2) Lib. 1. cap. 12.

(a) Mazochius in Expositione Calendarii Neapolitani *die* 25. Martii ex duobus Actorum S. Marci locis, quibus eum Ascetam fuisse dicitur, conjicit, fieri potuisse, ut *Iudaeorum therapeutarum plurimi Marci praeconio incitati ascetis evangelicae Institutionis adhaeserint, ex quo sensim, dissolutis therapeutarum societatibus, imo eisdem in Christi, et Marci nomen concedentibus, soli deinceps Marci ascetae viguerint, qui proinde cum illis prioribus mere Iudaeis ascetis confundi a sera posteritate coeperint*.

tudinem Deo hymnos metrice, ac rhythmice concinendi primo Ecclesiae tempore increbruisse. Singillatim Eusebius id annotat (1): „ Quae omnia vir ille (Philo) toties nominatus „ eodem plane modo, quo a nobis solis hodieque observan- „ tur, accurate notata scriptis suis tradidit: atque imprimis „ pervigilia magnae solemnitatis, piasque in iisdem exercitatio- „ nes, et *hymnos*, qui a nobis recitari solent, commemorat. Et „ quo pacto cum unusquisque modulate, ac decenter psal- „ mum canere exorsus fuerit, ceteri cum silentio auscultan- „ tes extremas dumtaxat hymnorum partes simul concinant „.

§. IX.

De aliis primi seculi Hymnis.

35. Quoniam vero ea, quae de therapeutis feruntur, non omnibus aeque certa sunt, inquirendum est, an alia monumenta suppetant, quibus Christianos primi seculi Dei laudes hymnis celebrare consuevisse demonstretur. Huc referri posset, quod ex Nicephoro *in superiori proximo* §. *num.* 29. excripsi, S. Ignatium Martyrem vidisse Sanctos Angelos alternis, ac sibi invicem respondentibus carminibus S. Trinitatem concelebrantes, ex quo ipse morem hunc invexit. Sed erunt, opinor, qui hanc narrationem certioribus documentis confirmatam velint; et cum S. Ignatius longissime vixerit ad Trajani usque tempora, mortemque subierit anno 110., definiri nequit, primone seculo, an secundo visio Angelorum, et origo alternae in hymnis concinendis modulationis acciderit. Libentissime locum darem Hymnis S. Hierothei, quos *Amatorios* vocat S. Dionysius Areopagita (2), atque adeo Libro de Hymnis, quem se scripsisse narrat (3), nisi valde dubitarem, an genuina sint opera S. Dionysii, quae ejus nomine circumferuntur; quidquid pro sententia affirmante

(1) Lib. 2. Histor. cap. 17.
(2) Cap. 4. De divinis Nominibus part. 2.
(3) Lib. 7. de caelesti Hierarchia cap. 7.

congerat Natalis Alexander (1), eruditissimus ille quidem Historicus, sed tam facilis in Gentiles suos, quam severus criticus in nationes extraneas. Hymnis S. Dionysii Areopagitae auctoritatem conciliant cum aliqui SS. Patres, qui ejus opera laudant, tum nominatim S. Damascenus, qui Hymnos Apostolorum ex Areopagita commemorat *de Dormitione Deiparae prope finem* „ Viso sacro corpore (Deiparae) placuit omnibus, „ prout quisque poterat, hymnis celebrare infinitam bonita- „ tem divinae potentiae „ Locus hic desumptus est ex *cap.* 3. *de Divinis nominibus*, ubi addit S. Dionysius, S. Hierotheum post Apostolos ceteris omnibns antecelluisse *Divini Hymnologi* laude insignem, et S. Timotheum hujusmodi *divinas Hymnodias* mente retinuisse. Sed longe ante de Praedicatione S. Jacobi in Hispania, quam negat Natalis, in Ecclesia mentionem factam constat, quam de S.Dionysii Areopagitae Operibus, quae idem asserere, et defendere conatur.

36. Multo efficacius, et luculentius antiquitatis monumentum extare nonnulli putant in celeberrima Epistola Plinii Junioris e Bithynia ad Trajanum missa; quae licet anno Domini 103. data fuerit, tamen *de solitis* Christianorum moribus, et conventibus loquitur, quos jam pridem in usu fuisse significat, et in quos ipse diligenter inquisierat etiam ante datae Epistolae tempus: proindeque ad primum Ecclesiae seculum consuetudines Christianorum a Plinio investigatae congruenter accomodari posunt. Ita ergo Plinius (2) „: Affirma- „ bant autem (christiani), hanc fuisse summam vel culpae „ suae, vel erroris, *quod essent soliti* stato die ante lucem „ convenire, *carmenque Christo* quasi Deo dicere secum invi- „ cem „. Objici nequit Plinio diligentissimo Judici, et Scriptori, quod ignoraverit, quid inter Christianos ageretur, aut quid vox *Carmen* significet. Aliqui dicunt, *Carmen*, de quo loquitur Plinius, nihil aliud fuisse, nisi hymnum Angelicum,

(1) Histor. Eccles. secul. I. cap. 12. artic. 15. et tota Dissertatione 22. ad secul. I.

(2) In Epist. 101. lib. 10.

sive orationem Matutinam *Gloria in excelsis Deo*, in quam cadit ratio *Carminis*. Nam *Carmen* antiquis dicebatur quaelibet oratio composita, et solemnis dictio, quamvis metrum abesset, quod Jo. Ludov. de la Cerda *Eglog. V. ad vers.* 45. probat. Ex quo tantum colligo, adhibitos jam tunc a Christianis Bithyniae Provinciae fuisse hymnos metricos, vel saltem rhythmicos, aut alio quovis artificio in Jesu Christi laudem compositos (*a*), et alternis cani consuevisse, quod exprimitur verbis illis *secum invicem*. Quod autem ait, Carmen *dicere*, fortasse confirmat, psalmodiam, hymnodiamque in Ecclesiae initio pronunciationi, quam cantui fuisse viciniorem.

37. Neque alienum erit ab hoc loco de Constitutionibus Apostolorum mentionem facere, non quod eas ab Apostolis, aut a Sancto Clemente editas putem, sed quia ab ipso Sancti Epiphanii tempore nonnullam auctoritatem habuisse constat; et cum neque de auctore, neque de aetate liqueat, ad primum seculum, cui multi eas adscripserunt, commode referentur. Observatum est *Canone* 13. *Concilii* 4. *Toletani* supra exposito, hymnum *Gloria in excelsis Deo etc.* ab Angelis incoeptum ab homnibus fuisse absolutum: Hic igitur Hymnus in constitutionibus Apostolicis aliquo verborum discrimine reperitur (1) „ Oratio Matutina. Gloria in excelsis Deo, et „ in terra pax, in homnibus bona voluntas. Laudamus te, „ hymnis celebramus te, benedicimus te etc.. Et rursus (2): „ Oratio vespertina. Laudate pueri Dominum; laudate no„ men Domini. Laudamus te, hymnis celebramus te etc.„. Berno Abbas (3) asserit, hunc hymnum a S. Telesphoro, qui

(*a*) Ioannes Laurentius Moshemius sibi persuaserat, ac defenderat, Carmen Christianorum, de quo loquitur Plinius, non fuisse verum, ac proprium *Carmen*. Prodiit Dissertatio *Tom. V. Miscell. Lips.* inserta, qua opinio contraria suadetur. Ejus rationibus permoveri visus est Moshemius, et priorem suam sententiam non quidem penitus abjecit, quod difficillimum est, sed certe dubiam esse pronunciavit. *Biblioteque des Sciences Tom. I. p.* 161.

(1) Lib. 7. cap. 47.

(2) cap. 48.

(3) De officio Missae cap. 3.

obiit anno 152., prius auctum, et a S.Symmacho, qui decessit anno 498., fuisse completum (a).

38. Notissimus erat hic hymnus, cum S. Athanasius, sive quivis alius Auctor antiquus scribebat Librum *de Virginitate*: „ Matutino autem tempore hunc psalmum dicite: Deus „ Deus meus ad te de luce vigilo; sitivit te anima mea; di- „ luculo autem: Benedicite omnia opera Domini Domino. „ Gloria in excelsis Deo, et in Terra pax, in hominibus bo- „ na voluntas: laudamus te, benedicimus te, adoramus te, „ et reliqua „. De altero Hymno, cujus meminit Concilium Toletanum, *Gloria Patri etc.* copiosius disputabimus §. XXXI., cum inter Hymni conficiendi regulas de extrema clausula sermonem instituemus. Constitutionibus Apostolicis succedat Epitome Clementina de gestis S. Petri (1), ubi mentio fit hymnorum, quos S. Clemens populo praecinebat. Sed quam fidem mereantur hujusmodi opera, quae S. Clementi olim tribuebantur, norunt Eruditi; quod vero ad hymnorum cantum spectat, certe rem narrant neque absurdam, neque incredibilem. Denique duos celeberrimos hymnos, Trisagium *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis etc.*, et hymnum vespertinum *Lumen hilare* ad Apostolorum tempora referendos esse, opinatur Nicephorus (2) „: Tersanctum porro, carmen id, ut „ apparet, et mihi videtur, jam inde ab Apostolis, etiam an- „ te Theodori Junioris, et Procli Patriarchae tempora per ma- „ nus Ecclesiae Christi traditum est: sicut et cantilena illa „ *Lux hilaris* pro atque ad Amphilochium in triginta Capitu- „ lis magnus testatur Basilius„. De Trisagio, ejus origine, et additamento *Qui crucifixus est pro nobis* accurate disputat Aloysius Assemanus (3).

(a) Videri potest de hoc Hymno Petrus Le Brun *in Explicat.Missae Tom. I. Part.* 2. *Art.* 3., et Benedictus XIV. *de Sacrificio Missae Lib.* 2. *cap.* 14.

(1) Tom. I. SS. Patrum Apostolicorum num. 153.

(2) Lib. 18. cap. 51.

(3) Tom. XI. Codic. Liturg. pag. 281.

§. X.

§. X.

Argumenta hymnodiae Ecclesisticae Seculi secundi.

39. Ad seculum Ecclesiae secundum si veniamus, non quidem multa, sed nonnulla tamen occurrunt, quae primae Ecclesiae consuetudinem in sacris hymnorum cantionibus comprobant. Martyrium S. Ignatii ex Actis authenticis habetur apud Ruinart, et in secundo tomo Patrum Apostolicorum. In iis Actis (1) haec leguntur: „ Atque dicitur quidem, „ quod post Viri per martyrium consummationem, cum lugerent illius privationem ii, qui Romae erant fideles, et „ nullam omnino acciperent doloris consolationem, vacarent „ vero sepulchralibus Hymnis, ac vigiliis, ipse in somniis „ apparens, et eos quasi amplectens, qui scilicet seipsos „ prius praebuerant dignos illius consuetudine, luctum eis „ effecit facilem, ac leniorem „. Id non multo post primi seculi initium contigit, et Acta non longe inde litteris consignata fuisse manifestum est: quod ideo animadverto, quia si narrationis veritas forte vacillet, persuasio saltem scribentis ad usum hymnorum suffragetur.

40. Baronius (2) ex Libro de Romanis Pontificibus (a) refert, Sixtum constituisse, „ ut Missarum actionem Sacerdote „ incipiente populus hymnum decantaret: *Sanctus*, *Sanctus* „ *Dominus Deus Sabaoth* etc. „. (3) Ex eodem Libro, Telesphorum statuisse „, ut ante Sacrificium diceretur Angeli- „ cus hymnus *Gloria in excelsis Deo etc.* „. Circa id tempus florebat Justinus Martyr, et Philosophus dictus, cujus marty-

E

(1) Cap.25.

(2) Ad annum 142. num.12.

(a) Liber Pontificalis falso creditus est olim S. Damasi. Institutio, quae ab eo tribuitur S. Sixto, a Bonizone Sutrino Episcopo Sancto Clementi Papae adjudicatur: ita etiam, quod de Telesphoro tradit, alii de Symmacho, alii de S. Hilario narrant. Res ambigua est, et incerta.

(3) Ad annum 154. num.2.

rium contigit anno 165. (*a*). Is ergo *in Oratione ad Antoninum Pium* ita ait „: Rationalesque pompas, et hymnos celebramus, atque decantamus „. Et alibi (1) cantum Ecclesiasticum moderatum laudat „. In Ecclesiis non usus carminum „ per ejus generis instrumenta,et alia insipientibus congruen- „ tia receptus est, sed simplex cantio in eis manet. Excitat „ haec cantio cum voluptate quadam animum, et flagrans „ ad ejus, quod carmine celebratur, desiderium „. Quid plura? Hymnum in Dei laudem ex oraculo nescio quo extortum servasse plurimos, memorat idem Justinus (*b*),

41. Prope finem hujus seculi, nimirum sub Victore, et Zephirino Pontificibus, vivebat Auctor, ex quo id excerpsit Eusebius (2) „: Psalmi quoque, et cantica (*odae* graece, „ quae carmina sonant) fratrum *jam pridem* a fidelibus con- „ scripta Christum Verbum Dei concelebrant, divinitatem „ ei tribuendo „. (*c*) Quod non nisi de novis hymnis metri-

(*a*) S. Justini Liber inscriptus *Psaltes* intercidit: ignoratur ejus argumentum, sed fortasse hymnos, aut quid simile continebat.

(1) Quaest. 107.

(*b*) In cohortatione ad Graecos sub finem: „ Si qua autem vobis „ obstrepit dubitatio, quominus „ fidem hominis creationi adhibea- „ tis, iis credite, quos adhuc „ audiendos putatis,et scitote ora- „ culum vestrum, cum a quodam „ rogatum esset, ut hymnum in „ Deum Omnipotentem ederet, „ sic in medio hymno dixisse: „ *Qui primum Mortalem Hominem effinxit, Adamque vocavit*. Atque hunc hymnum a „ multis, quos novimus, ser- „ vari contingit „. In quadam veteri editione male redditur: *A multis e vestris* pro *a multis, quos novimus*. Idem paulo ante: „ Credite Sybillae antiquissimae, cu- „ jus libri per totum orbem ser- „ vantur afflatu divino proditi „. Erant enim magno in honore apud plures veteres Christianos Sybillina carmina, ex quo *Sybillistae* vocabantur, teste Origene *lib. 5. contra Celsum prope finem tom. 2. oper. edit. Paris.* 1619. „ Facit etiam „ (Celsus) mentionem nescio quo- „ rum Sybillistarum, fortasse quod „ audierat, a quibusdam impro- „ bari eos, qui Sybillam Prophe- „ tidem existimant, notarique „ Sybillistarum nomine „.

(2) Lib. 5. cap. 28.

(*c*) Photius *cap.* 48. hunc Scriptorem vocat Gajum Presbyterum, Nicephorus *lib.* 4. *cap.* 21. Auctorem ignotum esse putat, librum appellat *Parvum Labyrinthum*,

cis vel rhythmicis toto saltem secundo seculo usurpatis intelligi valet. Congruit Tertullianus ejusdem ferme aetatis (1) „: „ Coena nostra de nomine rationem sui ostendit; vocatur „ enim *agape*, id quod dilectio apud graecos est etc.. Post „ aquam manualem, et lumina ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium „ Deo canere „. Et (2) de Conjugibus Christianis: „ Sonant „ inter duos psalmi, et hymni, et mutuo provocant, quis „ melius Deo suo canet. Talia Christus videns, et audiens „ gaudet „.

42. Neque separandus est ab hoc seculo Clemens Alexandrinus, quamvis primos tertii seculi annos attigerit: qui (3) de canticis Christianorum testificatur „. Hic est mons Deo „ dilectus, mons sobrius, castis umbrosus materiis ... In eo „ autem bacchantur non fulmine ictae Sorores Maenades, „ quae in incesta visceratione carnium initiantur; sed Dei „ filiae pulchrae agnae, quae veneranda Verbi orgia concelebrant, chorum moderatum congregantes: chorus sunt justi, canticum est hymnus Regis omnium: psallunt Puellae, „ gloria afficiunt Angeli, Prophetae loquuntur, editur sonus musicus ... Si velis, tu quoque initiare: et chorum duces cum Angelis circa eum, qui est ingenitus, et ab interitu alienus, et qui solus est vere Deus: una nobiscum canente Verbo Deo „. Et (4) alludens ad usitata Graecorum convivia, in quibus post potum vel omnes alternis, vel aliqui soli canere consueverant, ad modestiorem cantum in conviviis Christianos hortatur „: Haec est gratiosa, et jucunda

E 2

cui adhaeret ex Theodoreti opinione Valesius in Notis ad Eusebium, addens, de his Hymnis in honorem Jesu Christi locutum Hippolytum in oratione de Consummatione Mundi in fine. Eodem, ut videtur, pertinet, quod ait Constantinus in Oratione ad Sanctorum coetum cap. 12. *Proinde hymni, psalmique, et laudes inspectori omnium Deo post haec canuntur.*

(1) Apologet. cap. 39. n. 6.
(2) Ad uxorem lib. 2. cap. 9.
(3) Orat. hortatoria ad Gentes.
(4) Lib. 2. Paedogog. cap. 4.

„ nostra comessatio . Et si ad lyram , et ad citharam canere ,
„ et psallere noveris, nulla in te cadet reprehensio . Hebraeum
„ justum Regem imitaberis ... Quemadmodum autem ante-
„ quam sumamus alimentum , laudare nos convenit factorem
„ universorum: ita etiam in potu nos decet ei psallere ... Ve-
„ rum amatoria quidem procul absint cantica . Sint autem
„ cantica Dei laudes .... Sunt autem admittendae modestae ,
„ et pudicae harmoniae ; a forti , et nervosa nostra cogita-
„ tione vere molles, et enervatas harmonias amandando quam
„ longissime etc. „ .

43. Non me praeterit , tum hunc locum Clementis Alexandrini , tum alterum Tertulliani *ad Uxorem* intelligi debere non de cantu Hymnorum Ecclesiastico , sed de cantu privato in domibus Christianorum . Verum utrovis modo aeque compertum est , primos Christianos novis hymnis , sanctisque carminibus Deum , ac Christum solitos fuisse canere , ac celebrare . Id in conventibus Christianorum Ecclesiasticis factitatum Auctor est Lucianus , cui tribuitur Dialogus *Philopatris Mors* inscriptus . Fabricius (1) putat , Doxologiam fuisse *Odam* Christianorum *polyonymon* , cuius meminit Lucianus . In Luciano solum legitur = ἐπὶ παννυχοῦς ὑμνῳδίας ἐπαγρυπνοῦντες = quod recte vertas : *Ad hymnos tota nocte concinendos vigilantes* . De Hymnis quoque Ecclesiaticis mentionem facit Clemens Alexandrinus (2) hymnum Christo servatori exhibens , quem ex iis , qui metro alligati extant , existimo esse antiquissimum . „ Quoniam autem Paedago-
„ gus nos duxit in Ecclesiam , ipseque sibi ipsi , verbo , in-
„ quam , quod docet , et omnia considerat , assidet , bene
„ habuerit , si nos cum in hoc loco simus , justae gratiarum
„ actionis mercedem pulchrae paedagogiae convenientem lau-
„ dem Deo offeramus „ . Deinde incipit : = *Hymnus Christi Servatoris* = ex quo paucos versiculos seligo „ - *Pueros congre-*

(1) Bibliograph. Antiq. c .xi. (2) In fine lib. 3. Paedagog. num.13.

gn - Ad sancte laudandum - sincere canendum - ore innoxio - - Christum puerorum Ducem - . . . . - Hymnos veraces - Regi Christo - Canamus simul - Canamus simpliciter - Psallamus simul Deum Pacis : = (*a*) .

44. Aliam hic excitant quaestionem nonnulli, in quibus est Valesius (1), contendentes, non fuisse carmina in Dei laudem a Christianis composita usque ad Antoninorum tempora post dimidiatum seculum secundum; quo nimirum tempore Philosophi, Virique litterati fidem Jesu Christi amplecti coeperunt. Quo tamen id argumento conficiunt? Quamve dant responsionem Plinii, aliorumque auctoritatibus, quibus sacrorum carminum usus apud Christianos antiquior Antoninis adstruitur? Nam vel illi ipsi, qui imperantibus Antoninis, aut paulo post hymnos Christianorum laudant, rem veluti jam pridem fieri consuetam attestantur. Neque ulla oritur difficultas ex asserta ignorantia scriptorum Apostolicorum in humanis scientiis. Primum quia adeo est naturae humanae consentaneum carminis cantu delectari, ut etiam indocti aliqui in sua quisque lingua versus rudi saltem minerva effundant. Recte S. Chrysostomus (2): „ Nihil animam aeque erigit . . . ut versus modulatus, divinum canticum numero compositum. Nostra certe natura usque adeo delectatur canticis, et carminibus, et tantam cum eis habet necessitudinem, et convenientiam, ut vel infantes ab uberibus pendentes, si fleant, et afflictentur, carminibus sopiantur . . . Hoc autem faciunt mulieres, et viatores, et agricolae, et nautae etc. „. Quamobrem sine ulla dubitatione ab aliquibus primis Christianis etiam non admodum

(*a*) Fabricius *Bibliogr. Antiq. cap.* XI. *n.* 13., et Biblioth. Graec. *lib.* 5. *par. prim. c.* 1. §. 21. consentit, hymnorum Ecclesiasticorum, quotquot extant, antiquissimum esse hunc Clementis Alexandrini, ac nescire se dicit, qua fide Cangius in Appendice ad Glossarium Graecum *pag.* 123. voce *lychnicon* Antigeni (Athenogeni forte) Martyri Clementis aequali eum tribuerit. De hymno S. Athenogenis, ejusque aetate vide §. XI. *n.* 47.

(1) In notis ad Eusebii histor. lib. 2. cap. 17.

(2) Homil. in Psalmum 41.

doctis carmina in Christi honorem compingi potuerunt, quibus pulcherrimas certe sententias includerent.

45. Deinde ex historia Ecclesiastica liquido patet, ab Apostolis, virisque Apostolicis plurimos e Graecis, Latinisque, quorum nobilitas, scientiaque laudatur, ad religionem christianam fuisse conversos (*a*), qui sin minus Phisophorum nomen obtinuerunt, non propterea artem condendi carminis ignorasse omnes censendi sunt. Notum est, quem fructum tulerit Apostolus Paulus ex Areopago (1) ,, : Quidam vero viri ,, adhaerentes ei crediderunt: in quibus et Dionysius Areo- ,, pagita, et mulier nomine Damaris, et alii cnm eis ,, . Imo S. Paulum, antequam nomen Christo dedisset, Tarsi, et Hierosolymae insigniter fuisse philosophatum multorum est sententia: eum a poetarum lectione non omnino abhorruisse ipsius Epistolae demonstrant. Ac de Patribus Apostolicis, quorum extant opuscula, et tamquam humanae sapientiae expertia a quibusdam traducuntur, non absurde affirmari potest, eos litteras profanas non tam ignorasse, quam contempsisse. Plinius in memorata Epistola ad Trajanum multos omnis ordinis homines Religioni Christianae adhaesisse conrfirmat ,, : Multi ,, enim, ait, omnis aetatis, *omnis ordinis*, utriusque sexus ,, etiam vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim ,, civitates tantum, sed vicos etiam, atque pagos superstitio- ,, nis istius contagio pervagata est ,, . Nihil igitur est causae, quamobrem ante Antoninos neminem fuisse in Ecclesia dicatur, qui sacris carminibus condendis operam dare arte, et doctrina adjutus potuerit.

(*a*) Longa horum series texi posset: satis sit nominare Corneium Centurionem, Josephum nobilem Decurionem, Nicodemum, Gamaliel Pharisaeum, Lazarum cum Sororibus Maria, et Martha, Jairum Principem synagogae, Regulum, seu Principem Capharnaum, turbam Sacerdotum Judaeorum, ut in Act. Apost. cap. 5., et 6. refertur, Flavium Clementem Domitiani Patruelem, ejus Uxorem Flaviam Domitillam. Confer Ansaldium *De multit. vet. Christ.* Lamium *De Erudit Apost.*, et Sebastianum Pauli *de Poesi SS. PP. primorum seculorum*.

(1) Actor. cap. 17. vers. 34.

§. XI.

Monumenta tertii Seculi pro Sacris hymnis Christianorum.

46. Quo magis a primorum temporum obscuritate recedimus, uti aliis in rebus, ita etiam in hac, quam prae manibus habemus, de hymnis Ecclesiasticis tractatione ampliora suppetunt documenta, latiorque proinde pateret disserendi campus, si foret operae pretium. Sed quo certior veritas apparet, eo minus nobis est allaborandum; nisi quod cum non modo usus hymnorum invaluerit, verum irrepserit quoque abusus, sive corruptela, hac ex parte novae controversiae excitabuntur. Igitur Dionysius, non ille Areopagita, sive mavis, Scriptor *Caelestis Hierarchiae*, et de *Divinis nominibus*, ut male asseruit Cardinalis Bona (1) deceptus nominis similitudine, sed alter ab Alexandriae Episcopatu dictus Alexandrinus, qui circa annum 250. florebat, Nepotem Episcopum Aegyptiacum, quamvis cum Chiliastis, seu Millenariis sentientem refellat, laudat tamen jam vita functum propter quosdam psalmos, quos ediderat, quosque adhuc populus decantabat, ut cernere licet in ejus verbis apud Eusebium (2) ,, : Quamquam non modo pro multis aliis rebus Nepotem amplector, et diligo, ut pro fide, pro studio in doctrina posito, pro assidua in Scripturis exercitatione, *pro nonnullis quoque psalmis, et hymnis ab eo compositis*, quibus hucusque nonnulli fratres libenter utuntur etc. ,, .

47. Sub idem tempus virtute, et sapientia eminebat S. Cyprianus, cujus, ut aliqui volunt, est Hymnus *de Pascha Domini*, qui tamen aliis quoque tribuitur (3). Ipse quidem S. Cyprianus (4) laudibus effert cantum Ecclesiasticum, et modos

(1) Lib. Divinae Psalm. cap. 16. §. 9. num. 2.

(2) Histor. lib. 7. cap. 19.

(3) Labbè de Script. Eccles.

(4) de Oration. Domin.

musicos videtur approbare in sobriis Christianosum conviviis (1): „ Sonet psalmos convivium sobrium; et ut tibi tenax „ memoria est, voce canora aggredere hoc munus ex more: „ magis charissimos pasces, si sit nobis spiritualis auditio, „ prolectet aures religiosa mulcedo „. Sub Diocletiano Sebaste in Armenia martyrio coronatus est S. Athenogenes (2), a quo hymnum discipulis suis relictum scribit S. Basilius (3) „. „ Quod siquis etiam novit Athenogenis hymnum, quem tamquam aliud aliquod valedictionis munus discipulis suis reliquit ... is novit et Martyrum sententiam de Spiritu (sancto) „. Cl. Franciscus Antonius Zacharias in Bibliotheca Rituali (4) S. Athenogenis meminit, eumque Clementi Alexandrino supparem fuisse existimat. Hymnus Graecorum: *Lumen hilare sanctae gloriae*, qui legitur in Bibliotheca Graeca Fabricii (5), et alius *Gloria in excelsis Deo*, prorsus distincti apparent ab hymno Athenogenis, de quo loquitur S. Basilius, licet nonnulli aliter sentiant.

48. Viguisse autem hoc seculo consuetudinem hymnos recens compositos in Ecclesia decantandi non aliunde efficacius ostenditur, quam ex eo, qui eam tollere aggressus est, Paulo Samosateno. Ac vide singularem hominis audaciam, intolerandamque impudentiam; qui cum Episcopus esset Antiochenus, hymnos in Ecclesia probatos, et in Dei laudem cani solitos tamquam recentiorum auctorum rejecit, alios vero penitus novos, impiosque subrogavit in suam laudem a mulierculis in sancto Ecclesiae coetu decantandos. Bene habuit, quod Synodus Antiochena anno 269. inchoata, et anno 270. continuata effraenem haeresiarchae temeritatem repressit. Concilii nomine missa ad Dionysium Rom. Pontificem *Epistola Synodica* „ Porro, inquit, quid vobis in memoriam revocemus, quemadmodum psalmos, ac cantus, qui ad Do- „ mini

(1) ad Donat. in fine.

(2) Sollerius tom. 4. Sanctorum Junii pag. 216, et seq.

(3) De Spiritu Sancto cap. 29.

(4) lib. 2. c. 2. art. 1. ad ann. 196.

(5) tom. 5. pag. 195., & seq.

„ mini Jesu Christi honorem decantari solent, *tamquam re-
„ centiores, et a viris recentioris memoriae editos* exploserit, et
„ in media Ecclesia solemni Paschatis die mulieres, quae
„ inanes cantilenas, quas si quispiam audiret, plane exhor-
„ resceret, in ipsius (rectius, *suipsius* graece εἰς ἑαυτὸν) lau-
„ dem fundere pararit ? „

49. Arbitror equidem Paulo Samosateno non tam novitatem hymnorum ecclesiasticorum displicuisse, cum novas improbas cantilenas ipse cuderit, quam vetustatem dogmatum, quae iis cantibus celebrarentur, ejusque erroribus aperte repugnarent. Episcopi, qui huic Synodo interfuerunt, consuetudinem antea vigentem psalmos in honorem Domini nostri Jesu Christi a Christianis editos concinendi dilucide testantur. Convenerunt autem ex multis orbis partibus *Episcopi prope innumeri*, ut ait Eusebius (1), quamquam S. Athanasius (2) *Septuaginta* recenset; in Concilio vero Ephesino libellus supplex Basilii diaconi, et monachi 180. *Episcopos* fuisse commemorat. Sed cum sermo habitus fuerit de Paulo Samosateno, qui ecclesiastico hymnorum cantu impie abusus est, consentaneum erit, alios itidem Haereticos in medium proferre, qui suos errores hymnis concinendis proposuerunt, merito proinde a SS. Patribus objurgati.

§. XII.

Nonnulli Haeretici hymnis Ecclesiasticis male abutuntur.

50. Primus occurrit Valentinus, qui circa annum 153. Romam advenit, et Hymnis, sive Psalmis in vulgus sparsis suos errores instillavit; de quo Haeretico ita Tertullianus in scriptis reliquit (3): „ Sed omisso Alexandro cum suis syl-
„ logismis, quos in argumentationibus torquet, etiam cum
„ *Psalmis Valentini*, quos magna impudentia quasi idonei ali-

F

(1) Lib. 7. c. 29. (2) lib. de Synodis. (3) De carne Christi c. 17.

„ cujus auctoris interserit, ad unam jam lineam congressionem dirigamus „ et *cap.* 20. „ : Nobis quoque ad hanc speciem *Psalmi* patrocinabuntur *non quidem Apostatae*, *et Haeretici*, *et Platonici Valentini*, sed sanctissimi, et receptissimi „ Prophetae etc. „ Si haec duo Tertulliani capita legisset, aut attente considerasset doctissimus Cajetanus Maria Travasa, qui veterum haereticorum vitas litteris consignavit, non affirmasset, nesciri, quo in his Psalmis conficiendis respexerit Valentinus : „ Di così fatti salmi però, inquit (1), da „ Origine riguardati come componimenti di Valentino, nè egli, „ nè alcun'altro Padre ce ne ha conservata parola, donde possa „ trarsi argomento della lor qualità, e delle mire avute dall'Eretico loro autore „. Alexander Haereticus, quem Tertullianus refellit, ex Valentini Psalmis arguebat, Christum non fuisse *ex* Maria Virgine natum, sed *per* Mariam Virginem, neque humanum corpus assumpsisse : qui error a Valentino quoque traditus fuerat. Bardesanes, homo eruditus, et de fide, antequam ab ea deficeret, bene meritus, circa M. Aurelii Antonini tempora scripsit, ac veterum haereticorum erroribus novos ipse addidit. Filius Harmonius eumdem cum Patre funem duxit. Igitur Pater, et Filius, sive uterlibet, et ut probabilius videtur, solus Filius concinnam numerorum modulationem invexit, qua Syri hymnos ab ipso haeretice conscriptos decantarent. S. Ephrem Diaconus, ut Syros musicis modulis delinitos ab Harmonii haeresi ad veram fidem revocaret, eisdem numeris catholicas sententias inclusit; quo factum est, ut ab eo tempore in Syrorum Ecclesiis cantica S. Ephrem musicis vocum modulationibus celebrentur, et, ut multi opinantur, inde ad reliquas Ecclesias eadem consuetudo pervaserit. Quae cum antiqui Historici non eodem omnes modo referant, eorum verba exhibenda sunt, ut quid certius ex eis colligi valeat, legentibus appareat. Theodoretus (2) „ Et quoniam, inquit, „ Harmonius Bardesanis filius cantica quaedam olim compo-

(1) Histor. haeret. cap. 12. vitae Valent. (2) Lib. 4. Hist. cap. 29.

„ suerat, et modorum suavitati impietatem admiscens au„ dientium animos demulcebat, et ad exitium pertrahebat; „ ipse Ephraim modorum compositionem ab illo mutuatus „ pietatem canticis permiscuit, et suavissimum simul, ac uti„ lissimum medicamentum audientibus exhibuit. Atque haec „ cantica festos Martyrum dies laetiores, ac splendidiores „ etiam nunc efficiunt „. Consentit his Sozomenus (1) „: „ Ephraim vero cum Syros et verborum elegantia, et modu„ lationis concinnitate delinitos videret, eaque ratione paula„ tim adduci, ut idem cum Harmonio sentirent, ipse grae„ cae eruditionis expers operam dedit, ut Harmonii nume„ ros intelligentia assequeretur: et juxta numeros scriptorum „ Harmonii alios composuit libros ecclesiasticae doctrinae „ consentientes. Cujusmodi sunt ea, quae in Hymnis, et „ encomiis sanctorum virorum sunt elaborata. Ex eo tempo„ re Syri juxta numeros canticorum Harmonii scripta Ephraim „ psallere solent „.

51. Paulo aliter rem narrat Nicephorus (2): „ cum jam „ per tria a Christo nato secula simplex cantus, sive potius „ recitatio nullo modulationis fuco permixta Christi populos „ nutrivisset, ecce tibi Harmonius quidam Bardesanis haere„ siarchae haereticus filius, mali corvi malum ovum cum sua „ prava dogmata musicis numeris includeret, et multi ex „ Syris propter verborum venustatem, et sonorum suavita„ tem demulsi paulatim haeresim imbiberent; B. Ephrem ea „ re cognita carmina catholicam fidem resonantia veneficis „ Harmonii versibus opposuit, clavo scilicet clavum tru„ dens. Ea itaque suavi vocum, sonorumque flexu accommo„ data Syris audienda praebuit, et canenda „. Haec ipsissima verba Martenius Nicephoro tribuit, ut innui supra *num.* 31., quae tamen ego minime reperire potui *loc. cit.*, ubi Nicephorus quidem de Harmonio loquitur.

52. Si alibi ait, post tria Ecclesiae secula Harmo-

(1) Lib. 3. cap. 16. (2) Lib. Histor. 9. cap. 16.

nium suos versus condidisse, fallitur certe, et in eumdem errorem traxit Cardinalem Bona (1), cum ex historia constet, Bardesanem Harmonii patrem seculo secundo vixisse. Jam Acta Sancti Ephrem syriace edita, et latine reddita (2) affirmant, S. Ephrem operam versibus sacris dedisse „ contra „ molles, diversasque cantiunculas Bardesanis, qui cen„ tum, et quinquaginta cantus harmonicos elucubravit. „ Argumentum carminum S. Ephrem eadem Acta indicant(3): „ docuitque odas sublimibus, spiritualibusque sententiis „ compactas de Christi Nativitate, Baptismo, Jejunio, Pas„ sione, Resurrectione, Ascensione, deque reliquis divinae „ illius dispensationis mysteriis, quibus adjecit alios hymnos „ de Martyribus, de Poenitentia, de Defunctis . . . docebat„ que modos musicos, et modulandi carminis leges. „ At enim cum S. Ephrem seculo 4. floruerit, et a S. Basilio diaconus ordinatus Juliani tempora attigerit, consequens est, ut longe postquam a Bardesane, vel potius a filio ejus Harmonio odae pravum dogma continentes fuerint compositae, eis catholicos hymnos S. Ephrem objecerit.

53. Fortasse insania concinendi modulos Harmonii tempore, ut fit, invalescebat, ac plures in exitium pertrahebat; cui malo ut occurreret S. Ephrem, ad carminis, ac musicae artis leges animum feliciter applicuit. Testatur Petrus Benedictus S. J. (4), in Oriente adhuc vigere consuetudinem cantandi hymnos a S. Ephrem elaboratos (*a*). Praeter Harmonii impietatem versibus expressam reprehenduntur quoque ab antiquis psalmi recentes Hieracis haeresiarchae, qui prope seculi 3. finem tum alia opera erroribus referta, tum, ut ait S. Epi-

(1) Divin. Psalm. cap. 16. §. IX. num. 2.

(2) Ex Vaticano codice Nitriensi tom. 3. operum editionis postremae Romanae.

(3) num. 33.

(4) In Praefat. ad ejus opera t. 2.

(*a*) „ Quis enim, ait, Christianarum gentium in Oriente „ coetus Chaldaeorum, Syrorum, „ Maronitarum, et Indorum compositos a S. Ephrem Hymnos non „ cantet? „.

phanius (1) *Psalmos etiam multos recentes confinxit* . Paulo post contigit schisma Meletianorum seculo 4. ineunte, quos narrat Theodoretus (2) solitos fuisse cum plausu manuum, et quadam saltatione hymnos concinere, necnon tintinnabula plurima simul funi appensa motu pulsare.

54. Sanctus etiam Athanasius, qui sola simplici psalmorum recitatione delectabatur, nimium molles Arii cantiones, et *ad Sotadis numeros* accommodatas acriter reprehendit (3): „ Quod ipse Arius in cantiunculis, et Thalia velut desperans „ effutivit„. Et rursus (4): „ Certe Arius pravae suae doctri- „ nae exponendae causa Thaliam conscripsit effeminatis, ac „ ridiculis modis, aegyptium nempe Sotadem imitatus „. Cui consonat Socrates (5): „ Porro sciendum est, Arium de „ opinione sua librum quemdam composuisse, quem Thaliam „ inscripsit. Est autem dicendi genus molle, ac solutum so- „ tadicis carminibus non absimile „. Idemque legitur in Sozomeno (6). His, aliisque similibus de causis Concilium Laodicenum, non sub Silvestro ante Synodum Nicaenam celebratum, ut multi existimarunt, sed post annum 360. Canone 59. statuit „ Quod non oportet privatos, et vulgares ali- „ quos psalmos (*a*) dici in Ecclesia, nec libros non canoni- „ cos, sed solos canonicos veteris, et novi testamenti „. Zonaras, et Balsamon hoc loco psalmos Salomoni falso adscriptos (*b*) intelligi arbitrantur; alii psalmos a privatis hominibus compositos, neque ab Ecclesia approbatos improbari pu-

(1) Haeresi 67. num.3.

(2) Lib. 4. haeret. fabul.

(3) Epistola de Decretis Nicaenae Synodi num.16. tom.1. Oper. p.174. edit. Maurin. Parisiis 1698.

(4) Epistola de sententia Dionysii num.6. pag. 194.

(5) Lib. 1. cap.9.

(6) Lib. 1. cap.21.

(*a*) Alii vertunt *psalmos plebejos*; ac posset aliquis interpretari prohiberi hymnos vernacule compositos, si lingua Graeca vulgi distincta erat ab eruditorum idiomate, quod de lingua latina nonnulli opinantur. Contrarium verius puto.

(*b*) Psalmi 18. Salomoni tributi graece, et latine editi sunt ad calcem *Adversariorum sacrorum* Ludovici de la Cerda, qui eos latine interpretatus est, notisque illustravit.

tant ; alii asserunt, hoc canone perstringi Apollinarem Laodicenum (*a*) haeresiarcham, qui psalmos quosdam confinxerat, ac vulgo hominum decantandos tradiderat (*b*). Sozomenus (1) reprehendit Apollinaristas, quod *praeter sacros hymnos ab Ecclesia institutos cantiunculas quasdam numeris adstrictas*, *quas Apollinarius excogitaverat*, *cantarent*. Qualiscumque tamen fuerit causa, mens eorum Patrum fuisse multis videtur, ut ad evitanda scandala solum sacra Scriptura legeretur. Verum contrarius plane erat usus Ecclesiae jam ab Apostolis acceptus, neque oportebat, ut penitus aboleretur, quando plurimae suppetebant rationes, quibus abusus, qui irrepserant, aut everterentur, aut correcti in meliorem formam redigerentur.

§. XIII.

Melodia ecclesiastica 4. seculo aucta, et propagata.

55. Quapropter sanctissimi illi homines, ac sapientissimi Patres, qui seculo 4., ac consecutis deinceps temporibus splendidissimum lumen rebus Ecclesiasticis attulerunt, receptum morem hymnorum, et modestam numerorum harmoniam summopere commendarunt (*c*). Ipse S. Athanasius, qui ce-

(*a*) Apollinaris, sive Apollinarius fuit Episcopus Laodiceae, non Phrygiae, ubi habitum fuit Concilium Laodicenum, sed Syriae. Distinguendus etiam est ab Apollinario professore Grammaticae, et poeta Christiano, qui fuit ejus pater. Filius rhetoricam docuerat, et uterque ab Ecclesiae communione olim segregatus fuerat, quod ad audiendum *hymnum in honorem Bacchi* a Gentilibus decantatum interfuerat. Ambo tamen ad Ecclesiam redierant post actam poenitentiam.

(*b*) Confer Bibliothecam Ritualem Zachariae *lib.* 2. *cap.* 2. *ad annum* 370.

(1) Lib. 6. cap. 25.

(*c*) Fabricius *Bibliograph. Antiq. cap. XI. num.* 13. allegat duas Dissertationes inter se contrarias, alteram Salomonis Ernesti Cypriani *de propagatione haeresum per cantilenas*; alteram Johannis Andreae Schmidii *de propagatione Religionis per carmina*. Argumentum primae offerre potuerunt, quae §. *Superiori* explanavimus, levi tamen negotio refellenda ex fere tota reliqua Dissertatione.

teroqui cantum propius accedentem ad recitationem praetulit, quique Sotadicos Arianorum modulos exagitabat, tamen usitatam in Ecclesiis psalmorum modulationem, et suavem melodiam egregie confirmat, causasque amplissime exponit in epistola ad Marcellinum (1): „ Quid causae autem sit, quod „ ejusmodi sermones cum modulatione, et oda psallantur, „ nequaquam praetermittendum est. Quidam enim inter nos „ simpliciores tametsi credunt, verba esse divinitus inspirata, „ arbitrantur tamen ob soni suavitatem, voluptatemque au„ rium psalmos cani... Quod itaque cum modulatione psal„ mi dicuntur, id non fit ex suavis concentus studio; sed si„ gnum est harmoniae cogitationum animae, harmonica „ lectio indicium est animae recte compositae, atque tran„ quillae etc. „.

56. Ac de Hymnis clare S. Gregorius Nyssenus (2) loquitur „Sermo autem per totam noctem circumsonans *in psalmis*, „ *hymnis*, *cantionibusque spiritualibus* tamquam flumen quod„ dam gaudii per aures omnium influens nos optime reple„ vit „. Gregorii autem Nazianzeni inter alia carmina de rebus sacris extant *Hymni ad Christum post silentium in Paschate versibus elegiacis* = *Hymnus ad Deum carmine anacreontico* = *Alius hymnus ad Deum versibus hexametris* = *Hymnus ad Christum versibus iambicis*. In carmine vero iambico 15., quod complectitur rerum definitiones quasdam, hymnodiam, psalmodiamque distinguit, et explicat (3): „ Modulata laus est „ hymnus, ut quidem arbitror; cum cantione psalmus est „ psalmodia „. Et rursus in *Carmine iambico de Virtute* prope finem concentum alternum praedicat:

Noctune, cernis, ut canat laudes Deo
Naturae uterque sexus oblitus suae,
Quot, quamque sancti? cernis Angelicum chorum,
Qui nunc simul, nunc vicibus alternis canit,

(1) tom.2. oper. pag. 798. num. 27. et seqq.

(2) In Orat. de festo Paschae.

(3) vers.145., et 146.

Partim deorsum positus, et partim supra
Sine fine summi concinens laudes Patris?

57. Prae ceteris insignis locus S. Basilii producendus est, quo S. Doctor alternam psalmorum modulationem, hymnorumque concentum, divisosque inter psallendum choros acriter defendit (1) „: Psalmos causantur [Adversarii], et modum „ melodiae, quo sit vetus apud nos immutata canendi con„ suetudo, et hujusmodi quaedam alia: de quorum illos „ praetextu pudere debebat etc.. Ad id vero, quod propter „ psalmodiam accusamur ... hoc habeo, quod dicam: quod „ videlicet, qui jam obtinuerunt ritus, omnibus Ecclesiis „ Dei concordes sunt, et consoni. De nocte siquidem popu„ lus consurgens antelucano tempore domum precationis pe„ tit ... *Et nunc quidem in duas partes divisi alternis succinentes* „ *psallunt* ... *Deinde uni ex his hoc munere dato*, *ut quod ca*„ *nendum est*, *prior ordiatur*, *reliqui succinunt* ... Horum gra„ tia si nos fugitis, fugietis simul et Aegyptios, fugietis Ly„ biam utramque, Thebaeos, Palaestinos, Arabes, Phoeni„ ces, Syros, et qui ad Euphratem habitant, et ut semel di„ cam, omnes apud quos vigiliae, aut preces, communesque „ psalmodiae in pretio sunt etc. Scire autem vos volo, quod „ optamus nobis, et vobis et virorum, et mulierum coetus „ dari (loquitur de Monachis)... quorum os non loqua„ tur opera hominum, sed hymnum concinat Deo nostro ... „ Sed ista dicitis temporibus Gregorii Magni non fuisse: ve„ rum neque litaniae, quas vos jam in usu habetis, illius „ tempore fuerunt.... Quod autem ea, quae facimus, sub „ admirando Gregorio in usu non fuerint, quibus testimo„ niis evincere poteritis „?

58. Profecto S. Gregorius Thaumaturgus Neocaesariensis Episcopus Synodo Antiochenae interfuit, qua, ut supra meminimus, consuetudo hymnos in honorem Jesu Christi canendi, quae in Ecclesiis vigebat, luculenter confirmatur. Quid?

(1) Epist. ad Neocaesarienses Clericos 63.

Quid? quod Eusebius Episcopus pariter Caesariensis hymnos in Ecclesia Therapeutarum ritu cani consuevisse paulo ante Basilii tempus affirmaverat? Quippe ex hoc capite Philonis Therapeutas fuisse Christianos Eusebius confirmat, cujus verba habes §. *VIII. num*. 34. Sedulo tamen est animadvertendum, praeter illum canendi ritum, quem Eusebius statuit, duos alios Therapeutas adhibuisse, nimirum quod in choros segregati alternis succinerent, quodque aliquando eorum unus hymnum inciperet, quem subinde ceteri pergerent decantare. Exempli loco esse potest tum alterna modulatio stropharum in choris nunc usurpata, tum solitus cantus Hymni *Pange lingua gloriosi* in expositione Ven. Sacramenti, cujus primum versum Presbyter orditur, ac reliquam deinde stropham totus populus continenter ad finem perducit.

59. Quod enim uno tantum canente universa fidelium congregatio extremam clausulam succineret, id intelligi potest ex Cassiano (1), qui asserit, psalmos quandoque consummari *sub Alleluja responsione*, vel ex Concilio Agathensi (2), ex quo habetur, orationes, sive conclusiones quasdam post hymnos, ac psalmos a solis Episcopis, seu Presbyteris recitatas fuisse, quibus finitis bis *Amen* cunctus populus respondebat (3). Aliam item canendi rationem antiquitus usitatam ex S. Augustino (4) explicat V. Cardinalis Thomasius, nimirum, quod Presbyter partem etiam brevem versus, ut *Judica me Domine*, caneret, ut ita facilius eam memoria retinentes Fideles cantu repeterent, atque hoc demum pacto psalmus a Presbytero praecinente, et Populo eadem verba repetente cantaretur. Ex quo perspici licet, a primis Ecclesiae seculis in usu fuisse totam hanc canendi varietatem, quae modo observatur, quod aliquando unus tantum canit, aliquando omnes simul, nunc unus praeit, quem reliqui sequuntur, nunc vicissim,

G

(1) Lib. 2. de Inst. Coenob. c. 5.
(2) Anno 506. Canon. 30.
(3) Vide V. Card. Thomasium in Praefat. tom. 2. oper. in Psalmos.
(4) In psalmum 21. & tractatu 22. In Joannem num. 5.

et alternis duo chori concinunt, nunc unus primus cantat, quod repetunt alii, ac demum nonnunquam populus universus extrema clausula respondet, postquam Sacerdos continentem orationem, vel quid simile pronunciavit (a).

60. Sed olim non omnes hi ritus in omnibus Ecclesiis simul observabantur, cum alios aliae praeferrent, eisque solis insisterent. Ac modulatio quidem exigua, aut plane nulla in multis Ecclesiis initio personabat, cum saevientis persecutionis metu latentes Christiani neque locum, neque otium concentui musico idoneum possent nancisci, quemadmodum observatum reperio a S. Augustino (1): „ Numquid enim, „ quando fugiebant Christiani persequentibus inimicis idololatris fiebant congregationes, et jubilationes? Numquid concinebantur hymni de Ecclesiis Dei, qui solent in pace concini, dulcique concentu fraternitatis Dei auribus personari „? Quarto igitur seculo in Oriente primum, deinde in Occidente melodia ecclesiastica, ususque hymnorum potissimum invaluit.

(a) Alium canendi modum, quem ego hactenus non audivi, in funere S. Macrinae Sororis SS. Basilii, & Gregorii Nysseni usitatum video. In illius Vita S. Gregorius Nyssenus pompam funebrem describens ait „ Quae quidem pompa „ non carebat mysterio, cum a „ principio ad finem usque decantatio psalmorum eadem voce, „ *triplicique canentium ordine* absolveretur. „ Ubi tres choros fuisse intelligo non aliter ac *de Laconicis Institutis* Plutarchus memorat *T.2. p.238. edit. Paris.1624.* „ *Tres* „ *enim Chori erant* in festivitatibus „ *pro triplicis ratione aetatis*, quorum princeps senum sic canebat, „ *Olim juventutem nos strenuam* „ *egimus*. Cui respondebat virorum aetate vigentium chorus. „ *Fortes sumus nos: fac, si vis, periculum*. Tertius Puerorum cantabat. *Nos erimus his praestantiores plurimo* „.

(1) Tom. 4. edit. Venet. 1729. in psalm. 43. col. 374.

§. XIV.

Origo in Occidente musicae, et alternae modulationis hymnorum inquiritur.

61. Ex his autem, quae hactenus sunt exposita, satis, ut arbitror, constat, per universas fere Orientis Ecclesias harmoniam hymnorum incrementum accepisse. Reliquum est, ut de Ecclesiis occidentalibus sermonem modo instituam. S. Hilarius, et S. Ambrosius primi memorantur, qui hunc morem induxerint. S. Isidorus (1) id confirmat „: Hilarius autem „ Gallus, Episcopus Pictaviensis eloquentia conspicuus hy- „ mnorum carmine floruit primus. Post quem Ambrosius „ Mediolanensis Episcopus vir magnae gloriae in Christo, et „ clarissimus Doctor in Ecclesia copiosus in ejusmodi carmi- „ ne claruisse cognoscitur, atque inde hymni ex ejus nomi- „ ne *Ambrosiani* vocantur, quia ejus tempore primum in Ec- „ clesia Mediolanensi celebrari coeperunt: cujus celebritatis „ devotio posthac per totius Occidentis Ecclesias obser- „ vatur „.

62. Certe S. Hilarius ex Oriente in Occidentem reversus solemnem hymnorum cantum invexisse quibusdam videtur. De hoc sane cantu ipse loquitur (2) „: Audiat orantis populi „ consistens quis extra Ecclesiam vocem, spectet celebres hy- „ mnorum sonitus etc. „. Et alibi (3): „ Progressus Eccle- „ siae in matutinorum, et vespertinorum hymnorum dele- „ ctationes maximum misericordiae Dei signum est. Dies in „ orationibus Dei inchoatur, dies in hymnis Dei clauditur „. Et rursus (4): „ Nisi forte ... obscoenis illis spectaculorum „ turpium fabulis non amoenius divina illa humanae spei „ eloquia cantantur „. Auctor est S. Hieronymus (5), Hila-

(1) De officiis eccl. lib. 1. cap. 6.
(2) In psalm. 63. num. 4.
(3) In psalm. 64. num. 12.
(4) In psalm. 118. Lit. s. num. 14.
(5) Libro de Scriptoribus ecclesiasticis.

rium Librum (*a*) Hymnorum scripsisse; et *in Praefatione in Lib. 2. commentar. ad Galat.* ait, quod „ Hilarius latinae elo„ quentiae rhodanus Gallus ipse, et Pictavis genitus *in Hym„ norum carmine* Gallos indociles vocat „.

63. Georgius Cassander, et Georgius Fabricius nonnullos S. Hilarii Hymnos ediderunt. Hi vero sunt: Hymnus = *Beata nobis gaudia*, Hymnus = *Jesu Quadragenariae - Dicator abstinentiae*, Hymnus = *Jesus refulsit omnium*. Cl. Vitus Maria Giovinazzi commentarium parabat, quo ostenderet, Hymnum a Cassandro sine auctoris nomine editum, qui incipit *Hymnum dicat turba fratrum*, S. Hilario adjudicandum esse, (*b*) ut narrat Zacharias in Bibliotheca Rituali (1). In editione operum S. Hilarii Veronensi anni 1730. col. 529. solum legitur hymnus S. Hilarii filiae suae Abrae missus, qui incipit = *Lucis largitor splendidae*, ac laude Trinitatis terminatur, *Gloria tibi Domine*; necnon fragmentum alterius hymni, cu-

(*a*) Donatus Marra Augustinianus, qui vulgavit anno 1578. enarrationes in Hymnos Breviarii Romani, S. Augustini, Benedicti, Dominici, Francisci, et Carmelitarum, tradit in Praefatione, S. Hilarium, *ex multis Hymnis, quos alii composuerunt, utiliores elegisse, et in Ecclesia cantandos proposuisse*. Penes eum sit fides. Libentius assentiar Fr. Joanni Paulo Palanterio, Civitatis Aquiloniae Episcopo *Illustr. in Hymnos Ecclesiasticos Explanat. Bononiae* 1604. in 4. *in Praefatione*: „ Prudentis„ simum quemdam virum nomine „ *Hilarium* sequar, qui compendiose „ Hymnos videns jam compositos „ in unum collegit. „ Eadem fere repetam *num.* 146. *in not.* ex antiquiori auctore, Jacobo de Lora Hispano. Nihil praeterea aliud novi de hocce prudenti viro *Hilario*; quem post Prudentium, Sedulium, S. Ambrosium, S. Gregorium vixisse Lora declarat.

(*b*) Favet certe Juvenatio Hincmarus *Libro de non Trina Deitate*, qui affirmat S. Hilarii esse hunc versum: *Et refert fragmenta coenae ter quaternis corbibus*. Hic autem versus spectat ad Hymnum, cujus est initium: *Hymnum dicat turba fratrum*. Ubi Cassander male legit: *Et refert is fragmenta Coenae*. Benedictini Editores operum S. Hilarii negligentiae arguendi sunt, quod Hymnos S. Hilarii ex legitimis monumentis colligere omiserint.

(1) Lib. 2. cap. 2. art. 2. ad annum 354.

jus dictio S. Hilarii non videtur, ut ibidem asseritur. In Hymnario, quod edidit V. Cardinalis Thomasius (*tom. 2. oper. edit. Rom. pag.* 358.) habetur Hymnus S. Hilarii in Epiphania = *Jesus refulsit omnium etc.*

64. De S. Ambrosio multo plura hac in re supersunt documenta.. Praeclare S. Augustinus originem modulationis hymnorum in Ecclesia Mediolanensi exponit (1): „ Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudi-
„ nem consilii tui super salutem generis humani. Quantum
„ flevi in hymnis, et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae
„ tuae vocibus commotus acriter. Voces illae influebant au-
„ ribus meis, et eliquabatur veritas in cor meum, et exae-
„ stuabat inde affectus pietatis; et currebant lacrymae, et be-
„ ne mihi erat cum eis... (2) Non longe coeperat Medio-
„ lanensis Ecclesia genus hoc consolationis, et exhortationis
„ celebrare magno studio fratrum concinentium vocibus, et
„ cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius,
„ cum Justina Valentiniani Regis pueri mater hominem
„ tuum Ambrosium persequeretur haeresis suae causa, quae
„ fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Ec-
„ clesia mori parata cum Episcopo suo, servo tuo. Ibi Ma-
„ ter mea, ancilla tua solicitudinis, et vigiliarum primas te-
„ nens orationibus vivebat. Nos adhuc frigidi a calore spi-
„ ritus tui excitabamur tamen civitate adtonita, atque tur-
„ bata. *Tunc hymni, et psalmi ut canerentur secundum morem*
„ *orientalium partium*, ne populus moeroris toedio contabe-
„ sceret, *institutum est*; ex illo in hodiernum diem multis
„ jam, ac *pene omnibus* gregibus tuis, et per cetera orbis
„ imitantibus „.

65. Hinc colligere fas est, non tunc primum hymnos, et psalmos cani coepisse, sed novum canendi modum fuisse adhibitum; et hunc morem in Orientis partibus jam fuisse usitatum, ac *pene omnes* Ecclesias exinde pervasisse. Atque

(1) Lib. 9. Confessionum cap. 6. (2) Cap. seq.

ita explicandus est Paulinus (1) : „ Hoc in tempore primum, „ inquit, antiphonae, hymni, ac vigiliae in Ecclesia Me- „ diolanensi celebrari coeperunt. Cujus celebritatis devotio „ usque in hodiernum diem non solum in Ecclesia Medio- „ lanensi, verum *per omnes pene* Occidentis Provincias „ manet „. Apertius indicat Prosper Aquitanicus, non hymnos, sed modulos tantum in Ecclesiis Latinis tunc primum fuisse inductos (2) : „ Hymni Ambrosii compositi, qui „ nunquam ante in Ecclesiis Latinis modulis canebantur „. Huic opinioni favet Eustachius a S. Ubaldo, *Dissert. de cantu a S. Ambrosio in Ecclesiam Mediolanensem inducto*. Neque silentio praetereundum est, vocabulum *Antiphonarum*, sive *Antiphonorum* diverso modo ab antiquis fuisse acceptum, ac a modernis scriptoribus. Nam olim etiam hymni per *antiphonas*, sive *antiphona* cani dicebantur, cum alternae modulationis concentus adhibebatur, juxta proprietatem graeci nominis *antiphonos*, quod significat *contra sonans*, seu *respondens*. Quocirca antiphonarius canendi modus, alternusve hymnorum cantus distinguendus est ab Antiphonis, quae modo in officio ecclesiastico inseruntur, quaeque nihil aliud sunt, nisi quaedam sententiae, et piae particulae certis in locis dispositae, ac distributae; quarum usus quo tempore coeperit, nondum satis est compertum. V. Cardinalis Thomasius (3) ita Antiphonam definit, ut sit *Sententia intercalaris, quam Chorus choro alteri psallenti respondens intercinit*.

66. De carminibus autem suis loquitur S. Ambrosius (4): „ frustra hymnum virginitatis exposui, quo et gloriam pro- „ positi, et observantiam pariter decantares „. Et clarius „ (5) : „ Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum „ populum ferunt. Plane nec hoc abnuo. Grande carmen

(1) Vita S Ambrosii num. 13.
(2) In Chronico sub Theodosio.
(3) In Praef. ad Resp., et Antiph.
(4) Ad Virginem lapsam cap. 7.
(5) Sermone contra Auxentium de basilicis tradendis num. 34.

„ istud est, quo nihil potentius. Quid enim potentius, „ quam confessio Trinitatis, quae quotidie totius populi ore „ celebratur? Certatim omnes student fidem fateri, Patrem, „ et Filium, et Spiritum Sanctum norunt versibus praedi- „ care „. Quae verba ita nonnulli intelligunt, ut maximam hymnorum S. Ambrosii partem in praedicanda Trinitate versatam esse autument. Sed nihil id est necesse, cum satis sit, ut totius populi ore Trinitas quotidie celebretur, quod postrema hymnorum clausula in sanctissimae Trinitatis laudem referatur, quemadmodum hodieque fit, et in Hymno supra indicato S. Hilarii cernitur, atque in nonnullis S. Ambrosii similiter observatur. Nam ex quo tempore post singulos psalmos hymnus *Glorificationis* coeptus est apponi, pariter hymnis sacris in fine adjungebatur, ut distinctius explicabo §. XXXI. *num.* 229. *et seqq.*.

67. Verum quinam sint genuini S. Ambrosii hymni, haud in promptu est definire. Editores Maurini operum S. Ambrosii *tom.* 4. duodecim tantum hymnos tamquam veros S. Ambrosii agnoscunt (1). Hi autem S. Ambrosii esse probantur, quia eorum plures S. Augustinus allegat (2): alios Faustus Rhegiensis (3), et Cassiodorus (4). Auctor *sermonis de parturitione, et Purificat. B. M. Virginis*, qui falso S. Idelfonso adscribitur, cum sit opus Radberti, aut ejus seculi, refert primam stropham hymni duodecimi = *Fit porta Christi pervia etc.*. Nihilominus V. Cardinalis Thomasius ex Hymnariis antiquis plures alios S. Ambrosio adscribit, et hunc hymnum duodecimum aliter inchoat, videlicet = *A solis ortus cardine etc.*. Queritur, Maurinos omisisse hunc hymnum, cum eum, ut putat, S. Ildefonsus S. Ambrosio asseruerit, eosdemque redarguit, quia *auctoritate Sermonis de Parturit., et Purificat. B. M. V.* alium hymnum admiserint, hunc non admiserint.

(1) pag. 302., et seq.
(2) Lib. 1. Retractat. cap. 21., lib. 9. Confessionum c. 12., lib. 6. de Musica cap. 9., lib. de Natur., et Grat. c. 63.
(3) Ad L. Diaconum.
(4) In psalm. 74. v. 8.

Re tamen vera Maurini ex testimonio illius Sermonis admittunt hunc ipsum hymnum = *A solis orus cardine*, omisso hoc principio, quod ex alio hymno petitum est. Illud monere non pigebit, in Hymnariis etiam vetustis saepe hymnos commutato auctorum nomine, et strophis hinc inde translatis apparere, ac nonnunquam unum aliquem hymnum ex multis diversorum auctorum strophis esse compactum. Praeterea cum Hymni cujuslibet auctoris *Ambrosiani* fuerint appellati, magna inde rerum permistio, ac perturbatio nata est, atque adeo lapidem lydium adhibere oportet, ut Hymnos S. Ambrosii ab *Ambrosianis*, qui eum non habent auctorem, distinguamus. Ac fortasse ex isto *Ambrosiani* nomine error manavit, quod hymnus *Te Deum laudamus* a S. Ambrosio praecinente, et alternis respondente S.Augustino fuerit compositus. Quam opinionem plerique rejiciunt ut fabulosam; interea incertum est, quisnam verus illius Hymni auctor exstiterit (*a*). Verum Editores Maurini, qui saepe opera *Dubia*, et *Supposita* adscribunt, in hymnis edendis nimium parci, ac religiosi fuerunt; et testimonia Bedae, et Hincmari Rhemensis quosdam S. Ambrosii hymnos laudantium aut ignorarunt, aut contempserunt. Vide hujus Dissertationis §. XXX.

(*a*) Hujus hymni mentio antiquior alia mihi non occurrit, quam quae repeti potest ex Monasterio Lirinensi. Regula S. Caesariae, quae obiit circa annum 530. *apud Bolland. die* 12. *Januarii*, exhibet §.XI. *Ordinem quemadmodum psallere debeatis ex maxima parte secundum Ordinem Monasterii Lirinensis*, et ibi praecipitur, *In Solemnitatibus vero ipsis impletis Matutinis et hymnum dicant: Te Deum Laudamus*. Binghamus *Orig. sive Antiquit. Ecclesiasticarum lib.* 14. *cap.*2. §.9. censet, a Nicetio Episcopo Trevirensi, qui circiter annum 564. obiit, hunc Hymnum fuisse conditum. Sed antiquiorem illius originem agnoscimus ex laudata Regula S. Caesariae, quam exaravit ejus frater S. Caesarius, primum Monachus Lirinensis, deinde anno 502. Episcopus Arelatensis. Regula appellari solet S.Caesariae, vel S. Caesarii, et dicenda potius esset S. Caesarii ad S. Caesariam, cujus Arelatense Monasterium anno 512. absolutum est.

§. XV.

§. XV.

Quaenam fuerit S. Augustini de Hymnis, cantuque modulato sententia.

68. Postulat tamen hic locus, ut mens S. Augustini explanetur, ad novos hymnos quod attinet, concentumque musicum in Ecclesiis. Nam quidam opinantur, carmina humano ingenio composita ab ecclesiasticis conventibus eum rejecisse, cum ita contra Donatistas scripsit (1): „De hac re tam utili ad „ movendum pie animum, et accendendum divinae dilectio- „ nis affectum varia consuetudo est, et pleraque in Africa Ec- „ clesiae membra pigriora sunt: ita ut Donatistae nos repre- „ hendant, quod sobrie psallimus in Ecclesia divina cantica „ Prophetarum, cum ipsi ebrietates suas *ad canticum psalmo-* „ *rum humano ingenio compositorum* quasi ad tabulas exhorta- „ tionis inflamment „. At enim quis non videat, planeque sentiat, Donatistarum psalmos a S. Augustino improbari ea solum de causa, quod ad ipsorum cantum ebrietates eorum inflammarentur? Quis non intelligat, S. Augustinum non genus ipsum hymnorum ecclesiasticorum, sed Donatistarum insanias humano ingenio, et sensu numeris inclusas reprehensione dignas existimasse?

69. Aperta res est, si prae oculis habeantur tum ea, quae *proximo superiori* §. ex S. Doctore excripsimus, tum laudes, quibus Hymnos S. Ambrosii passim prosequitur. (2) „ In hoc „ libro dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo „ tamquam *in Petra* fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam can- „ tatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi „ de Gallo Gallinaceo ait: *Hoc ipsa Petra Ecclesiae-canente cul-* „ *pam diluit* „. (3) Eram in lecto meo solus recordatus veridi- „ cos versus Ambrosii tui = *Tu est enim Deus creator* o-

H

(1) Epist. 55. lib. 2. ad inquisitio- Jnesuanuarii num. 34.

(2) Lib. 1. Retract. cap. 21.

(3) Lib. 9. Retract. cap. 12.

„ *mnium* „. (1) Quem spiritum memoratus Episcopus etiam „ precibus impetrandum ... admonet ... ubi in hymno suo di- „ cit: *Votisque praestet sedulis = Sanctum mereri Spiritum* (2). „ Hunc nostri Gigantis excursum brevissime, ac pulcherrime „ cecinit Beatus Ambrosius in hymno, *quem paulo ante can- „ tastis*. Loquens enim de Domino Christo sic ait: *Egressus „ ejus a Patre = Regressus ejus ad Patrem = Excursus usque ad „ inferos = Recursus ad sedem Dei* „.

70. Et quamvis Maurini Editores in hoc sermone de Nativitate Domini non omnia sapere Augustinum affirment, et inter dubios eum reponant, tamen charactere majori illum distinguunt, qua nota eos sermones insigniunt, qui probabilius S. Augustini esse videntur. Deinde an ille sermo vere sit S. Augustini, hac ratione dubitant, quod S. Augustinus loco supra relato contra Donatistas hymnos humano ingenio compositos in Ecclesia non esse cantandos censuerit; quod quam a S. Augustini sententia sit alienum, abunde est demonstratum (*a*). Neque simile vero est, ut morem a Beato Ambrosio inductum, quem tantopere laudavit, ac *pene in omnibus occidentis Ecclesiis susceptum* pronunciat, ipse damnaverit, cum potius sit rationi consentaneum, ut in sua etiam Ecclesia, siquidem abesset, admiserit. Profecto vigilias non multo ante in sua Ecclesia inductas testatur (3): „ Istum tam sanctum „ locum, ubi jacet tam sancti Martyris (Cypriani) corpus, „ sicut meminerunt multi, qui habent aetatem, locum, in- „ quam, tam sanctum invaserat pestilentia, et petulantia sal- „ tatorum. Per totam noctem cantabantur hic nefaria, et can- „ tibus saltabatur. Quando voluit Dominus per fratrem no- „ strum Episcopum vestrum, ex quo hic coeperunt sanctae

(1) Lib. de Natur. et Grat. cap. 63.

(2) Sermone 373. tom. 5. part. 2.

(*a*) Relege §. *V. num.* 19. verba S. Doctoris: *Non solum non improbemus, sed etiam laudando, et imitando sectemur* etc. *maxime id, quod etiam de Scripturis defendi potest, sicut de Hymnis etc.*

(3) Sermone 311. n. 5. col. 1252.

„ vigiliae celebrari, illa pestis aliquantulum reluctata postea „ cessit diligentiae, erubuit sapientiae „.

71. En ut S. Augustinus nefaria quidem carmina condemnat, laudat tamen sanctas vigilias similes Ambrosianis, in quibus hymni sacri personabant. Dubium vero non est, quin S. Augustinus psalmodiam ad modulationis Mediolanensis musicum concentum instituerit. Immo quod (1) se adversus Donatistas psalmum, et hypopsalma fecisse testatur, quid aliud indicare potest, nisi quod improbis Donatistarum hymnis salutarem hymnum a Populo cantandum opposuerit? Fluctuabat tamen S. Doctor, subtiliter inquirens, praeferendusne esset harmonicae melodiae simplex cantus pronunciationi similis; et ut erat in dubitando acutior, quam confidentior in definiendo, ita quaestionem pertractat, ut vix intelligere valeas, quid tandem dijudicet.

72. Aliquanto longus est, totus tamen referendus ejus controversiae locus (2). „ Nunc in sonis, quos animant eloquia „ tua, cum suavi, et artificiosa voce cantantur, fateor, ali„ quantulum acquiesco non quidem, ut haeream, sed ut sur„ gam, cum volo ... *Aliquando* enim plus mihi videor honoris „ eis tribuere, quam decet, dum ipsis sanctis dictis religio„ sius, et ardentius sentio moveri animos nostros in flammam „ pietatis, cum ita cantantur, quam si non ita cantarentur, „ et omnes affectus spiritus nostri pro sui diversitate habere „ proprios modos in voce, atque cantu, quorum nescio qua „ occulta familiaritate excitantur. Sed delectatio carnis meae, „ cui mentem enervandam non oportet dari, saepe me fallit. „ *Aliquando* autem hanc ipsam fallaciam immoderantius ca„ vens erro nimia severitate: et valde *interdum*, ut melos om„ ne cantilenarum suavium, quibus Davidicum psalterium „ frequentatur, ab auribus meis removeri velim, atque ipsius „ Ecclesiae; tutiusque mihi videtur, quod de Alexandrino

(1) Retract. cap.20. lib. 1. vide Dissertat. hujus num.216. in Nota.

(2) Lib.10. Confess. cap. 33.

„ Episcopo Athanasio saepe mihi dictum commemini, qui „ tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, ut „ pronuncianti vicinior esset, quam canenti. *Verumtamen cum* „ reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiae „ tuae in primordiis recuperatae fidei meae, et nunc ipso „ quod moveor non cantu, sed rebus, quae cantantur, *ma-* „ *gnam instituti hujus utilitatem rursus agnosco* „.

73. „ Ita fluctuo inter periculum voluptatis, et experimen- „ tum salubritatis; *magisque adducor non quidem irretractabi-* „ *lem sententiam proferens cantandi consuetudinem approbare in* „ *Ecclesia*; *ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affe-* „ *ctum pietatis assurgat*. Tamen cum mihi accidit, ut me am- „ plius cantus, quam res, quae canitur, moveat, poenali- „ ter me peccare confiteor, *et tunc mallem non audire cantan-* „ *tem* „. His argumentis S. Augustinus nunc in hanc, nunc in illam rapitur sententiam; quem tamen modulatum concentum praetulisse, vere affirmare possum, ducem sequutus Isidorum (1) „ Beatissimus Augustinus in libris confessionum „ suarum consuetudinem approbat canendi in Ecclesia, ut „ *per oblectamentum aurium infirmus animus ad affectum pieta-* „ *tis exsurgat* „. Quod res ipsa confirmat.

§. XVI.

Frequens modulationis hymnorum consuetudo ante S. Chrysostomi tempora invaluerat.

74. Itaque recte concludi potest, harmonicum hymnorum concentum fere per omnes occidentis Ecclesias juxta morem orientalium fuisse propagatum. Non levis tamen oritur difficultas ex auctoritate Nicephori, qui ad S. Joannis Chrysostomi tempora tam late patentem consuetudinem differre visus est (2): „ Ariani nocturno tempore in publicis porticibus „ congregati, atque in choros suos segregati carmina quae-

(1) De offic. eccles. cap. 5., lib. 1. (2) Lib. 13. cap. 8.

„ dam alternis antiphonorum modo sibi invicem respondentia „ ad haeresis suae placita accommodata concinne cane- „ bant.... Joannes, ne aliqui ex Ecclesia sua ejus generis „ cantibus demulsi ab illis seducerentur, ad eumdem modum „ contra illos psalmodiam suam instituit. Et brevi ea cele- „ brior, quam adversariorum esset, facta est (a). Catholica „ autem Ecclesia *principio ejusdem psalmodiae hymnorum ca-* „ *nendorum inde sumpto ad hunc usque diem consuetudinem re-* „ *tinet*, *et sacris cantilenis operatur* „. Haec Nicephorus, qui ibidem morem antiphonorum, hoc est, alternis per responsionem carminum concinendorum a S. Ignatio martyre, tamquam a fonte repetit. Ac certius repetere poterat ex Isaia(1), ubi Seraphim *clamabant alter ad alterum*, *et dicebant*: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus exercituum*, *plena est omnis terra gloria ejus*. Quamquam si haec deessent, apud Ethnicos antiquos haec ipsa consuetudo alternae modulationis viguit, uti ex carminibus amoebaeis apud Virgilium, et ex Homero, qui (b) Musas alternis canentes inducit, colligit eruditus, piissimusque Cardinalis Bona (2).

75. Quare quod de Arianorum cantu Nicephorus narrat, ita est intelligendum, ut Ecclesia Constantinopolitana ab eis mutuata fuerit numeros, sive modulos canendi, quibus eadem Ecclesia, ac forte aliae deinceps psalmodiam instituerint, aut certe antiquam, et in multis aliis partibus usitatam hymnorum melodiam magis atque magis frequentaverint. Ex isto tamen Nicephori loco natus est, ut opinor, error

(a) Sozomenus *lib.8. cap.8.* commendans antiphonarios hymnos S. Joannis Chrysostomi addit, quod,„ Eunuchus Imperatricis (Bri- „ so) huic rei praepositus erat, „ qui idoneum ad haec sumptum, „ et hymnos ad canendum praepa- „ rabat. „ Magno stetit Eunucho istiusmodi apparatus; nam coorta seditione, saxo ab Arianis Catholicos cantores persequentibus in fronte petitus occubuit.

(1) Cap.6. v.3.

(b) I. Iliad. vers.604. *Musisque, quae canebant, alternantes voce pulchra*.

(2) Div. Psalm. Cap.16. §. IX. num. 2.

quorumdam, qui alternam hymnorum modulationem ab Arianis, tamquam ab origine desumendam esse arbitrantur. Non enim Ariani Dei laudes suavi, atque etiam alterno carmine celebrare primi coeperunt, sed hoc cantu, qui apud plures Ecclesias pridem fuerat adhibitus, ad haeresis suae errores disseminandos abusi sunt. Siquidem cum animadverterent, homines musicis modulis, ac carminibus facile deliniri, hoc poculo venenum eisdem propinarunt; quin etiam sotadicos numeros, effeminatum scilicet, et enervem concentum hymnis pariter nefariis accommodarunt. Ipsa Arii Thalia, quae tantas in Ecclesia Dei tragoedias excitavit, nihil aliud erat, nisi carmen, quo impia ejus adversus Trinitatem dogmata populis instillabantur, ut constitit supra §. XII. num. 54. Excogitavit autem Arius novos modulos, quibus carmina sua, aut ab aliis edita musice decantarentur. Nam Philostorgius (1) scribit, Arium *cantilenas nauticas, molarias, et viatorias composuisse, aliasque rursus editas in numeros redegisse, quos cuique convenire existimabat*.

76. Arianos ab ecclesiasticis coetibus, ac choris secessisse, ut suos ipsi hymnos catholicis oppositos succinerent, colligi posse videtur ex S. Gregorio Nazianzeno (2) „: Atque utinam ille quoque coetus ad chorum nostrum se adjungeret, „ qui cum prius cantionem haudquaquam adulterinam, atque ignobilem nobiscum Deo accineret; haud scio, qua re „ commotus repente cantum in diversum mutat, alioque gradu, atque ordine se collocat„. Quae verba ut non nisi de Arianis intelligam, persuadet Philostorgius, qui (3) narrat, Arianos ante Aetium communicasse cum Catholicis *in precationibus, atque hymnis, et consultationibus, aliisque fere omnibus praeterquam in mystico sacrificio*. Cum dissensiones essent subortae propter diversam formulam Glorificationis sanctissimae Trinitatis, de quibus agetur §. *XXXI. num.* 230., Aetius Arianos suos in alium chorum seduxit.

(1) Lib. 2. Cap. 2.

(2) Oratione adversus Julianum 3. num. 10.

(3) Lib. 3. cap. 14.

77. Verum alternae modulationis in hymnis concinendis usum Arianis acceptum non esse referendum, multoque antiquiorem esse S. Chrysostomi temporibus manifestius est, quam ut his confirmandis immorari oporteat. Proindeque si aliter commode Nicephori locus explicari nequeat, posthabenda est ejus auctoritas, ne contraria gravissimorum testium fides aliquo pacto vacillet. Socrates (1), et Sozomenus (2) ita Historiam hanc antiphonarii certaminis enunciant, ut non rem ipsam, sed modum Arianorum imitatus fuerit S. Chrysostomus. Sozomenus (3) his verbis proludit narrationi: „ „ Sed et populus Constantinopolitanus matutinis, ac nocturnis hymnis exinde *promptius* uti coepit ob hanc causam etc. „. Non propterea inficiabor, aliquas fuisse sive in occidentis, sive in orientis regionibus Ecclesias, quae ab hymnis in ecclesiastico officio inserendis aliquandiu abstinuerint.

§. XVII.

Ecclesia Romana Hymnorum usum non accepit a Franciscanis.

78. Ac primum de Romana Ecclesia erunt, qui dubitent, an ante S. Ambrosii inductas vigilias alternus psalmodiae cantus in ea viguerit, itidemque an exemplo S. Ambrosii, sicut fere omnes Ecclesiae occidentis, ita etiam ad sacros Hymnos decantandos eadem Romana Ecclesia fuerit permota. Difficile est dijudicare, an psalmodia antiqua Ecclesiae Romanae alternis modulationibus consliterit. Etenim neque ratio ulla mihi apparet, quamobrem id affirmem, neque rursus, quamobrem negem. In lectionibus Breviarii Romani de S. Damaso legitur „ Statuit, ut *quod pluribus jam locis erat in usu*, „ Psalmi per omnes Ecclesias die noctuque *ab alternis* canerentur „. Idemque fere habet Walafridus (4): „ Dama-

(1) Lib. 6. cap. 8.
(2) Lib. 8. cap. 8.
(3) Cap. 7. in fine.
(4) de rebus eccles cap. 25.

„ sus vero constituit, ut psalmi die, noctuque canerentur „ per omnes ecclesias „. Caelestinus I., qui cum S. Ambrosio videtur aliquando fuisse versatus, paulo post initium seculi 5. „ Constituit, ut psalmi David 150. ante Sacrificium „ psallerentur *antiphonatim*, ex omnibus, quod ante non fiebat, „ sed tantum epistolae S. Pauli recitabant (sic), et S. Evange- „ lium (1) „. Sed cantus antiphonarius probabiliter antiquiorem habuit originem. Quod autem ab Ecclesia Mediolanensi ad alias hic mos permanaverit, accipiendum est de fere omnibus aliis ecclesiis, cum exploratum sit, S. Hilarium ab oriente reversum in musico hymnorum concentu Graecos fuisse imitatum.

79. De more concinendi sacra carmina duplex institui potest quaestio, fueritne in Ecclesia Romana olim adhibitus, et si adhibitus fuit, an intra divinum officium. Potuit enim accidere, ut hymni canerentur quidem in ecclesia, sed ad divinum officium non pertinerent. Vix autem ullus dubitationis locus est, quin musici hymnorum concentus olim Romae in ecclesiis audirentur, neque video, cur asserendum sit, ad seculum VII. in Romano officio ecclesiastico non fuisse *metricos hymnos usurpatos*, ut plures existimant, et praecipue V. Cardinalis Thomasius (2): „ Ecclesia, inquit, „ Romana antiquitus *non admittebat hymnos* in divinis of- „ ficiis. Amalarius in supplemento edito a Cl. Mabillonio. „ Ex hoc Antiphonario, et Ritualibus Benedicti Canonici, „ et Cencii Camerarii constat ad XII. seculum antiquum mo- „ rem perdurasse. *Tum primum admissus est hymnus* ad com- „ pletorium, ut patet ex hoc Antiphonario.,. Dicendum „ videtur in aliquibus tantum Urbis Ecclesiis *tum temporis* „ *admissum hymnorum usum*, majorum Ecclesiarum Clericis „ antiquum ordinem retinentibus „. Erat autem Antipho-

na-

(1) ex Pontificali Romano in vita S. Caelestini I.

(2) In annotationibus ad Responsoriale, et Antiphonarium Romanae Ecclesiae tom. 7. oper. col. 168.

narium, et Responsoriale, quod Cardinalis Thomasius edidit, *juxta veterem* usum Canonicorum Basilicae S. Petri.

80. Explicatius hanc opinionem tuetur Grancolas *in Commentar. histor. in Breviarium Romanum*, ex quo fere totidem verbis haec excerpit Meratus (1): „ Romae non ab antiquo „ tempore, sed sero hymni cani coeperunt; neque enim in „ ullis Romanis ordinibus, et ne in illo quidem, quem Be„ nedictus Canonicus S. Petri tribuit Guidoni de Castello, „ qui postea anno 1143. Pontifex Romanus fuit, et Caelesti„ nus II. appellatus, mentio aliqua fit hymnorum recitando„ rum in officiis, quae describit. Hinc, et ex aliis conjecturis „ infert Grancolas (2), post XII. dumtaxat Seculum Romae „ Breviario hymnos insertos fuisse ... Conjicit tamen Gran„ colas, id ab Haymone Franciscanorum Generali praestitum „ fuisse, cum Romanum officium Gregorio IX. jubente an„ no 1240. recognovit, et concludit, quod etiamsi prioribus „ seculis aliqui hymni inserti fuerint Breviario Romano, cer„ tissimum tamen sit, quod XII. in Ecclesia S. Petri nulli re„ citati fuerint: et cum Uldaricus in *Consuetudinibus Clunia„ censibus* hymnorum Romanae Ecclesiae mentionem facit, „ de singularium aliquarum Ecclesiarum hymnis loqui vo„ luisse „.

81. Quam totam narrationem, et conjecturas imbecillo niti fundamento perquam facile est demonstrare. Romanus quidem Pontifex S. Damasus inter alia carmina hymnum habet in festo S. Agathae, qui est carmen 30. (3) *Martyris ecce dies Agathae = Virginis emicat eximiae etc.*; quem hymnum licet Tillemontius S. Damasi esse neget, quia rhythmice, seu versibus homoteleutis scriptus est, putans, usum hujusmodi rhythmorum esse S. Damaso posteriorem, attamen Marchio Maffaejus eorum usum antiquiorem S. Damaso esse confir-

I

(1) In Notis ad Gavant. in Rubric. Brev. Rom. Part. 2. sect. V. cap. 6. num. 3.

(2) Lib. 1. Cap. 23.

(3) Edit. Roman. 1753.

mat (1), ut notavit Canonicus Merenda Editor operum S. Damasi. Invenitur hic idem hymnus in antiquo Hymnario, quod edidit V. Cardinalis Thomasius (2), sub nomine S. Damasi, eidemque alter hymnus adscribitur in conversione S. Pauli (3). Non longe post S. Damasum florebat hymnographorum elegantissimus Prudentius, qui (4) ita canebat invictum Christi Martyrem Laurentium laudans := *Quidquid Quiritum sueverat = ornare naenias Numae = Christi frequentans atria = hymnis resultat Martyrem*. Et festum SS. Apostolorum Petri, et Pauli in duabus Romae Basilicis quotannis celebrari solitum describens ait (5) : = *Lux in duobus fervet una festis = Nos ad utrumque tamen gressu properemus incitato = Et his, et illis perfruamur hymnis*.

82. Subinde anno 430. Synodus Romana celebrata est, et in fragmento orationis, quam habuit Caelestinus I. Pontifex „ „ Recordor, inquit, beatae memoriae Ambrosium in die „ Natalis Domini nostri Jesu Christi omnem populum fecisse „ una voce Deo canere : *Veni Redemptor gentium = Ostende „ partum Virginis = Miretur omne seculum = Talis decet par„ tus Deum* „. Quare probabilis est conjectura, Caelestinum exemplo S. Ambrosii permotum consuetudinem decantandi hymnos, si nondum in Ecclesia Romana vigebat, libenter fuisse invecturum. Faustus quoque Rhegiensis ejusdem seculi auctor de alio S. Ambrosii hymno ita scriptum reliquit (6): „ Accipe etiam in hymno Sancti Antistitis, et Confessoris Am„ brosii, quem in natali Dominico *per omnes Italiae*, et Gal„ liae regiones persultat ecclesia = *Procede de thalamo tuo* „. Siquis excipiendam esse dicat Ecclesiam Romanam, in eoque mordicus haereat, arbitrario isthuc affirmabit, non tamen ex ea arce facile dejicietur, nisi validioribus armis impetatur. Igitur Walafridus (7) testis est, S. Gelasium Pontificem Roma-

(1) Histor. Diplomat. pag. 187.
(2) T. 2. p. 187. (3) pag. 382.
(4) Peristephanon lib. Hymno 2.
(5) Ibidem Hymno 12.
(6) Epist. ad G. Diaconum.
(7) De rebus Ecclesiast. cap. 25.

num in hymnis componendis S. Ambrosii exemplum fuisse sequutum : *Et de Beato Gelasio Papa scribitur*, *quod tractatus*, *et hymnos in morem Beati Ambrosii composuerit*.

83. Sicui tamen auctoritas Walafridi levior esse videatur, nisi antiquiori testimonio corroboretur, primum dicimus, Walafridum non fuisse id affirmaturum, si nulli hymni in Ecclesia Romana suo tempore usurparentur. Non enim facile credendum est, S. Gelasium more S. Ambrosii hymnos composuisse, qui tamen Romae non decantarentur. Deinde adjungere possumus confirmationem ex vetustissimo catalogo Romanorum Pontificum, quem Cl. Blanchinius edidit (1): „ Fecit [S. Gelasius] et hymnos in modum Beati Ambrosii. „ Fecit et Sacramentorum praefationes cauto sermone „ Consentit catalogus Pontificum ex antiquissimis membranis palatinis Bibliothecae Vaticanae (2) „: Hic [S. Gelasius] fecit tra„ ctatus, et hymnos, sicut Beatus Ambrosius „. Et Gennadius S. Gelasio synchronus (3): *Fecit et hymnos in similitudinem Ambrosii Episcopi* = Scio, *caput* 94. in quibusdam editionibus, et codicibus Mss. desiderari; sed, ut notatur in *Bibliotheca Ecclesiastica* Fabricii, illud *ab Honorio*, *et codicibus plerisque agnoscitur*. Non est certe, cur Gennadius, qui S. Gelasium laudat obiter in fine libri, eum nonnullis operibus jam celebrem inter scriptores ecclesiasticos non retulerit. Quid? magnus ille Gregorius nonne plures, egregiosque hymnos condidit diversis temporibus, festis, Horisque divini officii accommodatos? Legatur Hymnarium V. Card. Thomasii, et *pag*. 360. reperientur septem ejus Hymni, *pag*. 362. duo, *pag*. 406. *et seq*. duo, qui in officio ecclesiastico hodieque recitantur = *Primo dierum omnium etc.*, = *Nocte surgentes vigilemus omnes etc.*, Pagina vero 410. = *Ecce jam noctis tenuatur umbra etc.*

(1) In Prolegomenis ad vitas Romanorum Pontificum.

(2) In Propylaeo Bollandianorum ad Acta SS. Maii p.74. par. 1.

(3) De Scriptor. ecclesiastic. cap. 94.

84. Alium hymnum rhythmicum de quinque vulneribus Christi ex Breviario antiquo Romano Venetiis impresso referunt Bollandiani operis continuatores (1) S. Gregorio Magno adscriptum; sed, ut ipsi advertunt, stylum Gregoriani aevi non sapit, et solum tribui posset S. Gregorio Septimo seculi XI.. De S. Leone II., cujus aetas incidit prope finem seculi septimi, in lectionibus Breviarii ad diem 28. Junii enarratur, quod *humanis, et divinis litteris graece, et latine doctus, musicis etiam eruditus fuit: ipse enim sacros hymnos, et psalmos in Ecclesia ad concentum meliorem reduxit*. Quo pertinent alii Romani Pontifices, et S. Romanae Ecclesiae Cardinales inter Hymnographos §. XXIII. recensendi, qui ad hymnos pangendos ante XIII., et XII. seculum incubuerunt, ut recte conjicere possumus, ex consuetudine in Ecclesia Romana vigente. Et ne longum faciam, Hymnaria antiqua Ecclesiae Romanae suadent, ac persuadent penitus, multo ante XII. seculum admissos fuisse in divinis officiis hymnos rhythmo, ac metro compositos (a).

85. Radulfus Decanus Tungrensis, qui seculo XIV. scribebat, ait (2): *Omnes autem praedicti hymni, et adhuc plures alii reperiuntur Romae in Hymnariis antiquis*. In *antiquioribus consuetudinibus Cluniacensis Monasterii* fit mentio hymnorum Ecclesiae Romanae (3), et in tabula vetusta marmorea Romae reperta extat mentio Hymnarii, ut videre licet apud V. Card. Thomasium (4), in qua tabula continetur instrumentum Donationis ad annum 902. a Theobaldo Ecclesiae

(1) Loc. cit. pag. 91. part. 1.

(a) Benedictus XIV. *in Append. ad lib. de Fest. SS. ad diem S. Proculi pag. 709. edit. I. Romanae oper. omn.* laudat Hymnarium antiquum MS. membranac., cui erat titulus: *Ympnarium per totum anni circulum secundum usum, et consuetudinem Romane curie*. Non dubito, quin ex Hymnariis vetustissimis Bibliothecae Vaticanae magnum lumen huic controversiae explicandae posset afferri; sed V. Thomasius neque certam eorum aetatem, neque titulos expressit.

(2) De Canonum observantia Propos. 13.

(3) Lib. 1. cap. 52.

(4) Appendic. ad Antiphonar., et Responsor.

S. Valentini factae, et inter alia donantur „ Missale unum, „ Antiphonaria duo, unum diurni, aliumque nocturni „ officii, feriales duo, liber Geneseos cum Historiis canoni- „ cis, Passionarium, Dialogus cum scintillario, *Hymnaria* „ *duo* etc. „. Quo constituto, apparet liquido ratio, cur in Responsorialibus, et Antiphonariis antiquis Ecclesiae Romanae hymni non recensentur; quia videlicet distincte, ac seorsim a codice Antiphonario, et Responsoriali adhibebatur alius codex hymnorum; qui *Hymnarius*, sive *Hymnarium* appellabatur; et sicut in *Hymnario* non adscribebantur antiphonae, et responsoria, ita neque in Antiphonario, et Responsoriali hymni notabantur.

86. Neque vero objici contra haec valet, potuisse in Ecclesia Romana hymnos sacros adhiberi, sed extra divinum officium, aut si in aliis Romae Ecclesiis adhiberentur, non tamen in Ecclesia Vaticana, aliisque Basilicis; quia in Responsoriali, et Antiphonario, quod V. Card. Thomasius vulgavit (1), dicitur: „ In choro hunc hymnum non dici- „ mus, sed in aliis Oratoriis decantamus = *Nunc Sancto* (lege *Sancte*) *Nobis spiritus* „. Quo loco annotatur, tunc primum admissum fuisse ab Ecclesia Romana hymnum hunc in completorio, quem morem Ecclesia Lugdunensis, et Viennensis ad nostra usque tempora retinuerint, quae nisi in completorio nusquam in officio divino hymnos decantant. Ex quo, inquiunt aliqui, factum est, ut in officio trium postremorum dierum hebdomadae majoris, et in hebdomada Paschatis Resurrectionis, et in officio Defunctorum nulli recitentur hymni, quia in iis officiis nulla mutatio inducta est.

87. Sed enim praedicta Rubrica, quae *de illo certo hymno* loquitur, qua ratione trahi potest, ut ex ea negetur, alios hymnos in choro dici consuevisse? Annon potius quia in choro *hunc hymnum* non esse dicendum asserit; colligere fas erit, alios forte fuisse, qui in choro per alias horas diceren-

(1) Tom. 7. col. 168.

tur? Illae quidem auctoritates, quas supra dedimus, vix, ac ne vix quidem plurimae earum intelligi possunt, nisi de Hymnis in ecclesiastico officio recitandis. En verba Uldarici (1): „Soli nocturni nescio quid hic commiserint, qui cum „ in adventu Domini, et totiens in solemnitatibus specialem „ hymnum habeant, in Quadragesima hoc amiserunt; in „ qua etiam tam parva hora, sicut est Tertia, non caret „ Hymno alio, quam consueto, id est: *Ternis ter horis numerus*: et si hoc apud nos est, tamen *non est ita apud Monachos Italiae, et ipsius sedis Apostolicae, et Ecclesiae Romanae, apud quos nimirum quod ea vice habent aliae horae, habent etiam nocturni* „. Monachi ipsius sedis Apostolicae, et Ecclesiae Romanae quinam congruentius fuisse existimandi sunt, quam Canonici sub Regula monastica viventes, qui aetate Uldarici circa annum 1070. Ecclesiae Lateranensi, aliisque primariis Romae basilicis inserviebant?

88. Quodsi in aliis Romae Ecclesiis hic mos invaluerat, in Vaticana pariter invaluisse censendum est, nisi perspicua argumenta contrariae consuetudinis proferantur. In citata *Appendice* V. Cardinalis Thomasius producit *Officium pro Infirmis* ex vetusto codice membranaceo Archivii Basilicae Vaticanae cum Hymno sapphico = *Christe Caelestis medicina Patris etc.*, qui legitur etiam in Hymnario ejusdem Thomasii ex Breviario Mozarabico extractus. (*a*) Equidem nulla ratione adduci possum, ut credam, tot Pontifices Romanos ex ordine S. Benedicti ad Apostolicam sedem evectos hymnorum usum, qui apud Monachos communis erat, in omnibus Romae basilicis, et ecclesiis, si forte deerat, non induxis-

(1) Cap. 52. Consuetud. Monasterii Cluniacens.

(*a*) Albinus, qui prope finem saeculi 8. enituit, *in officiis per Ferias Feria V.* hunc hymnum inseruit, cui hic Titulus: *Hymnus S. Ambrosii pro Infirmis*. Non inutilis esset opera, quae in hymnis S. Ambrosii colligendis, et veterum testimonio vindicandis collocaretur: nam Maurinos in hac parte cessasse multis est confirmatum exemplis.

se. Profecto Pipinus, et Carolus Magnus *unitatis, et perfeciae cum sede Apostolica consensionis spiritu permoti*, ut ait Benedictus XIV. (1), summis viribus contenderunt, ut ritus, officiumque ecclesiasticum Romanum in Galliam inveherent, quod feliciter evenit. Ut idem officium Romanum, Mozarabico abrogato, in Hispania admitteretur, saepius tentatum est, ac tandem obtentum circa annum 1080.. Cum vero indubitatum sit, in Gallia, Hispaniaque toto isthoc tempore hymnorum cantum fuisse observatum, ecquis negabit, officium Romanum, cui se Galli, Hispanique conformare studuerunt, hymnos habuisse? An simile vero est, Romanos Pontifices, qui consensionem aliarum gentium cum officio sedis Apostolicae expetebant, interea in Urbe permisisse, ut aliae Ecclesiae hymnos haberent, aliae non haberent? an cum officium divinum Ecclesiae Romanae ceteris proponebant, non officium basilicarum, sed quarumdam *singularium Ecclesiarum* significabant?

89. Neque vero tam leve in hoc diverso ritu est discrimen, ut unum, idemque valeat dici officium Hispanicum, Gallicum, et Romanum, licet in hoc deessent hymni, qui apud alios recitarentur, praesertim cum nullius Auctoris dictum proferatur, qui neget, in Ecclesia Romana adhibitos fuisse hymnos. Walafridus Strabo, qui claruit seculo 9. (2), postquam hymnorum metricorum consuetudinem exposuerat, nonnullis interjectis circa officii ecclesiastici ritus, *praevaluisse* sedis Apostolicae magisterium in omnibus pene Ecclesiis Latinorum tradit „: Et quamvis in quibusdam Ecclesiis *hymni me-*
„ *trici* non cantentur, tamen in omnibus generales hymni,
„ id est, laudes dicuntur ... Sed privilegio Romanae sedis ob-
„ servato, et congruentia rationabili dispositionum apud eam
„ factarum persuadente factum est, ut *in omnibus pene Lati-*
„ *norum Ecclesiis consuetudo, et magisterium ejusdem sedis*

(1) De Beatificat., et Canonizat. lib.4. part.2. cap.13. num.5.

(2) De rebus eccles. cap.25.

„ *praevaleret*: quia non est alia traditio aeque sequenda vel in „ fidei regula, vel in observationum doctrina „. Quocirca ridiculum est solis argumentis negantibus, et quia in uno, vel altero *Ordine Romano* mentio hymnorum non fit, concludere, vel nullatenus fuisse Romae in usu hymnos, vel saltem in primariis Basilicis non fuisse. Quid? si hoc ipsum, quod pro certo a plerisque ponitur, falsum est? In libro antiquo, qui *Ordo Romanus* dicitur, haec habentur „: In die Palmarum. „ Ex Schola Infantes Paraphonistae *hunc hymnum* cantent: „ *Gloria, laus, et honor etc.*, clero per viam cantante anti- „ phonas, vel responsoria de praesenti festivitate, sive ver- „ sus istos in laudem Salvatoris compositos: *Magnum salutis* „ *gaudium = laetetur omne seculum etc.*, De consecratione prin- „ cipalis chrismatis. Tunc vero subsequantur Pueri in laudem „ ejusdem mysterii concinentes *hos versus* ad hoc congruen- „ tes: *Audi judex mortuorum etc.*, et clerus respondeat = *O* „ *Redemptor sume carmen* = *Temet concinentium etc.* Ordo in „ die Parasceves: *Crux fidelis inter omnes etc.*. Ordo de Sab- „ bato sancto in die. Aliqui tamen hic cantant *hymnum* Pru- „ dentii: *Inventor rutili dux bone luminis*. Ordo in die S. Pa- „ schae. Cum versibus istis in die S. Paschae: *Salve festa* „ *dies, toto venerabilis aevo etc.* „.

90. Haec ex *Ordine Romano* antiquissimo. Quin immo in Responsoriali, et Antiphonario Cardinalis Thomasii, in quo solum responsoria, et antiphonae inseruntur, quaedam sunt responsoria, quae pluribus versibus constant, ut in die S. Petri ad 2. noctur. *Solve jubente Deo terrarum Petre catenas, - Qui facis, ut pateant caelestia regna beatis: - Cui Regni claves, et curam tradit ovilis, - Qui caeli, terraeque Petro commisit habenas, - Ut reseret clausis, et solvat vincla ligatis*. Adeo non Ecclesia Romana a metricis cantionibus abhorrebat. Nihil vero magis opinionem communiter receptam refellit, quam inanitas conjecturarum, quibus innititur. Ajunt, ab Haymone Generali Franciscanorum, Gregorio IX. jubente, correctum Breviarium Romanum, ac tunc primum inductos fuisse hymnos.

mnos. Diligenter, et enucleate haec historia explicanda est; video enim plures in ea hallucinari. Correctio Breviarii Romani passim Haymoni tribuitur, jussu, ut alii dicunt, Alexandri IV., cujus tempore jam obierat Haymo; ut alii malunt, ex praescripto Innocentii IV.. Wadingus (1) censet id factum sub Gregorio IX., ejusque auctoritate. Sed quid id est, quod auctoritate Gregorii IX. fuit peractum? Extat ejus Indultum anno Pontificatus 15., et ultimo, quod incipit: *Pio vestro Collegio*: „ Vestrae itaque precibus devotionis inducti, ut „ observantia moderni officii, *quod in Breviariis vestris exacta* „ *diligentia correctum a Nobis*, *ex statuto Regulae vestrae juxta Ecclesiae Romanae morem*, excepto psalterio celebrare „ debetis, sitis contenti perpetuo „. Nihil igitur correctum fuit in Breviario Romano, sed in Breviariis Franciscanis *juxta Ecclesiae Romanae morem*, idque *ex statuto Regulae Franciscanae*. Nempe legibus suis tenebantur Franciscani officium divinum Ecclesiae Romanae persolvere; sed cum aliqui Regulam negligentes ab eo discederent, Gregorius IX., et Haymo Generalis eos ad praescriptum Regulae redegerunt. Quaenam autem hic apparet correctio Romani Breviarii? quaenam hymnorum nova introductio?

91. Post neque ita multo Joannes Parmensis Generalis litteras ad Superiores Ordinis dedit (2), quibus iterum Fratres ad officium Romanum revocavit (*a*). Bernardus de Bessa, qui

(1) Ad annum 1244., et Religionis 37., quo decessit Haymo.

(2) Wadingus ad annum 1249., Religionis 42.

(*a*) „ Quia sicut indubitanter cognovi nonnul i fratres officium divinum, qui (*sic*) de Regula nostra *secundum ordinem S.R.E.* celebrare debemus, in littera mutare interdum, sed in cantu maxime variare praesumunt etc., „ duxi praesentibus injungendum, „ quod praeter id solum, quod „ Ordinarium Missalis, et Breviarium a Fratre Haymone sanctae recordationis Praedecessore „ nostro pio correctum studio per „ sedem apostolicam confirmatum, „ et approbatum postea nihilominus per Generale Capitulum noscitur continere, ut nihil omnino in cantu, vel littera sub alicu-

socius fuit S. Bonaventurae, (1) hoc praeceptum injunctum asserit, quia nonnulli fratres „ necessarium ex voto Regulae „ officium *secundum ordinem S. Romanae Ecclesiae* negligebant, et variando, ac lacerando foedabant „. Itaque non illud tunc agebatur, ut Ecclesia Romana a Franciscanis ordinem officii novum, hymnosque acciperet, sed ne illi ab Ordine Romano sive in hymnis, sive in aliis officii partibus aberrarent. Reponunt tamen aliqui, Breviario Franciscanorum ita correcto uti deinde coepisse Pontifices in capella ad S. Joannem Lateranensem, ac postremo Nicolaum III. edixisse, ut in omnibus Urbis Ecclesiis admitteretur. Testem nullum alium afferunt, nisi Radulphum Tungrensem (2): „ Fecit „ (Nicolaus) in Ecclesiis Urbis amoveri Antiphonarios, Gra„ dualia, Missalia, et alios libros officii antiquos quinqua„ ginta, et mandavit, ut de cetero Ecclesiae Urbis uterentur „ libris, et Breviariis Fratrum Minorum, quorum Regulam „ etiam confirmavit; unde hodie in Roma omnes libri sunt „ novi, et Franciscani. „ Hujus assertionis veritatem in dubium revocant Pagius Junior (3), et Benedictus XIV. (4), quia ex *Epistola Apologetica* Petri Abaelardi adversus S. Bernardum colligitur, in omnibus Urbis Ecclesiis officium contractum, sive *Abbreviatum* recitatum fuisse anno 1140.

92. Audiatur tum Abaelardus, tum Radulphus. Ille in epistola ad S. Bernardum diversas in Ecclesiis consuetudines saepe inductas allegans: „ Antiquam (inquit) Romanae Sedis „ consuetudinem nec ipsa civitas tenet, sed *sola Ecclesia La„ teranensis*, quae mater est omnium, *antiquum tenet officium*, „ nulla filiarum suarum in hoc eam sequente, nec ipsa etiam „ Romani Palatii Basilica „. Radulphus (5) diversitatem aliquam pariter agnoscit inter capellam Pontificiam Lateranen-

„ jus festi, seu devotionis obtentu „ *in hymnis* seu responsoriis . . . in „ Choro mutari . . . modo aliquo „ permittatis. „

(1) Apud Wading. loc. cit.

(2) De Can. observ. prop. 22.

(3) In vita Nicolai III. num. 24.

(4) De Beatific., et Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 13. num. 2.

(5) De Can. obser. pr. cit. 22.

sem, et reliquas Urbis Ecclesias, quia in illa officium Romanum complete non dicebatur. „ Nam olim quando Romani
„ Pontifices apud Lateranum residebant, *in eorum capella* ser-
„ vabatur Romanum officium *non ita complete* sicut in aliis
„ Urbis Ecclesiis collegiatis. Imo Clerici capellares sive de
„ mandato Papae, sive ex se officium Romanum semper bre-
„ viabant, et saepe alterabant, prout Domino Papae, et
„ Cardinalibus congruebat observandum. Et hujus officii or-
„ dinarium vidi Romae a tempore Innocentii III. recollectum.
„ Et *istud officium breviatum* secuti sunt Fratres Minores. In-
„ de est, quod breviaria eorum, et libros officii intitulant
„ secundum consuetudinem *Romanae curiae*, non autem cu-
„ raverunt mores aliarum Ecclesiarum Urbis Romae recipe-
„ re, et observare ... Aliae autem nationes orbis Romani li-
„ bros, et officia sua habent e directo ab ipsis Ecclesiis Ro-
„ manis, et non a *capella Papae* „.

93. Ex Abaelardi verbis contractio officii in Ecclesiis Romanis praeter Lateranensem haud certo colligi potest, cum diversitas officiii sine hac contractione valeat intelligi. Radulphus de Rivo, qui Romae extiterat, et veteres Urbis consuetudines indagaverat, clare distinguens officium *capellare* seu capellae Pontificiae ab officio *Ecclesiae Lateranensis* affirmat, usque ad Nicolai III. Pontificatum apud basilicam Lateranensem, et ceteras omnes Urbis Romae Ecclesias antiquum officium fuisse conservatum integrum, et completum, contra quam putant aliqui. Idem asserit, Franciscanos Breviario contracto capellae Pontificiae adhaesisse, non autem Pontificem in capella officium Franciscanorum cantari jusisse, quod alii affirmant. Propterea si verum est, Nicolaum III. in omnes Urbis Ecclesias Breviaria, et libros Minorum invexisse, nihil inde consequitur, nisi officium capellae Pontificiae contractum ad Franciscanos primum, deinde ad alias Ecclesias fuisse propagatum. Equidem suspicor, *Ordinarium*, de quo Radulphus loquitur, esse illum ipsum *ordinem Cencii Camerarii*, qui post Innocentium III. ad cathe-

dram Pontificiam evectus est, et suum *divini officii ordinem* sedente Innocentio III. composuit. Hic Cencii ordo, alterque paulo antiquior Benedicti Canonici ea tantum explicant, quae coram Pontifice agebantur, hymnos non indicant, excepto hymno *Gloria, laus, et honor*, in Dominica palmarum cantari solito. Franciscani officium contractum capellae amplectentes hymnos, qui in omnibus Urbis Ecclesiis etiam collegiatis canebantur, admittere voluerunt. Quare cum hymni fuerint a Franciscanis juxta ritum Romanae Ecclesiae usurpati, dici nequit, tunc primum in Ecclesia Romana fuisse in usu, cum Nicolaus libros, et Breviaria Minorum in eam invexit. Quamquam quid his immoror, cum ante Nicolaum III. sub Urbano IV. S. Thomas hymnos pro officio, et festo sanctissimi Corporis Christi hujus Pontificis jussu condiderit? Et Grancolas quidem, qui defendit (1), Germanos nullum unquam officium habuisse praeter Romanum illuc a Bonifacio Moguntino Episcopo, et Germaniae Apostolo illatum, ac propterea in *Ordinem Romanum* Commentarios edidisse Walafridum, et Rhabanum Maurum, quo pacto se tueri potest, dum negat, in *ullo Ordine Romano* hymnorum mentionem fieri? Nam Germani hymnos concinebant, Walafridus, et Rhabanus inter reliquas officii partes hymnos enumerant, et laudant.

94. Ipse Decanus Tungrensis, cujus allegantur verba, ut a Franciscanis hymnos in Breviarium Romanum commigrasse conficiatur, Franciscanos potius objurgat, quod plures Romani Breviarii hymnos omitterent (2). „In Romano, et Benedictino officio ad nocturnos dicitur unus hymnus... Dominicis quotidianis in Sabbato: *Deus Creator... hunc hymnum Fratres Minores, et plures alios male omittunt,* quia authenticus est, et multum pulcher... *Alii omnes feriales omittunt*, et Dominicales aestivales in feriis repetunt, ut Praedicatores; *securius est sequi morem Romanum*„. Itaque non a Franciscanis capella Pontificis desumpsit officium, sed Fran-

(1) Commentar. Histor. cap. 12. (2) De Canon. observant. propos. 13.

ciscani ex praescripto Regulae cum morem Romanum sequi tenerentur, officium capellae Pontificiae elegerunt, a quo non semel recedentes in viam, et ordinem reduci debuerunt. Quibus omnibus minime est contrarius Radulphus.

95. Inanior est altera conjectura, quod in officio Defunctorum, et Hebdomadae majoris hymni praetermittuntur ex veteri consuetudine, qua nulli in officio hymni recitabantur. Amalarius ipse, qui a contrariae opinionis auctoribus testis producitur, quia, ut aiunt, in suis libris *de Divinis officiis* saepe de *Ordine Romano* loquitur, ac nunquam de hymnis, Amalarius, inquam, diversam prorsus rationem reddit, cur hymni omittantur (1). „ In quibusdam vero locis non ignoro „ in Passione Domini tribus nocturnis XII. Psalmos, et XII. „ lectiones cum responsoriis agi: ubi *praetermittuntur hymni*, „ et cantici, quippe qui pertinent ad laetitiam „. Durandus (2), qui floruit seculo XIII., de omissione hymnorum tum his diebus, tum in die festo Epiphaniae veluti de re antiquissima disputat, cur nempe his destinatis diebus praetermittantur, aliis vero recitentur, causasque pro varietate festorum varias, congruentesque designat, quae videri possunt apud eum (3), et apud Peironet (4). Quare ut huic disputationi satis quidem longae, sed ad errorem inveteratum e multorum animis evellendum propemodum necessariae, finem imponam; recte affirmare mihi posse videor, *Hymnos metricos* in Ecclesiis etiam primariis Urbis seculo XII., et longe ante solitos fuisse inter divina officia decantari. Atque hujusce consuetudinis originem repetere possumus vel ab ipsis nascentis Ecclesiae initiis, vel ab Ambrosianae Ecclesiae exemplo, vel saltem ab eo tempore, quo Monachi Benedictini primum florere, et ubique diffundi coeperunt.

(1) Supplement. ad 4. Lib. de divinis officiis tom. 2. Analector. Mabillonii.

(2) Rational. divini officii.

(3) Lib.6.cap.16., et 72., et 87.

(4) In Manuali Breviarii Romani Gallice part. 2. cap. 17. §. 11., cap.29. §.5., cap.31. §.6.

§. XVIII.

Monachorum hymnodia.

96. Videamus igitur, quam late in Monasteriis consuetudo concinnae modulationis hymnorum patuerit. Praemittenda est assertio Merati (1) „ Nulli quoque hymni apud Grae„ cos extant, neque apud veteres orientis Monachos, cum „ Cassianus eorum non meminerit, sicut etiam nullam men„ tionem hymnorum faciunt in occidente Regulae S. Co„ lumbani, S. Isidori, S. Fructuosi, Magistri, et Donati. „ Faciunt primae Regulae S. Caesarii, et S. Aureliani in Gal„ lia, et S. Benedicti in Italia „. Quae quam oppido falsa sint, ex superioribus argui potest, et ex modo enarrandis manifestius patebit. Ac de S. Ephrem, ac Magno Basilio, quae hic essent commemoranda, praemissa sunt §. XII. num. 50., et §. XIII. num. 57. De Hymnis Monachorum videri potest Sozomenus (2). *Deum perpetuo celebrant oratione, et hymnis juxta Ecclesiae ritum vacantes.* (3) *Disciplina vero communis haec fuit pene omnibus, animae quidem praecipuam curam gerere ... orando scilicet, jejunando, ac divinos hymnos canendo.* Quae omnia ad seculum IV. spectant, quo disciplina monastica coepit innotescere, nam Therapeutae Philonis, si Christiani, et monachi fuerunt, sub eodem vivendi instituto non permanserunt, aut si permanserunt, eorum historia, et memoria oblitterata penitus est. Quod autem asserit Theodoretus (4), Flavianum, et Theodorum monachos primos duas in partes psallentium choros divisisse, et alternis canere docuisse, confirmatque Theodorus Mopsuestenus eorum aequalis, cujus verba refert Nicetas (5), id, inquam, fortasse Antiochiae ita

(1) Num. 3. in Notis ad Gavant. in Rubric. Breviar. Roman. part. 2. sect. 5. cap. 6.

(2) Lib. 6. cap. 33.

(3) Cap. 34. lib. 6.

(4) Lib. 2. Hist. eccles. cap. 19.

(5) Thesaur. orthodoxae fidei lib. 5. cap. 30.

accidit, ut novus iste mos induceretur a praedictis monachis, vel intermissus instauraretur, si nempe a S. Ignatio Martyre ex divina visione Angelorum alternis canentium, quod praeter Nicephorum tradit Socrates (1), inductus fuerat; aut etiam in choris separandis novam aliquam formam illi invenerunt, quae ad reliquos inde pervaserit.

97. Verum alternum concentum ante Flavianum, et Theodorum monachos in quibusdam saltem Ecclesiis usurpatum fuisse, evidenter est in superioribus §§. demonstratum, et verba Theodori Mopsuesteni a Niceta adducta comprobant hoc ipsum, cum Theodorus affirmet, hos duos monachos a Syris hunc morem fuisse mutuatos, ut observat Henricus Valesius (2). Martene (3) „ Certissimum est, inquit, antiquiores monachos non divisis choris, sed unum dumtaxat, quem interim auscultarent alii in silentio, medium psalmos decantasse „. Nititur auctoritate Cassiani (4). At Cassianus loquitur ibi de solis Aegypti monachis; nam de aliis (5) praemiserat: „ Quidam enim vicenos, seu tricenos psalmos, et hos ipsos *antiphonarum* protelatos melodiis, et adjunctione quarumdam modulationum debere dici singulis noctibus censuerunt... *totque propemodum typos, ac regulas vidimus, quot etiam monasteria, cellasque conspeximus* „. Profecto aetatem Cassiani Theodorus, et Flavianus praecesserant, ac proinde cum ille orientem peragravit, praefatam consuetudinem antiphonariae psalmodiae plurimis in locis vigentem invenerit, necesse est.

98. In occidente autem Monachi libentissime Ambrosianum morem canendi hymnos sequuti sunt. S. Caesarius Arelatensis Episcopus in Regula ad Virgines (6), approbata a S. Hormisda Pontifice, qui obiit anno 523., praescribit ordinem

(1) Lib.6.cap.8.
(2) Ad Socratis lib.6. cap.8:
(3) De antiq. Eccles. ritib. tom. 4. lib.1. cap.2. num.42.
(4) De Instit. Coenob. lib.2. c.5.
(5) Cap.2.
(6) Ex Bollando ad diem 12. Januarii.

psallendi *ex maxima parte secundum ordinem monasterii Liri-nensis*. „ Ad nocturnum psallantur psalmi decem, et octo „ antiphonae minores cum allellujaticis suis, et lectiones „ duae, *Hymnus*, et capitellum etc.... Hymnus = *Jam sur-„ git hora tertia . . . Jam sexta sensim volvitur . . . ter hora tri-„ na volvitur . . . Hic est dies verus Dei . . . Christe precamur „ annue . . . Christe, qui lux es, et dies . . . . Rex aeterne Domi-„ ne . . . Magna, et mirabilia . . . Mediae noctis tempus est . . . „ Aeterne rerum conditor . . . . Fulgentis author aetheris . . . „ Deus, qui certis legibus . . . . Deus creator omnium* (a). S. Benedictus in Regula (1): „ Inde sequatur *Ambro-„ sianum*: deinde sex psalmi cum antiphonis. (2) „ et sub-„ sequatur mox Abbas hymnum = *Te decet laus* . (3) „ „ Prima hora dicantur psalmi tres etc., hymnus ejusdem „ horae post versum = *Deus in adjutorium meum intende-„ de* . . . Tertia vero, Sexta, et Nona eodem ordine ce-„ lebretur . . . id est, versus hymni earumdem horarum . . . „ Inde (in vespertina synaxi) responsorium, *Ambrosia-„ num* . . . . Hymnus ejusdem horae (completorii) „. S. Aurelianus Arelatensis post finem regulae (4) „. Hy-mnus:

(*a*) S. Caesarium Laicos quoque, et populares homines coegisse, ut psalmos, et hymnos promerent, et Clericorum more alii graece, alii latine prosas, et antiphonas succinerent, auctor est Cyprianus in ejus Vita. Quod Cardinali Bona *Rer. Liturg. lib.* 1. *cap.*24. sublatum videtur a concilio Turonensi II. *cap.* 4. Antiphonas quidem in sua Regula praescribit S. Caesarius ea fere vocis significatione, aut etiam eadem prorsus, quae nunc est in usu. Ejusdem S. Caesarii Regula ad Monachos habetur apud Holstenium *Tom.*3. *p.*72., qua similis Ordo officii divini continetur. In hac Holstenii Collectione sola Regula SS. Pauli, et Stephani hymnos humano ingenio compositos videtur prohibuisse *cap.*14. *Tom.* 2. *pag.*93. „ „ Nullus praesumat responsoria, „ vel antiphonas, *quae solent ali-„ qui composito sono pro suo libitu, „ et non ex Canonica Scriptura as-„ sumpta canere*, in Congragatio-„ ne ista meditari, vel dicere. „

(1) Cap. 9. apud Holstenium tom.2. pag.25.

(2) Cap. XI. (3) Cap.18.

(4) Tom.2.pag.109., et seq.

„ mnus : *Jam surgit hora tertia . Jam sexta sensim volvitur* : *Ter* „ *hora trina volvitur* . *Hic est dies verus Dei* . Hymnus ad pri- „ mos nocturnos : *Aeterne rerum conditor* : ad secundos : *Ma-* „ *gna , et mirabilia etc.* „ .

99. S. Isidorus (1) „ : In vespertinis autem officiis primo „ lucernarium , deinde psalmi duo , responsorium unum , „ hymnus , atque oratio dicenda est „ . Quem S. Isidori locum doctissimus Martene cum *num.* 70. allegaverit , vehementer miror , cur *num.* 39. ejusdem capitis scripserit „ : De „ hymnorum usu apud veteres monachos nihil apud Cassia- „ num , aliasque orientalium Patrum Regulas , sed neque in „ Regula incerti auctoris sub nomine S. Augustini vulgata , „ neque in Regula S. Columbani , *S. Isidori* , S. Fructuosi , „ Magistri , Donati , Cujusdam ad monachos „ . Non est autem hic solus locus , quo Regula S. Isidori hymnos ordinat ; nam in eadem Regula statuitur (2) , quod „ in tertia , sexta , „ et nona tres psalmi dicendi sunt , responsorium unum , „ lectiones ex veteri , novoque testamento duae : deinde lau- „ des , *hymnus* , atque oratio „ . Nec dubitari de S. Isidoro posset , quin hymnos ecclesiasticos adamaverit , cum praefuerit , parsque maxima fuerit Concilii IV. Toletani , in quo acerrime propugnata est Apostolica hymnorum consuetudo .

100. Verum etiam de S. Columbano Sigebertus Gemblacensis (3) narrat , quod „ tanto sapientiae thesauro est dita- „ tus , ut adhuc adolescens *librum psalmorum* elimato sermone „ scriberet , et alia multa ederet *vel ad canendum digna* , vel „ ad docendum utilia „ . Fit pariter mentio psalmorum , et *hymnorum* in Regula S. Augustini ad Moniales (4), et in Regula S. Donati (5) . Ex quo satis revincitur sententia Martenii, et aliorum , qui , ut videtur , eo duce in eumdem errorem inciderunt , ut Schola Liturgica Collegii Romani in *Conclusioni-*

(1) Reg. cap. 7.

(2) Tom. 3. Holsten. pag. 208. cap. 7.

(3) De Scriptor. Eccles.

(4) Cap. 4. pag. 7. tom. 3.

(5) Cap. 17. pag. 91. ibidem .

bus anno 1751. *editis Decade* 32., quarum auctor est, non Benedictus XIV., ut quidam putarunt, sed Emmanuel Azevedo. His, ut alios praeteream, adhaesit Joannes Peregrinus Pianacci in *Tractatu de divino officio* Clementi XIV. dicato (1): *Ne anche nell' Occidente*, inquit, *sene vede vestigio in quelle* [Regole] *de' SS. Colombano, e Cesario in Francia, e de' SS. Isidoro, e Frutuoso in Ispagna*. Ita ille de hymnis loquens Martenii assertionem transcribit, additque Regulam S. Caesarii; cum tot contraria sint evidentissima argumenta.

101. Praeterea Regula S. Fructuosi nihil aliud est nisi quaedam admonitio, et commentatio in Regulam S. Benedicti, ut probat Mabillonius citandus §. *XXI. num.* 114., neque a S. Fructuoso hymni rejici poterant, quos per Hispaniam, Galliamque omnem retinendos praeceperat Concilium Toletanum IV., et VIII., cujus verba referentur §. *eodem, num.* 117.. Concilium Toletanum XI. *cap.* 3. decrevit, quod *Abbatibus sane indultis officiis, quae juxta voluntatem sui Episcopi regulariter illis implenda sunt, cetera officia publica, id est, Vesperam, Matutinum, sive Missam aliter quam in principali Ecclesia celebrare non liceat*. S. Fructuosus Concilio X. Toletano subscripsit, quod anno 656. habitum fuit, scilicet undeviginti annos ante Concilium XI.. Quapropter si aliquod forte discrimen inter officium commune Hispanicum, et officium a S. Fructuoso ordinatum intercessit, hoc decreto Concilii Toletani XI. sublatum fuit. Praeterquam quod Monachi Episcopis penitus subjecti erant (*a*), et cum in Concilio Toletano III. jusserint Episcopi, unum idemque officium in universa Hispania, Galliaque celebrari, quis dubitet, plerosque Episcopos etiam in monasteriis id exequi voluisse?

102. Decipiuntur similiter, qui apud Monachos in occidente non viguisse hymnos dicunt, quia in Regula S. Donati non fit eorum mentio. Donatus Episcopus Vesontiensis (2)

(1) Part. 1. cap. 27.

(*a*) Egregie id probat Cajetanus Cennius *tom. 2. de Antiquit. Eccles. Hispan. Dissert. 6. cap.* 2.

(2) In veter. Cod. MSS. apud Holstenium.

Fideles viros sub B. Benedicti, et B. Columbani Luxoviensi Regula victuros instituit. Et in Regula Gauthstudae Abbatissae, aliisque Virginibus nuncupata ita loquitur „: Quamquam „ vos juxta normam Regulae, vasa pretiosissima, egregie no„ verim quotidie vitam ducere; attamen qualiter magis ex„ cellere debeatis, sagaci vultis semper intentione perquirere. „ Quam ob causam saepius mihi injungitis, ut *exploratâ* „ *S. Caesarii Arelatensis Episcopi regula*, quae specialibus „ Christi Virginibus dedicata est, *una cum Beatissimorum* „ *Benedicti quoque, et Columbani Abbatum*, ut puta (ut ita „ dixerim) collectis in unum flosculis ad instar Enchiridion „ excerpere vobis, vel coacervare deberem etc. „. Igitur cum S. Donatus *cap.* 17. obiter *hymnorum* meminit, intelligendus est de illis hymnis esse loquutus, quos Moniales *juxta normam Regulae S. Caesarii* recitabant. Praetereo, Mabillonium (1) multis argumentis contra Bollandianos demonstrandum suscepisse, Regulam S. Benedicti Coenobiis S. Columbani a prima eorum origine fuisse impositam simul cum S. Columbani Regula.

103. Quae vero deinde consequuta sunt tempora, ita clare observantiam monachorum in hymnis concinendis praeseferunt, ut id confirmatione minime indigeat. Annotandum est tamen, quod circa eorum cantum apud Cluniacenses testatur Uldaricus (2). „ Quamquam illorum hymnorum me„ lodia, qui cantantur in Pascha, ita sit plana, et in dire„ ctum, et in ipso sacrosanctae dominicae Resurrectionis die „ non magis solemnis, quam si iidem hymni ad aliquem, „ ut ita dicam, privatum diem pertinerent, quod nobis reli„ ctum a simplicitate seniorum nostrorum adhuc ita tene„ tur ... Et si qua persona esset idonea, quae id Domino „ Abbati suggereret, et suaderet, fortassis emendari jube„ ret „. Monachi Claravallenses sub S. Bernardi disciplina in hymnorum usu aliquantum a communi Ecclesiae consuetudine recesserunt, si fides habenda sit Petro Abaelardo,

L 2

(1) Tom. 1. Annal. Benedict. in Praefat. (2) Lib. 2. cap. 25.

qui, ut contra S. Bernardum defenderet, recte a se in oratione dominica pro *Panem nostrum quotidianum* substitutum fuisse *Panem nostrum supersubstantialem* novitates monasterii Claravallensis in officio divino illi exprobrat (1): „ Quorum, „ ut pauca commemorem, inquit, pace vestra *hymnos solitos* „ *respuistis*, et quosdam apud nos inauditos, et fere omni- „ bus Ecclesiis incognitos, ac minus sufficientes introduxi- „ stis. Unde et per totum annum in vigiliis tam feriarum, „ quam festivitatum uno hymno, et eodem contenti estis, „ cum Ecclesia pro diversitate feriarum, vel festivitatum di- „ versis utatur hymnis . . . Cum hoc triduum tamquam exe- „ quiae Domini in luctu peragatur ... non mediocriter mi- „ randum videtur vel invitatorium, vel hymnum, vel gloria, „ quae potius gaudii voces sunt, decantari... Quae omnia „ cum omnibus in magnam admirationem veniant, cur haec „ scilicet vestra novitas *totius Ecclesiae usui* apud vos praefe- „ ratur, nec tamen ab institutione vestra receditis „ ?

104. Sed nimis operosus, neque utilis labor esset ea omnia persequi, quae in re hymnaria ad varietates, dissensionesque monachorum tum inter se, tum cum ceteris Ecclesiarum moribus, ac ritibus pertinere viderentur. Fuerunt autem aliqui SS. Patrum testimoniis contra cantum theatralem in ecclesiis quibusdam usitatum decepti, qui temere affirmarent, nullo pacto in ecclesia psalmorum, hymnorumve cantum esse celebrandum. Horum; qui *Petrobusiani* dicebantur, errorem refellit Petrus Abbas Cluniacensis in *tractatu adversus illos, qui negabant esse ore cantandum*. Consuli potest Teophilus Raynaudus (2), qui sicuti effeminatos in ecclesiis concentus ex Origine (3), ex S. Hieronymo (4), et ex S. Augustino (5) fuse exagitat, ita moderatam psalmodiae, et hymnodiae modulationem defendit.

(1) In Epist. 5. ad S. Bernardum.

(2) tom. 1. Haeteroclit. part. 1. pag. 162., et seq.

(3) Homil. 6. in Judic. a medio.

(4) In Cap. 1. ad Ephesios, et ad Rusticum de Institutione Monachi.

(5) 10. Confes. cap. 33.

§. XIX.

Novi hymnorum impugnatores.

105. Verum in cantu ecclesiastico, nisi Episcopi invigilent, facile est, ut corruptelae irrepant, contra quas licuit semper, licebitque declamare. Sed hymnos ecclesiasticos post tantam SS. Patrum, et Ecclesiarum consensionem cur aliqui explodendos censuerint, nullam video esse causam idoneam. Canonem Concilii Laodiceni *de privatis, et vulgaribus psalmis rejiciendis* supra exhibuimus. Concilium Carthaginense III. celebratum est circa tempora Siricii, cujus hic canon ordine 47. circumfertur: *Item placuit, ut praeter scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum... Liceat etiam legi Passiones Martyrum, cum anniversarii eorum dies celebrantur.* Harduinus putat, hunc canonem pertinere ad caput 24. Concilii Carthaginensis celebrati sub Bonifacio, cujus fit in eo mentio, post duodecimum Honorii consulatum, et octavum Theodosii. Cujuscumque tamen Concilii dicatur esse praedictus canon; usum hymnorum non tollit, cum hi non legantur *sub nomine divinarum Scripturarum*. Immo cum concedat, Passiones Martyrum in ecclesia legi, eccur hymnos, quibus Passiones, et triumphi Martyrum celebrantur, legere, et canere non permittet?

106. Certius contra carminum ecclesiasticorum observantiam profertur canon 12. Concilii Bracarensis anno 561. celebrati: „ Item placuit, ut extra psalmos, vel canonicarum „ Scripturarum novi, et veteris testamenti *nihil poetice com-* „ *positum* in ecclesia psallatur; sicut et sancti praecipiunt „ Canones „. Quid clarius? Nihilominus P. Henricus Florez (1) in Cajetanum Cenni invehitur, quod asseruerit, Concilium Bracarense hymnos reprobasse, vehementer mira-

(1) Tom. 3. Hispaniae Sacrae Dissert. 1. cap. 3.

tus, Beneficiatum S. Petri Vaticani (*a*) ad explicationem canonis parum piam descendisse: benignamque interpretationem ipse adhibere contendit, conatu certe magis pio, quam critico. Quid enim refert, quod addat canon = *sicut et sancti praecipiunt Canones*? Nam si Patres illi credebant, sanctis canonibus praeceptum esse, ut *nihil poeticum* in Ecclesia psalleretur, recte omnia canonis verba procedunt in sensu obvio, ut nihil omnino in ecclesia *poetice compositum* caneretur. (*b*)

107. Quod autem Florez ait, canonem concilii Bracarensis contra Priscillianistas, qui altas radices egerant in Gallaecia, quique jam olim hymnum Domino nostro Jesu Christo adscriptum commenti fuerant, a Patribus fuisse directum, ac

(*a*) Nescio quid magnum Florezius noster de Beneficiatis S. Petri sibi finxerat, nisi forte existimabat, aliquam infallibilitatis Pontificiae particulam Beneficiatis S. Petri communicari, ne Concilii cujuspiam Provincialis canones alieno sensu accipiant. Certe interpretatio Cennii piissimis, doctissimisque hominibus perplacet Mabillonio, Martenio, Pinio, Grancolae, Meratio, aliisque. Explicationem Florezii fortassis probaverit Binghamus, qui *lib.* 14. *Orig. eccles. cap.* 1. §. 17. hunc titulum fidenter posuit: ***Nulla contra psalmos, ac hymnos humano studio compositos, ut tales facta objectio***. At de Canone Concilii Bracarensis altum silentium in toto illo paragrapho. Alias objectiones pariter omittit, neque eis, quas sibi proponit, plene satisfacit. Saepe miratus sum pervulgatae de hoc scriptore famae diligentiam non respondere; ac dolendum est, quod Cl. P. Mamachius eruditissimum opus *de ecclesiasticis antiquitatibus* non absolverit, aut, eo cessante ob amplissima reipublicae christianae munera ipsi collata, alius non sit aggressus perficere.

(*b*) Franciscus Lopez de Barrera Chartophylacii Hispanae Legationis in Urbe Praefectus edidit anno 1758. Dissertationem perquam eruditam, qua non solum opinionem Cennii quemdam antiquum Canonum codicem S. Isidoro tribuentis refellit, sed etiam alium codicem antiquum ipse producit, quem esse ipsum verum veteris Ecclesiae Hispanicae codicem juxta reformationem S. Martini Bracarensis dispositum ostendere conatur. Hujus codicis canon 67. his verbis est conceptus: ***Non oportet psalmos compositos, et vulgares in Ecclesia dicere, neque Libros, qui sunt extra Canonem legere, nisi solos canonicos novi et veteris testamenti***. Qua explicatione manifestior redditur sententia concilii Bracarensis.

similiter canonem Concilii Laodiceni contra plebeos, et vulgares hymnos adversus Paulum Samosatenum prodiisse, (nam utrumque canonem Florez in bonam partem accipit), id, inquam, in primis admodum incertum est, vel potius falsum. Etenim nihil est causae, cur Patres Bracarenses hymnum Jesu Christi confictum, quem Priscillianistae *abscondebant* potius, quam *evulgabant*, prae oculis habuisse dicantur, cum *nihil poetice compositum in ecclesia canendum* esse decernebant (a). Ita etiam Laodiceni Patres insania Pauli Samosateni, quae seculo praecedenti in Concilio Antiocheno fuerat compressa, permoti fuisse non videntur, ut psalmos vulgares, et plebejos prohiberent. Deinde licet isthaec, vel alia consimilis causa Patres utriusque Concilii compulerit, ut novum aliquod decretum circa hymnos humano ingenio compositos pronunciarent, tamen probabilissimum est, quod, dum periculum omne effugere conantur, falcem ad radicem apposuerint, ac carmina omnia ab ecclesiasticis coetibus, et cantibus expulerint, nihilque aliud praeter Scripturas canonicas admiserint; quod verba ipsa canonum ostendunt, nisi aliqua violenta explicatione alio detorqueantur. Crediderim, Patres Concilii Bracarensis contra consuetudines monachorum hunc de hymnis canonem condidisse; nam canon I. haec habet. *Placuit omnibus communi consensu, ut unus, atque idem psallendi Ordo in matutinis, ac vespertinis officiis teneatur; et non diversae, ac privatae, neque monasteriorum consuetudines cum ecclesiastica Regula sint permixtae.*

108. Sicui tamen benignior Canonum interpretatio arri-

(a) Ex versiculis hymni Priscillianistarum, quos S. Augustinus profert, agnoscere potuit Florezius, eum hymnum non fuisse *poeticum*, aut *metricum*, si facultatem poeticam callebat. Sed ex pluribus ejus historiae locis arguo, ipsum sublimibus scientiis multo magis, quam his levioribus doctrinis fuisse excultum. Versiculi, sive verba hymni sunt: *Solvere volo, et solvi volo. Salvare volo, et salvari volo. Plangere volo, tundite vos omnes. Ornare volo, et ornari volo. Lucerna sum tibi, ille qui me vides. Janua sum tibi, quicumque me pulsas. Qui vides, quod ago, tace opera mea.*

deat, per me licet: dummodo hoc mihi vicissim concedatur, unius, alteriusve Concilii particularis auctoritatem, siqua tamen sit ecclesiasticis hymnis contraria, nequaquam Apostolicae, et communi traditioni gravissimis Patrum, et Conciliorum attestationibus comprobatae praejudicare: ob illam etiam rationem, quia antiquis temporibus sua officia quique Episcopi, vel Provinciae ordinabant, ac proinde liberum ipsis erat hymnos admittere, vel explodere. Et quoniam ex hac libertate timeri poterant incommoda, idcirco minus est mirandum, si aliqui Episcopi solam sacrae scripturae recitationem, vel modulationem in Ecclesiis stabiliendam esse arbitrarentur.

§. XX.

Ecclesiasticae Hymnodiae Adversarii refelluntur.

109. His certe canonibus Concilii Laodiceni, et Bracarensis Agobardus Lugdunensis Episcopus circa annum 813. persuadere conabatur (1), nihil omnino in divinis officiis esse canendum, nisi quod ex sacra pagina esset d promptum: *Sed et reverenda Concilia Patrum*, inquit, *decernunt, nequaquam plebejos psalmos in Ecclesia decantandos, et nihil poetice compositum in divinis laudibus usurpandum*. Hunc tamen errorem Agobardi (sic enim eum appellat (2) Cardinalis Bona) egregie refutarunt Stephanus Durantus, sive verus sit auctor *Lib. de Rit.* Petrus Danezius Episcopus (3), Bellarminus (4), Suarez (5), aliique permulti. Quin etiam librum Agobardi, viri alioqui sanctitate illustris, ab Inquisitoribus Hispanicis notatum censura fuisse monet Theophilus Raynaudus (6). Ac fortasse ex hac Agobardi opinione contigit, ut in Ecclesia Lugdu-

(1) De ritu psallendi, et de correctione Antiphonarii.

(2) Divinae psalmod. c. 16. §. 14.

(3) Lib. 3. de ritibus cap. 18.

(4) Lib. de operibus in particulari c. 14.

(5) Lib. 4. de orat. c. 2.

(6) In Paralipom. ad Indicem Sanctorum Lugdunensium p. 599.

Lugdunensis nulli adhuc hymni nisi in completorio concinantur. Sed vel hic ipse hymnus in completorio admissus, qui singulis feriis, et festis mutatur (a), et antiphonae, responsoria, versus, et multa alia, quae licet non desumpta ex Sacris Litteris in officio Ecclesiae Lugdunensis leguntur, argumento sunt, a Lugdunensibus flocci habitam fuisse sui Episcopi sententiam, praesertim cum ipse contra Antiphonarium S. Gregorii Magni, cui illud adscribendum esse pernegabat, orationis suae jacula potissimum contorserit.

110. Ceterum ut appareat, ad hymnos quod attinet, nullam fuisse Agobardo rationem, cur eos rejecerit, canonem 30. Concilii Agathensis anno 506. non modo multo ante Agobardum, sed etiam ante Bracarense Concilium celebrati in medium proferre non pigebit,,. Et quia convenit, inquit, ,, ordinem Ecclesiae ab omnibus aequaliter custodiri, studen- ,, dum est, ut *sicut ubique fit, post antiphonas collectiones per* ,, *ordinem ab Episcopis, vel Presbyteris dicantur, et hymni ma-* ,, *tutini, vel vespertini diebus omnibus decantentur*, et in con- ,, clusione matutinarum, vel vespertinarum Missarum *post* ,, *hymnos* capitella de psalmis dicantur,,. Sexennio post Concilium Bracarense habita est Synodus Turonensis anno 567., quae decretum Concilii Bracarensis singillatim videtur refutare canone 23. . ,, Licet hymnos Ambrosianos habeamus in ,, canone; tamen quia reliquorum sunt aliqui, qui digni sunt

M

(a) P. Paulus M. Paciaudus *in Antiquit. Christ. de cultu S. Joannis Baptistae Dissertat. 4. cap. 6.* postquam asseruerat, Ecclesiam Lugdunensem a cantionibus metricis abstinere *praeterquam in Completorio*, subjicit in Nota, neque impugnat assertionem falsam, et quadamtenus contrariam Petri Persin Episcopi Pontiopolis in Gallia, quod Ecclesia Lugdunensis ex praescripto Concilii Bracarensis, et monito S. Agobardi: *ne dit point d'Hymnes dans tous ses Offices*. Neque silendum est, S. Agobardum, quamvis hymnos ab officiis ecclesiasticis amandaverit, non tamen ab iis pangendis abhorruisse, cum illius Hymnus in Translatione Reliquiarum SS. Martyrum Cypriani, Sperati, et Pantaleonis ad nos usque pervenerit.

„ forma cantari, volumus libenter amplecti eos praeterea, „ quorum auctorum nomina fuerint in limine praenotata: „ *quoniam quae fide constiterint, dicendi ratione non obstant* „. Nimirum, ut ego arbitror, quoniam Patres Bracarenses *poeticas cantiones* a divinis officiis removendas autumaverant, Concilium Turonense respondet, quae fide constiterint, *dicendi ratione* non obstare.

111. Addita vero est lex, ut hymnographorum nomina notarentur; quod illis temporibus opportunum visum fuit, ne callidi haeretici latenter suos errores instillarent. Hoc ipsum observatum fuit in Breviario Romano jussu S. Pii V. edito; sed cum animadversum fuisset, ambiguum valde esse, an antiqui auctores, quorum nomina praemittebantur, vere eos hymnos composuissent, nullum praeterea esse periculum erroris, cum examine, et auctoritate Ecclesiae illiusmodi hymni comprobati essent, in editionibus consequentibus auctorum nomina praetermissa sunt. Sed ut eo redeam, unde aliquantulum diverti, ad eamdem prohibitionem Concilii Bracarensis respexisse videtur Concilium IV. Toletanum anno 632., cujus canonem 13. dedimus supra §. *V. num.* 18.. Etenim ad eam alludunt, vel non multum abludunt illa verba: *Quos tamen* (hymnos) *quidam specialiter reprobant pro eo quod de Scripturis sanctorum canonum, vel Apostolica traditione non existant etc.*. Eoque validior erit haec conjectura, si prope finem canonis pro *Gallia* legatur *Gallaecia*, seu *Galicia*, ut in quibusdam MSS. legitur, videlicet „: Sicut igitur oratio- „ nes, ita hymnos in laudem Dei compositos nullus vestrum „ ulterius improbet, sed pari modo *Galicia*, Hispaniaque ce- „ lebret, excommunicatione plectendi, qui hymnos rejicere „ fuerint ausi „. Itaque cum huic IV. Concilio Toletano inter alios subscripserit Julianus Bracarensis Metropolitanus, qui Gallaecis praeerat, consequitur, Clerum Gallaeciae opinionem de reprobandis hymnis, si eam, ut videtur, amplexus fuerat, deinceps abjecisse, ac cum reliquis Hispaniae Provinciis veterem Ecclesiae consuetudinem adoptasse.

§. XXI

Antiqua Ecclesiae Hispanae consuetudo in hymnis celebrandis .

112. Quis crederet, ex hoc canone 13. Concilii Toletani argumentari aliquem potuisse, ante id tempus non videri in usu fuisse apud Hispaniam Hymnos ecclesiasticos? Atqui ita sibi colligere visus est Cajetanus Cenni (1), quem merito refellit Florez in *Hispania Sacra* (2). Equidem de Hymno S. Jacobi in officio Mozarabico: *O Dei verbum Patris ore proditum etc.*, quem ex codice antiquo Ecclesiae Toletanae correctum exhibet Florez (3), nihil habeo certum, quo primum tempore prodierit, de quo in *Hymnodia* ad diem 25. Julii disputabo. At consuetudinem in Hispaniis viguisse decantandi hymnos in officio ecclesiastico ante IV. Concilium Toletanum quis ita ineptus sit, ut audeat inficiari? Quis in ipso canone 13. hujus Concilii perspicue non legat, morem antiquum propugnari? Agitur in eo canone contra *quosdam*, qui hymnos humano studio compositos reprobabant; approbabant ergo ceteri, et quidem Salvatoris, et Apostolorum exemplo permoti. *De hymnis etiam canendis* (inquiunt Patres) *et Salvatoris, et Apostolorum habemus exemplum* .

113. At Concilium Bracarense (reponit Cennius) hymnos reprobavit. Non repugno. Sed hujus canonem editum contendo contra usum cum alibi, tum in *reliquis Hispaniae partibus* vigentem: immo ut hunc usum, quem corruptelam existimabat, corrigeret, ita Concilium pronunciasse facile quivis sibi persuadebit. Non enim abusus, qui procul invaluerunt, sed qui prope imminent, solent censura configi. Revera consentiunt Auctores, (Vide supra §. XIII., et seq.) seculo 4. frequentiorem hymnorum celebritatem ab Ecclesia

(1) Tom. 1. Dissertat. 1. cap. 2. num. XI. et XII.

(2) Tom. 3. Dissert. 1. cap. 3.

(3) Ibid. pag. 96.

Mediolanensi pene omnes alias occidentis Ecclesias pervasisse, idque ipsum fatetur S. Isidorus (1). Si autem tota, qua late patet, Hispania ab hac consuetudine abhorruisset, non potuisset ea assertio proferri ab aliis, multo vero minus a S. Isidoro, quem res Hispanicae minime latebant. Prudentius saepe cantum hymnorum, rationemque describit, uti in hymno de SS. Fructuoso, Augurio, et Eulogio (2).

Circumstet chorus ex utroque sexu
Heros, virgo, puer, senex, anicla,
Vestrum psallite rite Fructuosum,
Laudans Augurium resultet hymnus,
Multis Eulogium modis coaequans,
Reddamus paribus pares camoenas.
Hinc aurata sonent in arce tecta,
Blandum littoris extet inde murmur.
Et carmen freta feriata pangant.

114. His accedit conjectura desumpta ex Ordine monachali S. Benedicti in Hispaniis. Mabillonius (3) „ Id unum, inquit, addere juvat, Leandri, Isidori, et Fructuosi Regulas censendas esse potius admonitiones, ut loquitur Isidorus, et quasdam in S. Benedicti regulam commentationes locis, ac personis accommodatas „. Apud monachos regula S. Benedicti de hymnis recitandis observari debuit; ex monachis autem plurimi ad Sedes Episcopales evecti hymnos, quorum concentui insueverant, vix credibile est, quod in Ecclesias suas non induxerint. Ipsum Concilium Bracarense id queritur, consuetudines monasticas ad ritus Ecclesiasticos a quibusdam traduci. Nec dubito, quin monachi Benedictini plurimum ubique juverint, ut hymni metrici, et rhythmici in officii ecclesiastici ordine rite inducerentur, aut crebrius celebrarentur, ubi aliquatenus vigebant: praesertim cum Regula S. Benedicti summopere laudata, et Monachis, ac Mo-

(1) De divin. officiis lib. 1. cap. 6.
(2) Peristephanon hymno 6.
(3) Praefat. ad secul. 1. Benedict. num. 74., et 75. Act. SS.

nialibus proposita fuerit in *Concilio Germanico Incerto confirmato ad annum* 743. *a Leptinensi canone I.*, *et in Concilio II. Rhemensi can.* 9. (1).

115. Non tamen silentio praeteribo, Mabillonium plerisque videri, Benedictinorum claustra antiqua ultra, quam par est, extendisse, quod tenet laudatus Cennius (2) probans, sexti seculi dimidio antiquiorem non esse monasteriorum originem in Hispaniis, Joannem Mariana diligentem, et integrum, ut ait, Historicum sequutus. Profecto *monasterium* saepe antiquitus vocabatur unius tantum monachi cella; atque adeo ex hac parte origo Congregationum monasticarum differri potest, licet superioribus seculis mentio *monasteriorum* occurrat. Sed qualiacumque fuerint, erant certe ante Concilium Bracarense *monasteria*, quorum consuetudines in officiis divinis, ne cum ecclesiastica Regula permiscerentur, Patres ejus concilii vetuerunt. Ratio vero, qua Cennius ad hymnos in antiqua Hispaniae Ecclesia negandos permovetur, levissima est, ac nullo negotio diluitur. „ Haud „ dubie, ait (3), seculo Ecclesiae septimo, quum maxime „ florebat Ecclesia Hispana, Ambrosiani praesertim hymni „ ubique obtinebant ... In Hispaniis autem secus erat, quip„ pe quas *ante invaserunt Ariani*, *quam hymni Ambrosiani in*„ *valescerent*. Hinc est, quod Episcopi Hispaniarum anti„ qui moris retinentissimi, ubi primum sub Regibus Suevo„ rum in Gallaecia deposuerunt haeresim, veluti abusum „ sunt aversati sacros hymnos „.

116. Ex quibus conjecturis nihil contra usum hymnorum in Hispania conficitur: primum, quia *ante Gothorum imperium Hispanicum Catholici erant in Hispania*, qui *juxta morem Ecclesiae Ambrosianae*, aut ex Apostolica traditione, et observantia hymnorum concentum habere, et post Gothorum irruptionem retinere potuerunt. Deinde licet Ulphilas primus

(1) Apud Holsten. tom. 2. pag. 3.
(2) Tom. 2. Dissert. 4.
(3) Tom. 1. Dissert. 1. cap. 2. num. XI.

Gentis Gothorum Episcopus ad Arianos defecerit, nihilominus multi alii Religionem Catholicam, ritusque primos conservarunt, et cum ceteris Catholicis Italis, aliarumque Provinciarum communicabant. Tum post acceptam a Ghotis haeresim Arianam, S. Joannes Chrysostomus in officiis ecclesiasticis Gothorum, qui Catholici remanserant, partem aliquam probabiliter habuit, ut ostendit Pinius (1). Postremo tantum abest, ut Ariani hymnos rejecerint, ut maxime illis fuerint abusi. Ac vide diversa hominum judicia, pugnantesque inter se opiniones. Supra nobis laborandum fuit, ne Ariani hymnorum inventores crederentur; nunc Cennius Gothos ab hymnis abhorruisse putat, quia haeresim Arianam fuerant amplexi.

117. Postquam autem Concilio IV. Toletano solemniter Hymnologia approbata fuit, et in omnibus Hispaniae Ecclesiis idem divinum officium praeceptum est servari, mirum, qua constantia Praesules Hispani hanc consuetudinem auxerint, et promoverint. Concilium Toletanum VIII. anno 653. (2) hoc edidit decretum: *Proinde solicite constituitur, atque decernitur, ut nullus cujuscumque dignitatis ecclesiasticae deinceps percipiat gradum, qui non totum psalterium, vel canticorum usualium, et hymnorum, sive baptizandi perfecte noverit supplementum.* (a) Huic simile est aliud decretum Concilii Cojacensis in Ovetensi Dioecesi anno 1050. *Quinto titulo decrevimus, ut Archidiaconi tales Clericos constitutis quatuor temporibus ad ordines ducant, qui perfecte totum psalterium, hymnos, et cantica, evangelia, et orationes sciant.* Nec multo post Concilium Compostellanum anno 1056. canone I.,

(1) De Liturgia Hispanica antiq. cap.2. §.2. (2) Tom.2. pag.566.

(a) Hispanos clericos diligentius, quam Romanos, hymnis, et psalmis memoria retinendis circa haec tempora sese excoluisse, non negabit, qui hunc canonem cum Walafridi sententia *de reb. ecclesiast. cap.25.* conferat. *De Gregorio autem III. velut inauditum quiddam, et novum refertur, quod omnes psalmos memoriter tenuerit. Ubi intelligi datur, paucos priorum ita psalterium didicisse.* . . .

et II. constituit, ut *Subdiaconus annos* 18. *habeat* ; *Diaconus* 25., *Presbyter* 30.; *et ipsi*, *qui totum psalterium*, *cantica*, *et hymnos* ... *perfecte sciant*.„ Praeterea in codice veterum canonum Ecclesiae Hispanae ex genuina Conciliorum, et Decretalium Epistolarum collectione, quem S. Isidoro Cennius adjudicat, hi duo canones habentur (1): „ Ut „ post antiphonas orationes dicantur: verum et *hymni Ma*„ *tutini*, *et vespertini* cum capitellis psalmorum cantentur. „ *Concilii Agathens. tit.* 30. *a cap.* 30. De non renuendo pro„ nunciare *hymnos*. *Concil. Tolet.* 4. *tit.* 13. *a cap.* 47.„. Sed de Hymnorum in Hispaniis antiquitate hactenus dicta sufficiant, Plura eodem spectantia mox proferentur, cum nonnulli latini auctores hymnographi indicabuntur.

§. XXII.

Hymnorum auctores orientales.

118. Et primum quidem de orientalibus, qui ecclesiasticis carminibus operam dederunt, breviter disserendum est. De Clemente Alexandrino, de Nepote Aegyptiaco Episcopo, de Athenogene Martyre, de S. Ephrem Syro diacono sermo habitus est §. *X.*, *XI.*, *et XII.*. Impias Pauli Samosateni cantiones, damnatos Valentini, et Hieracis psalmos, Arii thaliam, et sotadea carmina, plebejos, ac vulgares Apollinarii versus nihil attinet hoc loco commemorare; et si maxime attineret, in §§. quoque superioribus dictum est abunde. Apud continuatores Bollandi (2) sculpta est tabula 29. Hymnographos Graecos repraesentans cum hoc lemmate *Hymnorum modulos hi composuere sacrorum*. Praecipui sunt Germanus Patriarcha Constantinopolitanus sub Leone Armeno, Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus seculo 8., Philotheus Patriarcha Constantinopolitanus seculo 14., Andreas

(1) L. 4. tit. 14. (2) T. 2. Junii Dissert. ad Acoluthiam officii Graeci.

Cretensis Archiepiscopus, Joannes Euchaitarum Metropolita, Georgius Nicomediae Archiepiscopus, Methodius, Cyprianus, Anatolius Episcopi ignoti. Sunt praeterea sex viri seculares; in latere vero sinistro enumerantur Monachi, e quibus noti sunt Joannes Damascenus, Cosmas ejusdem aetatis Majumae Episcopus, S. Ioseph *hymnographus*, cujus Mariale vulgavit Marraccius Romae 1661. in 8., Theophanes Graptus. In ima parte Tabulae exprimitur Casia, nobilis poetria, quae seculo 8., aut 9. floruit.

119. Leo Allatius (1) unum et septuaginta sacrorum carminum scriptores recenset, e quibus praeter jam memoratos illustriores sunt Constantinus Porphyrogenneta, Joannes Archiepiscopus, Leo Imperator, Methodius Patriarcha Constantinopolitanus, Metrophanes, Michael Psellus, Photius Patriarcha Constantinopolitanus, Procopius Chartophylax, Theophilus Imperator. Reliquorum nuda nomina quid juvaret excribere, aut legere? Si tamen erit, cui placeat distinctas notiones vocum, quibus diversas Hymnorum species, et partes Graeci in suis officiis ecclesiasticis appellant, videlicet = *Echus*, sive *tonus*, *troparium*, *sticherum*, *et stichus*, *idiomelum*, *hirmi*, *contacion*, *canon*, eas haurire poterit *ex laudata Dissertatione Bollandianorum tom. 2. Junii*. Cardinalis Quirinus in *Diatribis post vetus officium Quadragesimale Graeciae orthodoxae* idem argumentum accurate, et erudite pertractat.

120. In Bibliotheca Patrum editionis Lugdunensis reperiuntur Synesii Episcopi Cyrenensis Hymni varii (2), Cosmae Hierosolymitani Hymni (3), Marci Episcopi Idruntis hymnus *in magnum Sabbatum* (4), Joannis Geometrae hymni (5) incertae aetatis. Ejusdem codicem Ms. citat Oudin *de scriptor. Ecclesiast.* hoc titulo, *Hymnus in sanctissimam Virgi-*

(1) Distert. 1. de libris eccles. Graecorum.

(2) Tom. 6. pag. 159. Seculo 5.

(3) Tom. 12. pag. 737. secul. 7.

(4) Tom. 12. pag. 333. secul. 8.

(5) Tom. 27. pag. 471.

Virginem, auctore sapientissimo Geometrio. Adduntur salutationes in quatuor sectiones divisae, sicut et alia carmina in festa, et celebriores festivitates. Idem de S. Joanne Damasceno plura refert, cujus, ut ait, extant *iambi pentastici*, *cantica*, *carmina*, *octoechi etc. in Bibliotheca Caesarea Vindobonensi inter Mss. cod. Graecos theologicos*, *necnon cantica ecclesiastica in praecipuis anni solemnitatibus cantari solita*. Extant similiter Cosmae Hierosolymitani Graece *canones*, *sive cantica ecclesiastica*, *et troparia*. Sed audiatur idem Oudin, ubi loquitur de Cosma Hierosolymitano: Primi, inquit, canones, „ seu cantica sacra, et troparia in Ecclesiam graecam can„ tanda introduxisse creduntur Cosmas Hierosolymitanus, „ et Joannes Damascenus. Post hos Josephus Thessalonicen„ sis Archiepiscopus circa annum 810., Theophanes Gra„ ptus Nicaenus Archiepiscopus circa annum 842., et Jose„ phus alter *Hymnographus* dictus circa annum 850., et An„ dreas Cretensis eadem aetate. Hunc Ecclesiae Graecae mo„ rem Latina suscepit „.

121. Miror singularem hominis alioquin eruditi vel oscitationem, vel confidentiam. Nam quem lateat, hunc morem longe ante isthaec tempora et in Graeca, et in Latina Ecclesia latissime fuisse propagatum? Vel ipsa Graecorum vocabula *Canones*, *troparia* multo antiquiora esse indubitatum est. Nicephorus Callistus (1) de Justiniano Imperatore memoriae prodidit, quod „ Post Synodum (quintam universa„ lem) troparium, seu cantilenam, cujus initium est, *Uni„ genitus filius*, *et Verbum Dei*, composuit, atque eam Ec„ clesiae inter psallendum usurpandam tradidit „. Aloysius Assemanus (2) confirmat, Cedrenum (3), et antea Theodorum Lectorem (4) asseruisse, auctores fuisse tropariorum Anthimum, et Timoclem. Alii apud Bollandianos (5) hoc

N

(1) Lib. 17. cap. 28.

(2) L. 8. p. 4. to. 9. Cod. Liturg. in Annot. in Graec. ord. p. 331. et seq.

(3) In Zenone. (4) Eclog. 1.

(5) Tom. 2. Junii Dissertat. ad Acoluthiam officii Graeci.

inventum S. Joanni Chrysostomo tribuunt. Ibidem habetur, Romanum diaconum circa annum 500. *contacia*, nempe genus quoddam hymni ceteris simplicius, plus mille fecisse divino instinctu, et afflatu permotum, sed non propterea inventorem esse credendum, ut nonnullis placuerat.

122. Simon Wangnereckius in *Prolegomenis ad Pietatem Marianam Graecorum* arbitratur, nonnullas odas, quae in Menaeis Graecorum nomine Joannis Archiepiscopi inscribuntur, auctorem habere S. Joannem Chrysostomum; quia Chrysostomi cognomen post plura secula addi coeptum est, cum S. Hieronymus, Gennadius, S. Augustinus, Isidorus Pelusiota, Theodoretus, Sozomenus, et Socrates Joannem tantum Episcopum Constantinopolitanum appellent. Ibidem probat, Menaea Graecorum in ordinem, ac methodum fuisse redacta a S. Sabba, Sophronio, et Damasceno, proindeque ingentem illam canticorum multitudinem, quae sine Auctorum nomine ponuntur, his tribus sive ut auctoribus, sive ut collectoribus, imputandam esse; multaque ex his canticis per traditionem fuisse accepta a S. Charitone, qui tempore Constantini Magni floruit, a S. Euthymio, qui natus est anno 377., ab ejusque collega S. Theoctisto (*a*). Vellem, validioribus argumentis Wangnereckius haec asserta roborasset; sed cum solum nitatur auctoritate Simeonis Thessalonicensis, qui seculo 15. vixit, merito ei refragatur Cardinalis Quirinus (1); cui placet opinio tenens, hymnographos Graecos, quorum hymni extant in officiis, post septimum seculum plerosque florere coepisse.

123. Jam vero de Graecis scriptoribus Hymnorum nonnulla alia peti possunt ex Theophilo Raynaudo, qui *tom.7. oper. Marian. pag.*355. laudat Hymnum Theophanis *de Annuncia-*

(*a*) De S. Sophronio commemoratio fit in Menaeis *die XI. Martii, et* 29. *Novemb.*, de S. Euthymio *die* 20. *Januarii*, de S. Theoctisto *die* 3. *Septembris*, de S. Charitone 28. *Septembris*. Vide Wangnereckium *loc.cit.* §. *XI.*, *et seqq.*

(1) Diatriba de Ecclesiasticorum officiorum apud Graecos auctoritate pag. 24.

tione, *pag*. 359. *canonem*, *et odem* 8. Theodori Studitae, ibidem *canonem* Andreae Cretensis *in conceptionem* B.V., *pag*. 36. *Canonem conciliatorium* Theoterícti, e quibus omnibus hymnis elogia quaedam in Bmam Virginem decerpit. Postremo *pag*. 368. hymnum integrum Theodori Lascari Imperatoris e Graeco Codice Leonis Allatii profert continentem *Odas novem*, *et troparia*, *et stichera*, quibus concluditur, ita praenotatum: *Canon. Salutatio ad sanctissimam Deiparam*. *Opus piissimi Imperatoris Domini Theodori Lascari*. Quibus alios addere facile est e Bibliotheca rituali Zachariae (1), nempe Isaac cognomento *Magnum* Presbyterum Antiochenum ad annum 450., cujus duo hymni extant in officio Syriaco Maronitarum; Theoctistum ad annum 472., cujus sunt Mss. in Biblioth. Vindob. canones, sive cantica sacra in Sanctos totius mensis Aprilis; Joannem Bar-Aphtonium, qui cantus Syriacos de Nativitate Domini composuit, Babaeum Magnum ad annum 599., qui hymnos per anni circulum juxta officium ecclesiasticum Chaldaeorum contexuit; Niersem Chelaiensem ad annum 1166., cujus est liber canticorum Venetiis excusus, quo utitur etiam num Ecclesia Armena; ut alios praeteream.

124. Joannes Albertus Fabricius (2) post duas Leonis Allatii Dissertationes de Libris ecclesiasticis Graecorum addit, intercidisse alteram ejusdem Dissertationem de *Melodis Graecorum*, cujus loco elenchum ipse subjicit celebriorum circiter centum (3). Nuda fere eorum nomina ponit, ac paucorum aetatem exprimit, inter quos Anatolius Patriarcha Constantinopolitanus circa annum 450.; Anthimus itidem P.C.P. anno 535.; Andreas monachus Cretensis anno 630.; Theodorus Syracusanus seculo 8., qui troparia composuit, quae leguntur in vigiliis jejuniorum, de quo Acta Sanctorum Junii (4); Joseph Studita anno 883., Constantinus Porphy-

(1) Lib. 2. cap. 2. art. 1.
(2) Tom. 5. Biblioth. Graecae.
(3) Pag. 236., et seq.
(4) Tom. 2. pag. 780.

rogenitus anno 912.; Nilus Rossanensis anno 980.; Mauropus Metropolita Euchaichorum anno 1050. . Sed de Theodoro Studita, quem leviter attigi, plura videri possunt in Jacobo Sirmondo *tom.* 5. *oper.*, ubi *pag.* 753. *et seqq.* habentur multi iambi sacri, et *pag.*169.*Theodori refutatio, et subversio impiorum poematum Christomachorum Joannis, Ignatii, Sergii, et Stephani, primum quidem versibus pari cum ipsis numero dimensis, aliisque: tum soluta oratione*. In vita ejusdem operibus praemissa agitur de illius Hymnis.

125. Qui vero de auctoribus hymnorum officii quadragesimalis Graeciae orthodoxae plura scire voluerit, adeat duas doctissimas Diatribas Cardinalis Quirini de hoc argumento post laudatum officium quadragesimale ab eo recognitum editas. Fabricii quaedam errata emendans exponit diligenter aetatem, vitam, res gestas Theodori Studitae, Josephi Studitae, qui Theodori germanus frater fuit, alterius Josephi Hymnographi nuncupati, Joannis Damasceni, Theophanis Graptis Nicaeni Episcopi, Andreae Cretensis, Cosmae aequalis Damasceno, Marci Episcopi Hydruntini sub Leone Sapiente, Casiae tempore Michaelis Balbi, qui omnes triodia composuerant in Quadragesima cantari solita: nonnulli ex his, et ante eos Romanus in contaciis elaborarunt. Quaerit etiam eruditus Cardinalis, versibusne, et quo versuum genere conditae sint odae officii ecclesiastici Graecorum; cui quaestioni lucem praetulerat Wangnereckius (1). Uterque propendet in sententiam ajentem, haec pleraque cantica oratione prosa esse conscripta (*a*).

(1) In prolegomenis ad Pietatem Marianam Graecorum num. 31.

(*a*) Aliud reponendum non habeo, inquit Wangnereckius loco citato, quam ideo vocari odas a Graecis, quod in strophas dividantur imitatione odarum; cum praesertim ex usu vulgari significet oda, quiquid cantatur ... Suidas ait, S. Joannem Damascenum, uti et ejus Collegam S. Cosmam Hierosolymitanum, condidisse Canones musicos tum carmine iambico scriptos, tum oratione soluta. Non proinde ambigam, Menaeorum innumeras Odas, in quibus

126. Hymnus Graecorum *Acathistus* quid fuerit, et cur ita appellatus, Raynaudus explicat (1), ac prius ea de re egerat Gretserus Junii interpretationem refellens (2). Summa haec est. Heraclio Imperatore in Persidem profecto, populus Constantinopolitanus Scythas, et Persas irruentes perculit. Hanc victoriam Deiparae acceptam cum referret, hymnum in ejus laudem, et in gratiarum actionem stans cecinit, et tota nocte sine intermissione repetivit, eumdemque anniversario die quotannis simili ritu renovavit. Hinc dies, et hymnus *Acathistos* quasi *sine quiete* dictus, *quod tunc* (ut advertitur in Triodio Graecorum rituali libro) *et populus*, *et clerus universus eodem ardore idem facerent*, *nemine cessante*, *nemine a divinis laudibus conquiescente*. In eodem libro asseritur, nemini permissam fuisse sessionem in Aede B. Virgini sacra, cui nomen in Blachernis, in qua hymnus *acathistus* canebatur.

§. XXIII.

Latini veteres hymnorum auctores.

127. Veniendum jam est ad sacram Latinorum melodiam: S. Hilarium Pictaviensem, et S. Ambrosium, qui primi Auctores habentur, et celebrantur, laudatos habes §. XIV.. De Romanis Pontificibus S. Damaso, S. Gelasio, et S. Gregorio Magno pertractatum est §. XVII.. Hoc loco in primis celebrandus esset *nobilissimi generis Hispanus Presbyter*, ut eum vocat S. Hieronymus (3), Juvencus, qui sub Constantino Magno claruit, si exploratum haberem, quod in monito ad ejus opera dicitur (4), eum *hymnos* scripsisse. Sed unde id desumptum sit, non video; nam quod S. Hieronymus recenset alia Juvenci *metrica ad Sacramentorum ordi-*

nullum iambi vestigium lucet, in suis omnibus strophis ex mera omnino prosa constare.

(1) Tom.7. pag.372.

(2) Ad Codin. cap. 13. edit. Paris. 1648. p. 238. ibid. Goar. p. 104.

(3) De Scriptor. Eccles. cap. 84.

(4) Biblioth. Patrum edit. Paris. 1674. tom. 8.

nem pertinentia, ratio mihi non est idonea, ut hymnos ei affingam. Paciaudus *Dissertat.* 4. *cap.* 6. *de cultu S. Jo: Bap.* fidem praestat Georgio Wicelio *in Hagiologio*, *sive de Sanctis vet. et nov. Testam. Moguntiae* 1541. excribenti Hymnos in laudem S. Joannis Baptistae, *quos caelesti mentis instinctu*, *et artificiosa verborum conclusione fuderunt Juvencus Presbyter sub Constantino*, *et Adamus a S. Victore*. Quod mihi satis non liquet, tacentibus antiquioribus. Sed sive hymnos exaraveverit Juvencus, sive secus, non erat tamen omnino silentio praetereundus, cum primus fuerit, qui, ut verba S. Hieronymi usurpem (1), *non pertimuit Evangelii majestatem sub metri leges mittere*; vel ut canit Venantius Fortunatus (2);

Primus enim docili distinguens ordine carmen
Majestatis opus metri canit ore Juvencus.

Sedulius, qui longe post Juvencum ejusdem argumenti *Opus Paschale* edidit, cum in praefatione, sive epistola ad Macedonium versatum se in operibus S. Hieronymi ostendat, dissimulat sibi notum esse Juvenci carmen, a S. Hieronymo saepe laudatum.

128. Ad seculum 4. pertinent *Hymni tres* Victorini Afri, quos tomus 4. Biblioth. SS. Patrum (3) exhibet. Lactantio Firmiano *Carmen de Passione*, *et elegiam de Resurrectionis dominicae die* Eruditiores abjudicant, quamquam ejus nomine in quibusdam antiquis breviariis nonnulli versus inde recitarentur (4). In orientali autem Ecclesia, immo in universa nullus est, opinor, qui lyrici carminis laude cum Hispano Prudentio possit contendere; de quo Erasmus recte pronunciat (5): „ Jam siquis Prudentium, unum inter Christianos vere facundum poetam volet enarrare, litteras etiam arcanas calleat, oportet „. Scio quibusdam neque indoctis hominibus aliter videri; sed gravissima plurium eruditissimorum hominum

(1) Epist. ad Magnum.
(2) De vita S. Martini initio.
(3) Lugdun. edit. pag. 294.
(4) Georg. Cassan. de hym. eccl.
(5) Libro de Pueris liberaliter instituendis.

auctoritate judicium paucorum de Prudentio iniquum obrui, et refelli demonstrat Nicolaus Antonius (1).

129. Maximum lyricum poetam Christianum Prudentium cur in locupletissima Bibliotheca rituali (*a*) Franc. Antonius Zacharias inter Hymnographos latinos non recensuerit, nihil causae esse video, nisi id oblitus fecerit, praesertim cum in eo catalogo locum dederit Mauritio a S. Angelo Florentino Carmelitae Discalceato, eum inter praecipuos latinorum hymnorum auctores enumerans, quod Ms. reliquerit *Hymnologium de sanctissima Virgine Maria, Sanctis, ac praecipuis festis anni*. Neque enim adducor, ut credam, eruditissimum auctorem Bibliothecae ritualis pro nostro Aurelio Prudentio Clemente alium Prudentem, sive Prudentium per errorem subrogasse, cujus meminit (2) ad annum 846., eumdem referens inter praecipuos latinorum hymnorum auctores (3). Erat hic Prudens, sive Prudentius gente Hispanus, Trecarum in Gallia Episcopus, cui hymnos ecclesiasticos tribuit Liserus in Historia Poetarum medii aevi, ex quibus quaedam excerpsit Abbas le Beuf. (4). A cl. Joanne Andres in historia *de omni litteratura* Aur. Prudentium esse prætermissum admodum nihil miror.

130. Quamquam vero non constet ex Historicis, aut aliis monumentis seculo V., quo Prudentius decessit, aut saltem ante Concilium IV. Toletanum, hymnos Prudentii in ecclesiis Hispanicis fuisse usurpatos, tamen simillimum vero est: quandoquidem ejus hymni plurimi pro horis canonicis cantandis compositi, et distributi esse noscuntur (*b*). Possu-

(1) Bibl. Antiq. Hisp. c. 10. lib. 2.

(*a*) Prudentii Clementis meminit *Zacharias* in Dictionario Ecclesiastico, patriam poetae Christiani celeberrimi indicare nihil solicitus

(2) Lib. 2. cap. 2. art. 1.

(3) Cap. 5. art. 4.

(4) Tom. 1. Dissert. Gallicar.

(*b*) Fallitur egregie Cajetanus Cenni *de Antiquit. Eccles. Hispan. Dissert.* 1. *cap.* 2. *num. XI.*, affirmate asseverans, S. Isidorum docere, hymnos, qui rejici prohibentur in Concilio IV. Toletano, *non esse alios, quam Ambrosianos*. Nam S. Doctor, ut apparet ex ejus verbis §. *XIV. num.* 61. hujus Dissertationis, docet, hymnos ex nomine S. Ambrosii vocari *Ambrosianos, quia ejus tempore in Eccle-*

mus quoque conjicere, inter auctores Hymnorum humano studio compositorum, quos concilium IV. Toletanum alios etiam esse praeter Hilarium, et Ambrosium innuit, Prudentium vel in primis fuisse comprehensum, cum et Hispanus fuerit, in Hispaniaque scripserit, et ejus circa fidem doctrina laudata in Ecclesia semper fuerit, et in re nulla (*a*) re-

sia Mediolanensi celebrari coeperunt. At non asserit, Concilium Toletanum solum probasse hymnos, quos ediderat S. Ambrosius. Itaque aut ludit, vel potius luditur Cennius in verbo *Ambrosianus*, aut nihil affert, quo ostendat, illo tempore hymnos Prudentii nondum fuisse ab Hispanis admissos.

(*a*) Stephanus Chamillardus hoc elogio mactat Prudentium. Cave tamen, hunc sequaris in hymni S. Romani ultima stropha sic canentem.

Vellem, sinister inter hoedorum greges
Ut sum futurus, eminus dignoscerer:
Atque hoc precante, diceret Rex optimus,
Romanus orat, transfer hunc hoedum mihi,
Sit dexter agnus, induatur vellere.

Quod vix intelligi potest, nisi de die extrema Judicii. De poenis damnatorum idem Prudentius in hymno 5. Cathemerinon haec profert;

Sunt et Spiritibus saepe nocentibus
Poenarum celebres sub styge feriae
Illa nocte, Sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex acherontiis,
Marcent suppliciis tartara mitibus,
Exultatque sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus,
Nec fervent solito flumina sulphure:

Prudentium id *poetice* scripsisse, non *dogmatice*, ait Natalis Alexander *secul.* 2. *Dissert.* 1. Poetis quidem valde familiare est Inferorum supplicia, quoties ipsis libuerit, relaxare. Sed non est, cur negetur, Prudentium in ea fuisse opinione, ut aliquando levari posse poenas damnatorum existimaverit. In Missali Mozarabico Leslaei *Feria IV. Paschae pag.* 206. legitur: *Attonita paululum steteresupplicia miserorum*. Alia in eamdem sententiam allegantur in Dissertatione Natalis Alexandri, qua demonstrat, Trajani Imperatoris ex Inferis liberationem S. Gregorii precibus commentitiam prorsus esse, nec a Theologo veritatis amante asserendam. Graviora quaedam doctrinae Prudentii objicit Baelius in Lexico *Artic. Pruden.*. Ab hac injusta censura illum vindicare in alio opere cogito.

prehensa, ut observatur in Prooemio ejus operum editionis *ad usum Delphini* anno 1687.. Eodem fere tempore Nolae Episcopus erat S. Paulinus S. Ambrosii Discipulus, alius ab ejus vitae auctore, cujus praeter alia carmina in laudes Sanctorum extant: *Precationes matutinae duae* (1): idem, ut inquit Gennadius *de Scriptor. Eccles. cap.*48., *fecit et Sacramentarium, et Hymnarium*. Recentes aliqui Editores *Hymnarium* non de Libro Hymnorum, sed de uno tantum *Hymno* interpretantur: inepte, cum Sacramentarium, et Hymnarium sint vocabula ecclesiastica libros, seu codices ad usum Ecclesiae significantia. Paulo post Prudentium, et Paulinum floruit Sedulius, ut probabiliter asserit Labbè, nimirum circiter annum 430.. Ejus celebratur Hymnus iambicus dimeter de Christo Domino: *A solis ortus cardine* etc., ex quo Hymni Ecclesiae in Christi Natali, et in Epiphania sunt deprompti.

131. Caelii Sedulii Presbyteri Hymnus *de Vita Christi* in Bibliotheca SS. Patrum edit. Lugd. (2) reperitur, estque hymnus *Abecedarius*, ut ajunt, sive *Alphabeticus*, cum omnes strophae ab una Alphabeti littera ordine alphabetico collocatae incipiant, donec ultima stropha ultima quoque littera Alphabeti concludatur. Inter Hymnographos recensetur etiam Claudianus Mamercus Presbyter Viennensis Sidonii Apollinaris amicus (3). Habuerunt quoque Latini, ut vulgo creditur, suam poetriam hoc seculo, longe antequam Graeci suam Casiam. Ea est Elpis Severini Boetii Uxor, quae duos hymnos SS. Apostolorum Petri, et Pauli in Ecclesia decantari solitos composuit: *Doctor egregie Paule mores instrue*; et *Aurea luce, et decore roseo* (4). Diversi generis est, non multum tamen dissimilis, quod Arator S.R.E. Subdiaconus Ligur edidit carmen: *Actus Apostolrum*. Anno 543. hujuscemodi carmen a Vigilio Papa susceptum fuit, ejusque jus-

O

(1) Labbè de script. Eccles. t.*6*. sect.*5*. Praefat. in ejus opera.

(2) Tom.*6*. pag.459.

(3) V. Bibli. SS.PP. edit. Lugd.

(4) Hymnar. V. Card. Thomasi pag.382., et pag.387.

ex saepius recitatum in Ecclesia *S. Petri ad vincula* (1). Magni Felicis Ennodii Hymnos XI. illustravit Sirmondus, qui a Mss. aberant, sed stylum Ennodii referre visi sunt.

132. Chilpericus Francorum Rex, qui anno 584. extinctus est, hymnis quoque concinnandis vacavit, ceu tradit S. Gregorius Turonensis (2): *Inter alia opuscula hymnos scripsit, sive missas, quae nulla ratione suscipi possunt*. Clarum est nomen Venantii Fortunati in carminibus ecclesiasticis, cui passim adscribuntur duo celeberrimi hymni: *Vexilla Regis prodeunt*, et *Pange lingua gloriosi lauream certaminis*. Vixit ad annum 600. Joseph Aloysius Assemanus (3) ex Ms. Pontificali ecclesiae Pictaviensis annorum 800. transcribit hymnum Fortunati ad baptizatos, qui inter ejus opera non legitur; *Post haec*, ait ordo Pontificalis, *si voluerit Pontifex, baptizat, interim canitur versus Fortunati Presbyteri ad baptizatos: Tibi laus perennis auctor etc.* Hymnum in Chrismatis benedictione cani solitum eidem Fortunato attribuit codex ecclesiae Bisuntinae (4).

133 Seculo autem septimo in Hispania claruere Conantius circa annum 609., qui fuit *ecclesiasticorum officiorum ordinibus intentus, et providus: nam melodias sonis multas noviter edidit* (5). Joannes Caesaraugustanus, qui *in ecclesiasticis officiis quaedam eleganter et sono, et oratione composuit* (6). S. Leander Episcopus Hispalensis, teste ejus fratre S Isidoro: *Siquidem et in ecclesiasticis officiis idem non parvo elaboravit studio. In toto enim Psalterio duplici editione orationes conscripsit: in Sacrificii quoque laudibus, atque psalmis multa dulcisone composuit* (7). Quae magis ad mores nostros expressa sunt in lectionibus 2. nocturni ejus officii ad diem XIII. Martii: *Solemnia Ecclesiae officia, hymnodiam, sacrae Missae ritus, preces-*

(1) Sirmondus in Notis ad Ennodium Ticinen. Ep.

(2) In fine lib. 6.

(3) Cod. Litur. part. 4. l. 2. p. 60.

(4) Zacharias Biblioth. ritual. lib. 2. cap. 2. art. 1. ad annum 560.

(5) Apud S. Ildefonsum de scriptor. ecclesiast. cap. XI.

(6) Ibid. cap. 6.

(7) De script. Ecclesiast. c. 28.

qui, *quibus eo tempore omnes Ecclesiae Hispaniae utebantur, ordinavit, et auxit*. Bollandiani (1) afferunt duos hymnos in honorem S. Agathae, *rudes illos quidem*, ut ajunt, *sed antiqua ac grata simplicitate gratiosos*, quos ex breviario Toletano Baronius S. Isidoro tribuit (2). Alcuinus (3) affirmat, S. Eugenii Toletani esse orationem metricam: *Rex Deus immensi quo constat machina mundi etc.* Hac oratione sub S. Eugenii nomine clauditur Hymnarium antiquum V. Thomasii; eademque in *ecclesiasticis hymnis* Georgii Cassandri reperitur, multisque aliis in locis praeterea. Florezius (4) corrigit errorem quorumdam, qui hymnum S. Dionysii Parisiensis Episcopi Eugenio I. Toletano Episcopo imputabant, concluditque Eugenio tertio esse tribuendum, cui jam adjudicaverant Hugo Menardus, et Natalis Alexander (5), ex eo hymno probans Dionysium Areopagitam in Gallias a Clemente Romano Pontifice missum fuisse. Inter S. Ildefonsi scripta S. Julianus ejus successor (6) enumerat *Partem tertiam missarum, hymnorum, atque sermonum*. Julianus ipse, referente Felice ejus pariter successore (7), *de officiis quam plurima dulcifluo sono composuit*. Quantum vero hoc in genere praestiterint Praesules illi Toletani, demonstrat doctissima Praefatio, quam Excmus D. Franciscus de Lorenzana Archiepiscopus Toletanus novissimae Operum Editioni Matritensi praemisit: qua docemur, non exiguam partem operum, quae illi SS. Patres composuerant, in hoc argumento positam fuisse; quae tamen longa vetustas, et calamitosa tempora nobis inviderunt (a).

(1) ad diem 5. Febr. t. 1. pag. 597.
(2) In Notis ad Martyrol. Rom.
(3) In officiis per ferias.
(4) Tom. 3. cap. 4.
(5) Seculo 1. Dissert. 16. Propos. 2.
(6) In Vita S. Ildefonsi.
(7) In Vita S. Juliani.
(a) Vidi primum tomum hoc titulo: *SS. Patrum Toletanorum, quotquot extant, opera, nunc primum simul edita, ad Codices MSS. recognita, nonnullis notis illustrata, atque in duos tomos distributa. Tomus I. Montani, S. Eugenii III., et S. Ildephonsi Toletanae Ecclesiae Praesulum opuscula, epistolas, fragmentaque complectens, opera,*

134. Subinde seculo 8. Ven. Beda scripsit librum Hymnorum diverso metro, sive rhythmo, ut ipse tradit in *Indiculo suorum operum*. Casimirus Oudinus (1) putat, eos hymnos non extare; sed multi in *Hymnario Card. Thomasii*, *et in Hymnis Ecclesiasticis Cassandri* nomine Bedae insigniuntur. Eodem seculo 8. lyrici quoque poetae nomen assecutus est Paulus Diaconus, qui scripsisse dicitur hymnum S. Joannis Baptistae = *Ut queant laxis etc.*. Edidit versus de S. Scholastica ad diem 10. Februarii; et in libro de *viris illustribus Casinensibus* studio Joannis Baptistae Mari ex Bibliotheca Barberina excuso inseruntur nonnulla ejus opuscula: *Hymni, versus, Homiliae etc.*: praeterea composuit *Hymnum alchaicum dactylicum in festo Assumptionis* decantari solitum in ecclesia Beneventana, nec non *hymnum de Passione S. Mercurii*, et alterum de translatione corporis ejusdem Beneventum (2).

135. Initio seculi 9. obiit Paulinus Aquilejensis Patriarcha, de quo loquitur Walafridus Strabo (3): *Traditur siquidem, Paulinum Forojuliensem saepius, et maxime in privatis missis circa immolationem Sacramentorum hymnos vel ab aliis, vel a se compositos celebrasse* (a). Versus facti, ut a pueris in die Palmarum cantarentur: *Gloria, laus, et honor etc.* auctorem habent Theodulphum Episcopum Aurelianensem, et correcti vulgati sunt a Sirmondo in illius operibus, et deinde prodierunt in Biblioth. SS. Patrum (4). Alcuinus, qui ad tempora Ludovici Pii, et Theodulphi non pervenit, dicitur meminisse hujus carminis *lib. 14. de divinis officiis*; hunc vero librum Alcuini non esse, sed post annum 1000. scriptum eruditi

auctoritate, et expensis Exmi D. Francisci de Lorenzana, Archiepiscopi Toletani, Hispaniarum Primatis. 1782. Matriti. His, aliisque operibus aliorum, suisque editis Exmus Lorenzana optime de Republica Litteraria meritus est, ac porro mereri pergit, quod, ut diutius contingat, ex vehementissime optamus. Alterum tomum jam prodiisse scio.

(1) De scriptor. Eccles.

(2) Labbè de Ecclesias. scriptor.

(3) De rebus Eccles. cap. 25.

(a) S. Paulini opera cum nonnullis hymnis Madrisius publicavit Venetiis anno 1737.

(4) Edit. Lugd. tom. 14. pag. 87.

observarunt. Tiraboschius (1) rejicit vulgatam fabellam, Theodulphum, cum Andegavi in vinculis esset, in die Palmarum hunc hymnum cantitasse, ab Imperatore Ludovico Pio praetereunte, et Processionem sequente auditum, propterea que Imperatorem, cui hymnus arrisit, Theodulphum carcere detentum, quod contra Imperatorem conjurasse argueretur, liberum dimisisse. Quod Theodulphus elegiam memoratam, quae satis longa est, tempore Andegavensis calamitatis confecerit, non obscure ex ea colligitur. Cetera adjuncta non cohaerent cum veritate historica, neque enim Ludovicus eo anno Andegavi praesens esse potuit in die Palmarum. Nihilo tamen secius hanc elegiam ejus esse, verti nequit in dubium, quandoquidem Lupus in Dioecesi Senonensi Abbas Ferrariensis aequalis id innuit (2), et inter genuina illius opera ex probatis Codicibus MSS. eruitur.

136. Ad seculum 9. referuntur Hymni Servati Lupi (3), et Rhabani Mauri hymnus de SS. Petro, et Marcellino (4). Cordubae cum Mauri adversus christianos desaevirent, hymnorum disciplina non refrixerat, ut arguitur ex Alvaro Cordubensi aequali, et auctore vitae S. Eulogii, qui Martyr occubuit anno 859.: *Ibi*, (inquit loquens de carcere, quo S. Eulogius detinebatur,) *metricos, quos adhuc nesciebant Sapientes Hispaniae, pedes perfectissime docuit, nobisque post egressionem suam ostendit*: quem locum Ambrosius Morales hoc scholio illustrat: *Innuit, D. Eulogium in carcere positum hymnos iis carminum generibus scripsisse, quae Hispanis eo tempore essent incognita. Nimirum, ut mox apparebit, Horatii poetae opera ipse nuper adinvenerat, et illa illectus carminum varietate similia tentare est aggressus*. Immo addere poterat; quod idem Scriptor S. Eulogium laudans ait: *Ubi Hymni, vel peregrina opuscula, quae ejus non percurreret pulcherrimus oculus?* Et rursus de libris, quos ex longa peregrinatione

(1) Tom. 3. Histor. litter. Italiae lib. 3. cap. 2. num. XI.

(2) Epist. 20.

(3) Tom. 14. Biblioth. SS. PP. edit. Lugd. pag. 59.

(4) Bolland. t. 1. Junii pag. 176.

secum detulerat, sermonem habens „: Hymnorum catholico„ rum fulgida carmina ... reportavit „. Post vitam S. Eulogii legitur hymnus asclepiadeus : *In die S. Eulogii Presbyteri V. Idus Maji*, ejusdem Alvari, ut conjicit Ambrosius Morales.

137. Odonis II. Abbatis Cluniacensis, qui decessit anno 947., hymnus in honorem S. Martini refertur in *Annalib. Benedict.* (1). Hubaldus, sive Aucbaldus monachus Benedictinus ad annum 916. scripsit, teste Sigeberto (2), *Librum de arte musica, cantusque multorum Sanctorum dulci, et regulari melodia*. Duos illius hymnos in officio S. Theodori affert Mabillonius (3). In Hispania obiit anno 962. Salvus Abbas Albeldensis monasterii, *Cujus oratio in hymnis, orationibus, versibus, ac missis, quas illustri ipse sermone composuit, plurimam cordis compunctionem, ac magnam suaviloquentiam legentibus, audientibusque tribuit*; ut ex Anonymo scriptore refert Loaysa (4). Sigebertus ad annum 1027. refert, cantus in honorem Sanctorum a Leone Papa IX. fuisse compositos.

138 S. Petri Damiani S.R.E. Cardinalis eodem seculo XI. *hymnum de Gloria Paradisi* ex S.Augustini dictis concinnatum laudat Labbè (5). In quarto tomo operum S. Petri Damiani, qui a Constantino Cajetano primum additus fuit anno 1640., extant orationes, sive preces, et litaniae, *hymni*, lectiones, missae, et responsoria etc.. Ejusdem aetatis sunt *hymni* Fulberti Carnotensis Episcopi, qui obiit anno 1029. (6). S. Anselmi *Hymnos de variis festis* B. Virginis allegat Theophilus Raynaudus (7). In editione Parisina operum S. Anselmi anno 1675. a Gerberonio adornata continentur hymni, et psalterium in commemoratione Deiparae. Canisius (8) excribit odas Quirinales Metelli Tegerensis Benedictini circa an-

(1) Vol. 3. pag. 712.
(2) De scriptor cap. 108.
(3) Append. tom. 3. Annal.
(4) Collect. Conc. Hisp. p. 774.
(5) De script. eccles.
(6) Bibl. Patrum t. 18. fol. 48.
(7) Tom. 7. operum Marian. pag. 347.
(8) Tom. 1. antiquar. Lection. in Append.

rum 1060. in laudem S. Quirini Martyris metris Horatianis compositas. Albericus monachus Casinensis, et S. R. E. Cardinalis, qui obiit 1088., scripsit, teste Petro Diacono (1), hymnos in S. Nicolaum, de Paschate, de Ascensione, de Cruce, de die Judicii, de poenis Inferni, de gaudio Paradisi, de Assumptione B. Mariae, de S. Paulo, et de S. Apollinare.

139. Petri Cluniacensis *rhythmi*, *prosae*, *versus*, *et Hymni* extant in Bibliotheca Cluniacensi (2). Hic autem ad seculum 12. spectat, quemadmodum S. Bernardus, qui *hymnum de S. Victore* neque metro, neque rhythmo vulgari, sed solum servato numero syllabarum, quem exigit versus sapphicus cum quarto quoque adonio, in officio ejusdem Sancti cantandum elaboravit (3). Sub initium ejusdem seculi Godfridus Abbas Vindocinensis Cardinalis S. Priscae edidit tres hymnos, quos Sirmondus Parisiis anno 1610. publici juris fecit. Eodem seculo exeunte Ecclesiam Dei regebat Innocentius III., cujus *hymnum de Christo et Maria* allegat Theophilus Raynaudus (4). A Mauris occisus est anno 1275. Sancius Aragoniae Infans, Antistes Toletanus, qui litanias, et hymnos in laudem B. Mariae Virginis composuisse refertur in Biblioth. Mariana Marracii (5).

140. Ab Urbano IV., ut notum est, festum SS. Corporis Christi pro universa Ecclesia institutum fuit, officiumque S. Doctori Thomae Aquinati commisum, in quo habemus *hymnos rhythmicos* sine metro, sed certa syllabarum quantitate servata, maximam pietatem redolentes. Hoc officium, *secundum usum omnium ecclesiarum* compositum, ex alio antiquiori Leodiensi S. Thomam ordinasse Bollandistae existimaverant *ad diem* 15. *Aprilis* in festo S. Julianae Forneliensis apud Leodium defunctae; sed acerrima Natalis Alexandri expostulatione castigati palinodiam cecinerunt (6), eo usque

(1) De vir. illustr. cap. 21.
(2) Parisiis in fol. an. 1614.
(3) Tom. 3. oper. in fin. edit. Maurin.
(4) Tom. 7. Marian. pag. 351.
(5) Tom. 2. pag. 351.
(6) In Propylaeo p. 2. Dissert. 23. fol. 52, et seq.

progressi, ut officium Leodiense a S. Thoma neque prae oculis habitum fuisse affirmaverint. A S. Thoma non est sejungendus S. Bonaventura, in cujus operibus hymni quoque recensentur.

141. Neque omittendus est Jacobus de Benedictis Tudertinus Franciscanus, qui decessit anno 1306., notus vel eo nomine, quod auctor creditur hymni rhythmici: *Stabat Mater dolorosa*. *Scripsit rhythmos*, *hymnos*, et *prosas* plurimas; stylo valde rudi, ait Oudinus (1), qualis insanienti conveniebat. Sed eum sanctitatis ergo inter Beatos coli certum est, insaniamque prae animi demissione simulasse narrant Historici. Prodierunt ejus hymni italici Romae anno 1558., et Venetiis anno 1617. una cum reliquis ejus operibus. Propius ad nostra tempora accessit, sed tacendus non est sive propter vitae innocentiam, sive propter generis splendorem S. Casimirus filius Casimiri III. Poloniae Regis, cujus hymnum, seu orationem quotidianam ad Bmam Virginem habes in *Actis Sanctorum* (2). Bernardus Pezius (3) meminit voluminis *precum*, *rhythmorum*, et *hymnorum* auctore Conrado Priore Carthusiae Gemnicensis, cui putat tribuendum hymnum: *Omni die dic Mariae*; qui, ait, *vel ideo S. Casimiri Poloniae Regis esse nequit, quod adhuc in Carthusia Gemnicensi adservatur codex S. Casimiro multis annis antiquior, cui controversus hymnus insertus est*. Postremo in *Biblioth. SS. PP. Lugd.* (4) leguntur *Hymni Sacri Monasterii S. Galli virorum illustrium* incertae aetatis. Nonnulla alia de Melodis Latinis videri possunt apud Fabricium in Bibliotheca Latina; qui commemorat Hildeberti hymnos, rhythmosque de Trinitate cum oratione metrica ad Dominum vulgatos ab Usserio *de Symbolo*, et Hartmanni versus sacros, hymnos, seu sequentias.

142. Eorum autem, quos retuli, plura nomina extant in Hy-

(1) De script. eccles. secul. 14.
(2) Bolland. t. 1. Martii pag. 357.
(3) Dissert. Isagog. ad tom. 1. Thesauri Anecdot. §. 28.
(4) Tom. 27. pag. 507.

Hymnario Ven. Card. Thomasii suis quaeque hymnis praefixa. Hi auctores sunt *S. Ambrosius*, *Prudentius Clemens*, *Caelius Sedulius Presbyter*, *Venantius Honorius Clementianus Fortunatus Episcopus Pictaviensis*, *B. Petrus Damiani Episcopus Ostiensis*, *Beda Presbyter*, *S. Hilarius*, *S. Gregorius Papa*, *Theodulphus Episcopus Aurelianensis*, *Flavius Cabilonensis Episcopus*, *Rhabanus Maurus Episcopus*, *Paulinus*, *S. Damasus*, *Elpis uxor Boetii*, *Paulus Diaconus*, *Odo Abbas Cluniacensis II.*, *S. Magnus Felix Ennodius Episcopus Ticinensis* (*a*). Inter alia memoratu digni sunt duo hymni S. Ambrosii *p.* 426., *et seq.*, alter ad *serenitatem*, alter *ad pluviam petendam*, qui a Beda *Lib. de Metris* laudantur, et S. Ambrosio attribuuntur, omissi tamen sunt a Maurinis Editoribus operum S. Ambrosii. Sunt etiam aliqui hymni abecedarii, ut *pag.* 389. Hymnus V. Bedae: *Apostolorum gloriam*; et *pag.* 432. alter Hymnus abecedarius Caelii Sedulii Presbyteri, quem supra memini: *A solis ortus cardine*.

§ XXIV.

De hymnis ecclesiasticis emendandis post restitutas Litteras agi coeptum est.

143. Hi fere sunt nobiliores Hymnorum scriptores, de quibus nonnulla mox adjungam, cum hymnos, qui in Breviario correcti supersunt, suo quemque auctori adjudicare conabor. Plura proferre, certe haec eadem facilius colligere potuissem, si ad manus fuisset Dissertatio Tassini monachi S. Mauri de *Hymnographis*, qui pro diligentia, et eruditione, qua ejus Congregationis homines pollent, non dubito, quin argumentum accurate, et dilucide explanaverit. Sed ut id quod volui, conficerem, fuisse in omni aetate, qui carminibus ecclesiasti-

P

(*a*) Inter hos adnumeratus est Silvius Antonianus Presbyter Cardinalis, qui superiori seculo obiit, cui certe locus dandus non erat in Hymnario ex *vetustissimis Codicibus*, ut profitetur Cardinalis Thomasius, deprompto.

cis operam navarent, satis, aut etiam, ut multis videbitur, nimis multa congessi. Quamquam vero plures ex his sanctissimi erant, et, ut ferebant tempora, doctissimi; eorum tamen hymnos, qui ad nos pervenerunt, multis erroribus scatere compertum est; sive id librariorum incuria acciderit, sive auctores aut noluerint verborum elegantiae, et correctioni vacare, pietati, et sensui unice intenti, aut his litterariis subsidiis, quibus in hac tanta luce frui cuilibet licet, destituti exactas carminis conficiendi regulas, et justam syllabarum quantitatem ignoraverint. Veterum christianorum non modo lyricorum, sed cujuslibet generis poetarum princeps Prudentius in syllabarum quantitate nonnunquam lapsus est; catalogumque syllabarum, in quibus peccavit, exhibet editio ad usum Delphini anno 1687. a Stephano Chamillardo procurata, quem facile augere possem, si tanti esset hujuscemodi labor (a). Sequioribus seculis qui ecclesiasticis canticis componendis allaborarunt, in crassiores, ac frequentiores tum metri, tum latinitatis errores inciderunt.

144. Quocirca multi, cum desperarent, servatis carminis regulis, sensum pietati accommodari posse, illam tenuerunt viam, ut numerum syllabarum, qui cantui idoneus esset, retinerent, metricas leges penitus contemnerent. Illustre hujus rei exemplum est in hymno, quem in S. Victorem S. Bernardus composuit, totidem nimirum syllabis, quot versus sapphici constant, addito quarto adonio, nullo interea servato discrimine brevium, vel longarum, ut in prima stropha cernere licet.

Vita Victoris meritis praeclara
Hominem terris, qui non sit de terra
Velut e caelo datum repraesentat
  Ad imitandum (1).

(a) Prudentius, ait P. Juvencius in Instit. Poet., *stylo utitur saepe barbaro*; quod intelligendum est de puritate sermonis latini, quae Prudentii aetate fere ubique perierat: qualis scilicet a morosis quibusdam Ciceronianis exigitur.

(1) Tom. 3. oper. in fine.

Subinde cum rhythmi vulgares in usu esse coepissent, plerique se ad hoc studium in carminibus sacris contexendis converterunt, nihil soliciti de syllabarum brevi, aut longa quantitate, dummodo certo earum numero versus concluderentur. S. Thomas eidem viae institit, cum hymnos in festo SS. Corporis Christi confecit, imitatus in vesperis carmen trochaicum archilochium:

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium etc.

Et in matutino dactylicum asclepiadeum cum quarto pherecratio.

Sacris solemniis juncta sint gaudia,
Et ex praecordiis sonent praeconia;
Recedant vetera, nova sint omnia
Corda, voces, et opera.

In laudibus vero iambicum dimetrum.

Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitae vesperam.

Frustra justam pedum dimensionem, ac syllabarum quantitatem in his hymnis requiras, cum auctores metri legibus sese alligare noluerint.

145. Eo autem latius haec consuetudo manavit, quod jam paucae essent, ac non bene audirent Ecclesiae, quae hymnos rejicerent. Guilielmus Durandus (1) seculo 13. scribebat: *in quibusdam Ecclesiis hymnos non cantant, quod tamen approbandum non est, quoniam non sine causa a SS. Patribus sunt instituti*. Postquam vero seculo 14. Petrarcha, aliisque enitentibus, novus splendor Litteris affulgere visus est, qui seculo sequenti auctus ad illam deinde claritatem, ac perfectio-

(1) De Divino officio lib. 5. cap. 21. num. 23.

nem devenit, quam seculo 16. tot clarissimi viri contulerunt; sacris quoque Musis melior fortuna benigno flatu aspiravit. Sed ut magna ubique vigebat libertas tum in Episcopis, tum in Religiosis ordinibus officia ecclesiastica arbitratu suo disponendi, Radulfus Decanus Tungrensis (1) summopere contendit, ut ad hymnos breviarii Romani reliqui conformarentur, invectus in quosdam Regulares, qui ab officio ecclesiae Romanae dissentiebant. *De Hymnis autem*, inquit, *metricis valde curandum est, ne cantentur aliqui, nisi approbati, et editi, ut supra dictum est. Reprobi autem ut plurimum nosci possunt vel quia non sunt generales, vel quia metrum habent corruptum... Securius est sequi morem Romanum etc.*,,

146. Actius Sincerus Sannazarius ceteris legibus venustatem, et elegantiam adjunxit in hymnis in honorem S. Gaudiosi. Quippe mira ingenii dexteritate tubam illam sonoram, qua in argumento etiam sacro *de Partu Virginis* usus fuerat, ad suaviorem Lyrae sacrae modulationem, ecclesiasticamque consuetudinem feliciter convertit. Sed paucis hymnis editis, vix exemplum, desiderium certe aliorum similium reliquit. Georgius vero Cassander in hymnis ecclesiasticis, quos scholiis illustratos edidit, multos recenset a Jacobo Meyero, et Jodoco Clictoveo ad carminis leges revocatos. Inter hymnos, quos Cassander collegit, multi sunt a Meyero, et Jodoco denuo conditi, et sub eorum nomine proferuntur. Est etiam hymnus *ad Sanguinem Jesu Christi* eleganter compositus, quem Cassander existimat esse Ludovici Vives. (*a*) Clictoveus publi-

(1) Lib. de canonum observantia prop. 13.

(*a*) Nicolaus Antonius *tom.* 1. *Bibliot. novae Hispanae pag.* 109., et *tom.* 2. *pag.* 179. docet, Antonium Nebrissensem, ejusque discipulum, et in Scola Hispalensi successorem Petrum Nuñez Delgado Scholia, et Annotationes in Hymnos scripsisse. In eadem Bibliotheca Hispana *Tom.* 1. *pag.* 58. notantur haec opera simul edita Lucronii 1506. apud Guilielmum de Brocar, curante Andrea Gutierrez: *Disticha Catonis*; *Floretum*; *quinque Claves Sapientiae*: *Fabulae Æsopi*, *Hymni*, *quos canit Romana Ecclesia cum Expositione aurea Jacobi de Lora Grammaticae, atque Poeticae artis Professoris*,

ei jussis fecit Parisiis 1514. *Elucidatorium ecclesiasticum in hymnos, et cantica ecclesiastica, officium, et prosas*: in primo li-

qui et Hymnos ipse diligentissime correxit. Plura huc pertinentia peti possunt ex Indice materiarum *Bibl. nov. Hisp. classe* 8. *Sectione de Sacrosancto Missae sacrificio*, *Caerimoniis Ecclesiasticis*, *et Horis Canonicis*. Sed observandum est, Franciscum Rosarium, qui Hymnos exposuit, non esse distinctum a Petro Rosario, sive Rosales Humaniorum Litterarum Burgensi Professore, quamvis diverso loco recensitum, sed unum, eumdemque Hymnorum enarratorem, qui alterutro nomine fuerit insignitus, uti monuit *in appendic. tom.2. pag.* 293. idemmet Nicolaus Antonius: quam correctionem non advertit Cl. Zacharias Franciscum, et Petrum Rosarium ex Nic. Antonio distinguens *Tom.3. Bib. Rit. in Supplem. ad Lib.2. verbo Rosarius* Verum auctoris nomen est Petrus, cognomen Hispanum *Rosales*, ut conspicitur in opere, quod extat in Bibliotecha Hospitii S. Annae Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Hispaniae Romae existentis. *Observationes quaedam in* 95. *Hymnos*, *qui in Breviario Romano continentur*, *eoque ordine quo in illo digesti sunt*. *Burgis apud Philippum Juntam*. 1578. *in* 4.. Auctor in Epistola nuncupatoria ad Franciscum Pacheco de Toledo Cardinalem, primum Archiepiscopum Burgensem, haec habet. „ Omitto non pauca esse loca in hoc et illo cantico vel temporum injuria, „ vel Typographorum negligentia „ censoria quidem virga notanda, „ aut ubi ratio latinae locutionis, „ aut carminis, sed praecipue sententiae efflagitat. Sunt praeterea carmina aliqua praepostere „ scripta, prave interpuncta, disjuncta alia. Clauduntur etiam „ aliquot Hymni multo aliter, „ quam illorum Auctores scriptos „ reliquerunt, quae omnia ita „ esse suis locis, suoque tempore „ in commentariis apertissime ostendam. „ Nicolaus Antonius Jacobo a Lora in Bibliotheca locum separatum non dedit, et in Indice materiarum Expositionem Hymnorum attribuit *Andreae Gutierrez*, *sive Jacobo a Lora*. Vidi ipsam Expositionem seorsum editam Neapoli 1504. in 4. characteribus Gothicis inscriptam: *Aurea Expositio Hymnorum una cum textu noviter emendato per Jacobum a Lora*. Prope finem: *Jacobi a Lora ad Divam Genitricem Dei Mariam Hymnus carmine Sapphico etc. Item*, *Hymnus Divo Martyri Sebastiano pie dicatus*. Sequitur haec notatio: *Aurea Hymnorum Expositio: una cum textu noviter vigilanti studio Jacobi a Lora: Grammatice, atque poetice artium Professoris diligentissime correcto. Fausto sydere est explicita. Arte mira. impressa. Neapoli. per Sigismundum Mayr Alemanum . . . Visum opus et examinatum per Reverendos D. Dominum Ferdinandum de la Torre*, *et*

bro hymnos explanandos, declarandosque suscipit. Paulo ante Argentorati, seu Argentinae anno 1513. Jacobus Wimphelingius hymnos edidit *de tempore, et de Sanctis emendatos, et interpretatos.* Extat praeterea Liber sacrorum hymnorum Laurentii Massorilli Fulginatis Ordinis Minorum regularis observantiae Fulginiae anno 1547., divisus in quatuor partes, sive libros, in quorum primo Hymni versibus hexametris continentur, in secundo distichis, in tertio sapphicis, in quarto rhythmis. Stylus eo seculo indignus non est.

147. Et quoniam sub haec ipsa tempora typorum usus jam invaluerat, passim et ubique gentium breviaria prodibant, in quibus fere omnibus praemittebatur, accurate, ac diligenter adhibitam fuisse correctionem (a). Parisiis anno 1527. editum fuit Psalterium cum hymnis, ad quos ita praefatur Editor: *Hymni totius anni hic colliguntur: in quorum castigatione ita laboratum est, ut qui prius ad carminis genus aliquod fuerant compositi, ad illud servata diligenter sententia (mutatis interdum verbis) sint redacti: Et ideo quicumque leges, obstrepere noli: sed*

D. Rodericum de Sancta ella Archidiaconum de Reyna, Is est Rodericus Fernandez de Santa-Ella inter Scriptores Hispanos recensitus. Putat Lora, Prudentium esse Auctorem Hymni S. Agathae: *Martyris ecce dies Agathae*, qui S. Damaso tribui solet. In Prologo vero ait: „ Quatuor fuerunt „ principales Auctores, qui Hymnos composuerunt, scilicet Gregorius, Prudentius, Ambrosius, „ Sedulius. Sed quidam vir prudens nomine Hilarius videns illos „ multos Hymnos composuisse, dignum duxit illos in unum colligere etc. „ Confer Num. 62.

(a) P. Andreas Marcus Burriel in Epistola ad Pat. Ravago, quae gallice reddita typis prodiit, refert in Ecclesiae Toletanae Bibliotheca asservari 24. diversa Breviaria ante correctionem Breviarii Romani formis impressa ex his, quae Ecclesiae, et Religiosi Ordines in Hispania emendabant, et edebant: quae fortasse pertinuerunt ad haereditatem Doctoris Salazar de Mendoza, qui his plura collegerat. Salmantina sunt duo, quorum primo breviarium MS. antiquum, altero hoc ipsum primum typis excusum corrigitur. De breviariis editis ab inventa typographia ad correctionem sub S. Pio V. peractam erudita, et utilis historia posset confici.

potius gaude, quod tam tersum opus cernas: quod non est verisimile Auctores primos in ea contexuisse imperfectione, quae hactenus ubique fere visa est (*a*). At Parisini Correctores opus non adeo tersum perfecerunt, ut in ipso limine non offenderint. Ita siquidem ordiuntur primum hymnum: *Primo dierum omnium*; qui versus a carminis legibus aberrat, pro quo Romani correctores sub Urbano VIII. subrogarunt hunc alium: *Primo die, quo Trinitas*. Frequentes igitur sunt errores prosodiae in Hymnario illo Parisino, ac vestigia antiquae rubiginis se plerumque produnt vel in eo etiam, quod aliqui hymni exarantur tamquam magno artificio conditi, quia ultimus cujuslibet strophae versus ipsissimus est cum primo versu aliorum hymno-

(*a*) Grancolas (Comm. histor. in Breviar. Rom. cap. 25. lib. 1.) putat, hymnos in Breviario Parisiensi sero fuisse admissos, quia in prima Breviarii editione Parisiis anno 1491. nulli leguntur. Sed cum in hoc Hymnario edito anno 1527. de hymnis tamquam de re non recenti agatur, et hymni hoc loco separati a reliquis partibus Breviarii excusi sint, recte hinc consequitur esse potuisse, ac probabiliter fuisse in usu hymnos apud Parisienses, licet in prima editione Breviarii non appareant. Non enim constat, an tunc Editor omnes breviarii partes typis mandare voluerit, an aliquas tantum. Quamquam quid opus est conjecturis? Joannes Belethus Theologus Parisiensis, qui scripsit seculo 12., totum Ordinem divini officii ferme, qualis nunc observatur, singillatim explicat (in Rational. Divinor. Officior. Lugduni 1562. cap. 23., 25. et alibi), ac professus, de officio monachorum sibi non esse sermonem, *finita*, inquit, *exhortatione, quae ob id appellatur Invitatorium, quod ceteros ad laudem Dei invitet, sequitur ipsa laus, videlicet hymnus, qui ideo stando canitur*. Ita pergit Belethus Ordinis Romani singulas horas describens, fere quales nunc habemus, eo videlicet Seculo, quo plerique asseverant, nullos in Ecclesia Romana fuisse hymnos. Vidi etiam *Horas Canonicas* B. Mariae Virginis *in* 12. Parisiis editas anno 1508. per Thielmanum Kerver Impressorem Universitatis, in quibus Hymnos olim consuetos legi observavi; atque iterum *in* 8. Parisiis 1514. Alva in *Militia Concept. col.* 237. laudat Breviarium *secundum usum Parisiensem* impressum Parisiis opera Magistri Georgii Wolff anno 1492., in quo in die Conceptionis Hymnus ad Matutinum est: *O quam Gloriosa* etc.

rum, qui in pluribus, distinctisque festis recitantur. Nec felicior sane fuit correctio, quam multi in breviariis Hispanicis inducere conati sunt, inter quos eminuerunt Antonius Nebrissensis initio seculi 16., et Joannes Martinez Siliceus Archiepiscopus Toletanus, postea Cardinalis, cui dicatum fuit *Breviarium Toletanum Lugduni* 1551. *auctum, et emendatum*. Plures hymnos proprios exhibet hoc breviarium (*a*), qui tamen omnes parum, aut nihil sunt emendati. (*b*)

§.XXV.

(*a*) Nempe in translatione S. Jacobi, in festo S. Ildefonsi, S. Blasii, S. Agathae, Angeli custodis, S. Gabrielis, S. Benedicti, S. Joannis Baptistae, S. Mariae Magdalenae, S. Jacobi, S. Annae, S. Marthae, in Transfiguratione Domini, S. Laurentii, S. Bernardi, in triumpho de Benamarim, S. Martini, S. Eugenii, S. Elisabethae, S. Catharinae, S. Andreae, S. Nicolai, S. Leocadiae.

(*b*) Breviaium Burgense, cujus correctionem Carrerae, Larae, et Joanni Maldonato Conchensi Joannes Fonseca Burgensis Antistes commisit, non vidi; sed *ex vitis Sanctorum*, quas Joannes Maldonatus publici juris fecit, arguere libet, emendationem in hac parte fuisse rite, ac recte confectam. Nec moveor contra, quod Bailius in *art. Joannes Maldonado in nota Z.* Domini Thiers auctoritatem opponit; qui anno *1699.* Dissertationem gallice vulgavit circa locum, ubi corpus S. Firmini Episcopi Ambianensis requiescit, in eaque narrat, Joannem Maldonatum in Epistola ad Sodales Carreram, et Laram data affirmasse nihil eo breviario perfectius, et absolutius prodiisse. Addit Thiersius istam Epistolam nihil esse aliud, quam, *une Rodomontade Espagnole*, longe plures inanitates in Lectionibus breviarii Burgensis, quam in antiquis legendis reperiri. Solent Galli, ut hoc primum notem, illo verbo *Rodomontade* Hispanos ferire: quod perspici potest vel ex titulo hujus Libelli gallice, et hispanice editi, et Domino Vieillart Galliae Thesaurario dicati: *Rodomontadas Castellanas recopiladas de los Commentarios de los muy espantosos, terribles, e invencibles Capitanes, Matamoros, Crocodillo, y Rajabroqueles. A Lyon, Par Jean Baptiste Cesar 1619. in 12. pp.* 72. Extat in Bibliotheca Romana Sapientiae. Verum hoc nihili est: gravius illud, quod Thiersius, non dicam fide gallica, ne unius hominis convicio lacessitus iniquam notam toti Nationi videar inurere, sed certe singulari quadam impudentissimi hominis confidentia tamquam ex tripode definit, Breviarium correctum Burgense multo pluribus fatuitatibus scatere, quam veteres Legendas. Quae censura multis re-

§. XXV.

Romanorum Pontificum in reformanda Hymnodia diligentia.

148. Interea plurimis in locis breviaria Romana excusa sunt, ut titulus plerumque praeferebat, *recognita*, *correcta*, et *emendata*; sed quorum hymni, ut de ceteris taceam, contra car-

felli posset; sed satis est unius Baronii testimonium de Joanne Maldonato honorificentissimum producere ex *Notis ad Martyr. Rom. die XIX. Julii*: „ Joannes Maldonatus, vir quidem disertissimus, inter alia multa praeclarissima ingenii sui monumenta reliquit harum (SS. Justae et Ruffinae) Acta a se paucis descripta, *magis consulens historiae veritati*, quam studio eloquentiae.„ Hunc Joannem Maldonatum Presbyterum Secularem unum eumdemque hominem cum Joanne Maldonato Societatis Jesu Theologo doctissimo in Indice edito Bibliothecae Barberinae fieri, non valde miror; miror magis eum errorem in Indice accuratissimo Bibliothecae Casanatensis irrepsisse, quem tamen corrigendum, cum littera M. typis committetur, juvat credere. Quantum in hoc genere elaboraverit Alfonsus Fernandez de Madrid, Archidiaconus de Alcor, verbis Antonii Honcalae in Libro inscripto, *Grammatica Propaegnia* Nicolaus Antonius commemorat *Bibliot. nov. tom.* 1. *p.* 18. „ Quid referam quam solerti industria „ laudum divinarum Epitomes; „ quae antehac mutilae, mendosae, et male digestae versabantur, resarciit, castigavit, et ad certum ordinem redegit; idque nunc in reliquos ecclesiasticae caeremoniae libros indefesso labore molitur!„ Egregium Alfonsi elogium Nicolaus Antonius adornavit, in quo tamen nonnulla sunt reformanda, quae nunc breviter indicabo, olim, ut spero, uberius confirmanda. 1. Quod Erasmo Roterodamensi charus fuerit, et ab eo in aliquot Epistolis doctrinae, ac judicii nomine laudatus, liquere non puto, cum litterae Erasmi ad *Archidiaconum Alcoranum* datae non de *Alfonso*, sed de ejus Fratre *Francisco Madrid*, qui in Archidiaconatu praecessit, loquantur. 2. Erasmus in Epistola ad *Archidiaconum de Alcor* data anno 1528. refert, suum *Enchiridium* ab hoc hispanice fuisse redditum, typisque mandatum; eamdem versionem inter bonos hispani sermonis libros recenset Auctor antiquus operis primum a Mayansio editi: *Dialogo de las lenguas*. Omissa autem est a Nicolao Antonio in

minis, latinique sermonis regulas saepissime peccabant. Harum editionum seriem longissimam pertexere non arbitror esse opportunum, quarum multae indicatae sunt in Bibliotheca rituali. Leo X. egregius amoeniorum litterarum, Litteratorumque fautor sedulam navavit operam, ut hymni ecclesiastici intra metri, ac latinitatis leges coercerentur, ejusque rei perficiendae curam Zachariae Ferrerio Vicentino commisit. Is novam hymnologiam absolvit, cum Leone X. e vivis sublato, Clemens VII. post Adrianum VI. in cathedra Pontificia succedens litteris (a) datis die 11. Decembris 1523. Hymnos recentes probavit. Praestat legere titulum his Hymnis praemissum. *Zachariae Ferrerii Vicent. Pont. Gardiens. Hymni*

Francisco, et in Alfonso fratribus Archidiaconis de Alcor. 3. Quod librum, quem MS. reliquit Alfonsus, *Della antiguedad y nobleza de la Ciudad de Palencia* vulgo *Historiae Palentinae* nomine vocare solent, qui ejus testimonio utuntur, si verum est, declaratione indiget. Nam Mariana id nomen Historiae Roderici Sanctii de Arevalo donabat *lib.* 23. *Hist. cap.* 9. „ Quo tempore Romae Rodericus Sanctius „ utriusque juris cum primis peritus, moli Hadrianae Praefectus, „ de rebus Hispaniae piam magis, „ quam elegantem historiam conscribebat, *Palentinam ex eo dictam, quod is Palentinae Ecclesiae consequentibus annis Episcopus est datus* etc. „ 4. Examinanda est opinio Joannis Perez de Montalvan, qui in fine operis *Para todos* Alfonsum Fernandez de Madrid, et Franciscum de Madrid inter cives Matritenses reponit, cum Nicolaus Antonius eos dicat Palentinos. Alia nunc praeteres.

(a) Ita loquitur Pontifex de Ferrerio: „ Cum nuper pro divini „ cultus splendore hymnos eccle„ siasticos variis Omnipotentis „ Dei, et Mariae semper Virginis, „ et plurium Sanctorum diebus fe„ stis, ac totius anni circulo, et „ tempori congruentes veris me„ tris, sensibus, ac latinitate per„ spicuos pro suo, et fidelium „ Christianorum, peritorumque „ praecipue Sacerdotum solatio „ spirituali texuerit, et excusse„ rit, eosque uno volumine con„ gestos, et a plerisque viris do„ ctis, etiam nonnullis ex fratribus „ nostris S. R. E. Cardinalibus ce„ lebratos nobis, et Apostolicae „ Sedi dicaverit, et obtulerit; „ Nos animo tenentes in sacro elo„ quio scriptum esse bonorum la„ borum gloriosum esse fructum ... „ ut *quilibet etiam Sacerdos eosdem hymnos etiam in divinis legere; et eis uti possit*, tenore „ praesentium auctoritate aposto„ lica concedimus, et mandamus. „

novi Ecclesiastici juxta veram metri, et latinitatis normam a Bmo Patre Clemente VII. Pontifice Maximo, ut in divinis quisque eis uti possit, approbati, et novis Ludovici Vicentini, ac Lautitii Perusini characteribus in lucem traditi. Sanctum, et necessarium opus. Breviarium ecclesiasticum ab eodem Zach. Pont. longe brevius, et facilius redditum, et ab omni errore purgatum propediem exibit. In fine operis notatur annus, et locus editionis. *Impressum hoc divinum opus Romae in aedibus Ludovici Vincentini, et Lautitii Perusini non sine privilegio. Kal. Febr.* 1525.. De suis hymnis Zacharias in epistola dedicatoria Clementi VII. inter alia haec refert: *Singulos quidem Hymnos, prout a me quotidie prodibant, perlegit Leo Pontifex, ac probavit*. (a)

149. Eos summis laudibus extollit Martinus Becichemus Patavinae Academiae Rector in praefatione. *In his*, ait celeberrimus P. Paciaudus (1), *naturalis, et non fucatus latini sermonis nitor, et poetica numerorum harmonia, verborumque compositio permagni facienda mihi semper visa sunt*. Quod autem dicitur, Breviarium ecclesiasticum brevius propediem exiturum, respicit ad breviarium, quod deinde Cardinalis Quignones jubente, vel hortante Clemente VII. ordinavit. Nam Clemens VII. e Medicea quoque Gente, quemadmodum ejus Patruelis Leo X. de Hymnis ecclesiasticis aut reformandis, aut

(a) Meratius *ad Gavant. part.* 2. *sect.* 5. *cap.* 6. narrat, Ferrerium collectionem Hymnorum edidisse *approbatam, ut ait, a Clemente VII., sed nemo, quod sciam*, (subjungit) *ea facultate usus est*. At de Pontificia approbatione non solum id asserit Ferrerius, sed ea in editione Romana, vivo, et vidente Clemente VII., inserta est, et cum in his Litteris Pontificiis affirmetur, multis etiam e Cardinalium numero praedictos hymnos placuisse, vix credi poterit neminem ea facultate usum fuisse. Hymnorum emendationem Clementi VII. cum adhuc esset Cardinalis, gratam fuisse, argui potest ex codice Ms. Bibliothecae Vaticanae 3641. apud Montfauconium *in Biblioth. Mss.*, cujus haec est inscriptio: *Francisci Priscianensis Hymnorum secundum Romanam curiam castigationes cum metrorum reformatione ad Julium Cardinalem de Medicis*.

(1) Antiquit. Christ. S. Joan. Bapt. Dissert. 4. cap. 6.

novis inducendis cogitaverat, ita ipse totum Breviarium Romanum in meliorem formam redigere conatus est (a). Existimo Zachariam Antistitem Gardiensem huic muneri delectum rem ad exitum non perduxisse; cui succedens Franciscus Quignones Presbyter Cardinalis tituli sanctae Crucis, hortante Clemente VII., ut Breviarium ad veterem formam reduceret, quod ipse testatur in praefatione ad suum Breviarium Paulo III. dicatum, opus aggressus est, et multa alia cum resecuisset, ut commodius redderet, hymnos tamen non omisit, sed veteres aliqua, non tamen justa correctione adhibuit. Quamquam vero Cardinalis Quignones clamaret, suum breviarium *novum* non esse, sed potius *vetus restitutum*, nihilominus pluribus non arrisit nova recitandi ratio. Idcirco Paulus IV., ut narrat Antonius Caracciolus (1) citatus a Benedi-

(a) Claudius Jolyus in *Dissertatione contra Assumptionem Deiparae pag.* 125. *et seqq.* auctoritatem summorum Pontificum, Ferrerii, et aliorum, qui breviaria aut reformarunt, aut reformari desiderarunt, in absurdae suae opinionis confirmationem adduxit. Eum insigniter impugnarunt Nicolaus Ladvocat Billiad in *Vindiciis Parthenicis*, et Jacobus Gaudinus in opusculo *Assumptionis Mariae Virginis vindicatae*. Qui tamen non negant, breviaria, ubi opus fuerit, in meliorem formam redigenda. Apposite Gaudinus *pag.* 357. „ „ Non peccavit, inquit, Leo X. „ Pontifex Max., nec Clemens VII., „ nec Ferrerius, nec Becichemus, „ nec Albertus Cardinalis, nec „ Rev. in Christo P. Adolphus „ de Scanvenburg Archiepiscopus „ Coloniensis, nec Joannes Ferus „ Concionator percelebris Moguntinus, nec Innocentius III., „ nec antea Agobardus, nec Espencaeus, nec Cardinalis Alliacensis, nec Ferdinandus Imperator, nec Carolus Franciae „ Rex, nec Pius V., nec Clemens VIII., nec Urbanus VIII., „ illi, inquam, omnes, in quorum testimoniis adducendis partem non exiguam operis frustra „ consumpsit Usuardi Patronus, „ non peccarunt, cum *vel optarunt vel imperarunt emendationes fieri in Missalibus, et Breviariis*, tum resecando, siquae „ restarent vana, et apocrypha, „ tum in ordinem redigendo, tum „ puriori latinitate donando. *Immo siqua adhuc supersint emendanda*, ut esse possunt, quae „ emendanda sint, *non inutilem operam Ecclesiae navabunt, qui in hujusmodi emendationibus industriam suam collocaverint* „.

(1) In vita ejus italica Ms. lib. 4. cap. 16.

cto XIV. (1), Breviario reformando ad veterem normam, et gravitatem longo tempore per seipsum solus incubuit, quod morte praeventus absolvere non potuit.

150. Quid deinde a Concilio Tridentino, et a Pio IV. actum fuerit, luculenter exponit S. Pius V. in constitutione, quae incipit, *Quod a Nobis postulat ratio*, data septimo idus Julii 1568.. „ Quae divini officii formula pie olim, ac sapien- „ ter a summis Pontificibus, praesertim Gelasio, et Grego- „ rio primum constituta, a Gregorio autem septimo refor- „ mata, cum diuturnitate temporis ab antiqua institutione „ deflexisset; necessaria visa res est, ut ad pristinam orandi „ regulam conformata revocaretur. Alii enim praeclaram „ veteris breviarii constitutionem multis locis mutilatam, alii „ incertis, et alienis quibusdam commutatam deformarunt: „ plurimi specie officii commodioris allecti ad brevitatem novi „ breviarii a Francisco Quignonio tituli sanctae crucis in Je- „ rusalem Presbytero Cardinale compositi confugerunt (a). „ Quin etiam in Provincias paulatim irrepserat prava illa con- „ suetudo, ut Episcopi in Ecclesiis, quae ab initio commu- „ niter cum ceteris veteri Romano more Horas canonicas dice- „ re, et psallere consuevissent, privatum sibi quisque bre- „ viarium conficerent etc.. Hinc illa tam multis in locis divini

(1) De Beatific. et Can. SS. lib. 4. part. 2. cap. 13. num. 3.

(a) Breviarium Card. Quignonii in Gallia et impugnatores, et defensores habuit acerrimos. Richardus Simonius *Epist. Select. Epist.* 25. multus est in exponenda fortuna hujus breviarii varia, ac diversa apud Theologos Parisienses. Ab his primum censura confixum fuit anno 1535. Rursus anno 1552. approbatum publice est, ac praesertim circa annum 1574. Theologi Parisienses illius causam contra Maldonatum susceperunt. Siquidem Maldonatus cum eis disputans de Immaculata B. Virginis Conceptione parum honorifice de hoc Breviario sensit, quod nondum ab ineptiis, fabulisque satis emendatum videretur. Quae omnia refero ex fide Simonii, qui *Epist.* 15. narrat, se legisse *Acta Disputationis de Conceptione B. V.* cum Theologis Parisiensibus, victoriamque pro Maldonato sine ulla dubitatione stetisse, qui tamen alio deinde coactus fuerit concedere. *Vide appendicem secundam.*

„ cultus perturbatio etc.. Hanc nimirum orandi varietatem „ gravissime ferens fel. mem. Paulus Papa quartus emendare „ constituerat „.

151. „ Itaque provisione adhibita, ne ulla in posterum „ novi breviarii licentia permitteretur, totam rationem dicen- „ di ac psallendi Horas canonicas ad pristinum morem, et „ institutum redigendam suscepit. Sed eo postea, nondum „ iis, quae egregie inchoaverat, perfectis, de vita decedente, „ cum a piae mem. Pio Papa quarto Tridentinum Concilium, „ antea varie intermissum, revocatum esset, Patres in illa „ salutari reformatione ab eodem Concilio constituta brevia- „ rium ex ipsius Pauli Papae ratione (*a*) restituere cogita- „ runt. Itaque quidquid ab eo in sacro opere collectum, „ elaboratumque fuerat, Concilii Patribus Tridentum a „ praedicto Pio Papa missum est. Ubi cum doctis quibus- „ dam, et piis viris a Concilio datum esset negotium, ut ad „ reliquam cogitationem Breviarii quoque curam adjungerent, „ instante jam conclusione Concilii, tota res ad auctoritatem, „ judiciumque Romani Pontificis ex decreto ejusdem Concilii „ relata est: qui illis ipsis Patribus ad id munus delectis, Ro- „ mam vocatis, nonnullisque in Urbe idoneis Viris ad eum nu- „ merum adjunctis rem perficiendam curavit. Verum eo

(*a*) Grancolas monumenta allegat, ex quibus infert, omnes seculares Potestates reformationem breviarii petivisse, *Commentar. Hist. lib.* 1. *cap.* 5. Nec dissentire videtur Benedictus Pontifex XIV. *de Beatif., et canon. lib.* 4. *p.* 2. *cap.* 13. *num.* 3. *In Propositione*, inquit, *facta a Carolo V. Augustae Vindelicorum anno* 1548. *dicitur breviarium in forma precum, et orationum ab antiquis Ecclesiae Patribus, et Rectoribus traditam, praescriptamque redigendum; insuper apocrypha, parumque ad sincerum cultum pertinentia a Breviariis resecanda: et hac forsitan de causa Summus Pontifex Paulus, Papa IV. in animum induxerat &c.* Vide Petitiones Oratorum Caesareae Majestatis *Art.* 12. *Actuum, et Memorialium Concilii Tridentini*], et Claudium Jolyum in *Dissertatione de verbis Usuardi contra Assumptionem Deiparae* eas allegantem, et asserentem *pag.* 138. Ferdinandum Imperatorem, et Carolum Franciae Regem breviarii, et missalis reformationem postulasse:

„ etiam in viam universae carnis ingresso, Nos, ita divina
„ disponente Clementia, licet immerito ad Apostolicum api-
„ cem assumpti, cum sacrum opus, adhibitis etiam ad illud
„ aliis peritis viris, maxime urgeremus, magna in nos Dei
„ benignitate (sic enim accipimus) Romanum hoc Breviarium
„ vidimus absolutum „. Pergit Pontifex abolere Breviarium Francisci Quignones, et quaecumque alia vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, nisi eorum institutio, vel consuetudo ducentos annos antecesserit. Prodiit ergo Breviarium S. Pii V. jussu reformatum anno 1568.

152. Maxima vero laude dignus est Andreas Resende elegans, et diligens scriptor, multaeque eruditionis, ac subacti ingenii, qui ante curas Pontificum publicas officiis quibusdam propriis emendandis operam utiliter impendit; non enim honore, quem extero cuivis impertirem, fraudare debeo Nostratem, si tamen per Lusitanos hominem Eborensem ita appellare licet. Pro officiis Eborensis ecclesiae a se correctis pugnat in responsione data anno 1567. ad Bartholomaeum Quebedo (a) sanctae Toletanae Ecclesiae Sacerdotem virum doctissimum: „ Beati Gundisalvi, inquit, officium a me composi-
„ tum mire extollis. Gaudeo sane, et ita vere affectum esse
„ te non solum gaudeo, sed exulto... Cum officia nonnul-
„ la hujus nostrae Eborensis Ecclesiae a mea officina prodie-
„ rint, ex eadem cantum adjeci duobus... Quod interro-
„ gas de S. Elisabet officio, et an ante meum hoc aliud exta-
„ ret, quod tamen apud solas Clarales Conimbricensis Par-
„ thenonis Virgines, ubi ea Diva sepulta est, festo ejus die
„ ad 4. nonas Julii celebraretur, quave id auctoritate, sic

(a) Nic. Antonius *Bibliot. novae tom.* 1. *pag.* 157. affirmat, utramque Epistolam Bartholomaei Quebedo, et Andreae Resende extare in Hispaniae illustratae volumine secundo. Hujus quidem Epistola legitur *loc. cit. a pag.* 1003., ubi pro Quebedo ponitur *Kebedius*. Sed Quebedi Epistola, cui respondet Resendius, abest ab eo loco, et ab omnibus quatuor voluminibus Hispaniae illustratae, neque seorsum editam puto.

„ accipe . . . Canebatur tunc officium illud, quo me offen-„ sum in Praefatione sum testatus. Eaque fuit causa, ut „ novum ipse conderem „. Eo autem libentius diligentiam Resendii commendo, quod ipse in ea epistola Hispanos increpat, quod eorum quidam contemnant Lusitanos (a). Et quoniam mea laudatione nemo permoveri debet, addo alterum Hispanum, cujus ore celebrari sive propter eloquentiam, sive propter magnam nominis existimationem Lusitani non dedignentur, Perpinianum scilicet (1). „ Precandi ritum, quem „ officium vulgo vocant, Lucius Andreas Resendius vir ap-„ prime doctus prudenter composuit, genere quodam oratio-„ nis ad Ecclesiae consuetudinem accommodato „ (b). Haec Perpinianus de officio S. Elisabetae, quod Resendius multo ante composuerat, quam Romani Pontifices reformationem, seu restitutionem absolvissent, de qua dudum cogitaverant. Hymnos S. Gundisalvi a Resendio fuisse elaboratos docet Barbosa

(a) „ *Amplum, lateque diffusum vestrae gentis est imperium* (Quebedum alloquitur), *urbesque, quaqua Hispania est, celeberrimae, ac florentes, passimque memoriae veteris res cognitu dignissimae, ut nulli terrarum invidere jure possitis. Hoc quamquam ita est, vestrates quidam nescio quo livore, seu potius quo malevolo genio instincti multum angulum hunc nostrum, ac Portugalliolam, ut contemptim appellant, non modo lacessunt, verum etiam fastidire se ostendunt*.

(1) Lib.3. vitae S. Elisabetae.

(b) Prodiit Jo: Petri Perpiniani *De vita, et moribus B. Elisabetae Lusitaniae Reginae Historia Coloniae Agrippinae sumptibus Bernardi Gualtheri* 1609.*in* 8. *Excudebat Stephanus Hemmerden*. Vincentius Ximeno auctor Bibliothecae Valentinae, cujus aliis in rebus jure laudatur diligentia, hoc Perpiniani opus non viderat. Nam cum haec editio a Nic. Antonio non quidem omnibus suis veris notis, sed tamen satis distincte esset expressa, Ximenus *tom.*1. *p.*145. titulum ex Nic. Antonio mutuatus subjungit: *Refiere D. Nicolas Antonio esta obra como distinta de las Oraciones del n.* 3.. Tribus Libris constat ea Historia a tribus orationibus in laudem S. Elisabetae habitis penitus distincta. Cl. Petrus Lazzeri locupletiorem operum Perpiniani editionem adornavit; sed quae adhuc augeri posset ex MSS. codicibus, quos mihi videre contigit.

bosa in Bibliotheca Lusitana; quos ego in officiis Eborensis ecclesiae non inveni, in officiis Ord. Praedic. vidi.

§. XXVI.

Novae curae a Summis Pontificibus adhibitae in breviario corrigendo, ac praecipue in hymnis emendandis.

153. Sed ut varium est hominum ingenium, ac diversa studiorum ratio, Pontifices Medicei Leo X., et Clemens VII. (a)

R

(a) Non defuit etiam Paulo III. sedente, qui hymnos ad numeros redigere studuerit, eidem summo Pontifici dedicandos. Veronae anno 1762. prodierunt *Libri quatuor Numerorum Nicolai Comitis Archii*; in quorum praefatione inseruntur verba Stephani Laurei ex epistola nuncupatoria primae editionis operum Nicolai Mantuae 1547.. Pollicetur Laureus, se alia Nicolai poemata editurum, *in quibus*, inquit, *in primis sunt hymni jam latini, et in suos numeros redacti, quibus Ecclesia multos annos incompositis, ac stylo fere barbaro utitur*. Et in codice operum Archij legitur. *Hymnorum Lib.I. ad Sanct. Paulum Pont. Max.*, ac rursus, *Hymni incompositi, quos Sacerdotes nostri cantant, redacti ad numeros latios.* In editione Veronensi quantumvis aucta pauci hymni apparent, ad numeros quidem latios, sed non ecclesiasticos, denuo conditi. Aegre intelligere possum, quo pacto tanta venustas sermonis, ac carminis Catulliani in poematibus Archii plerumque elucens cum tanta negligentia legum prosodiae, et grammaticae, quae interdum observatur, valeat cohaerere. Inter carmina Caelii Calcagnini *Lib.I.* legitur Epigramma in commendationem hymnorum Rhoseti, quem puto esse Franciscum Rhoseti, cujus non quidem hymnos, sed quaedam alia poemata typis impressa vidi. Tiraboschius *Histor. Lit. Secul.XVI. Lib.3. cap. 4. n.38.* Laurentii Frizzolii hymnos sacros peculiari laude dignos praedicat, qui paulo ante *num.36.* magis editionis, quam hymnorum Ferrerii elegantiam admiratur. Ad Philippum Archintum tunc Salutiensem Episcopum, et Urbis Romae Vicarium Apostolicum Joannes Petrus Ferretus Ravennas Lavellinatis ecclesiae Antistes Correctionem Hymnarii Romani misit a se elaboratam, in cujus nuncupatoria epistola asserit, se ab Archinto ad id opus impulsum. Codex Ms. autographus justae molis in fol. asservatur in Biblioth. Mediol. Archintea. Vide *Bibliot. Mediolan. Argelati in Appendice*. Philippus Archintus anno 1546. crea-

hymnorum elegantiam adamarunt; Paulus IV., et S. Pius V. chori disciplinae innutriti alia, quae decori dignitatique cantus ecclesiastici congruunt, praetulerunt. Quamobrem cum Cardinalis Quignonius antiphonas, responsoria, aliaque hujusmodi concentui chori deservientia, sed privatim recitantibus aliquam molestiam importantia e suo Breviario exulare jusisset (a), quod, ut ipse in praefatione fatetur, potius utilitati privatim recitantium consuluisset, S. Pius V. ea omnia ex praescripto Pauli IV., et Concilii tridentini restituens acerrime invectus est in breviarium Quignonii. Ceterum hymni in ea breviarii correctione parum, aut nihil profecerunt, quod aut difficilis videretur provincia hymnos veteres emendandi, aut venerabilis antiquitas in ipsis metri, ac latinitatis erroribus coleretur. Nihil enim interesse aliqui putabant, staretne, an caderet mensura hymnorum, dummodo pia sententia subesset. Omissi vero sunt hymni officii veteris SSmae Trinitatis, quod Stephanus Leodiensis creditur exarasse.

156. Atque hoc fere tempore Seraphinus Razzi Ordinis Praedicatorum Hymnarium Dominicanum Perusiae anno 1587. edidit versibus italicis redditum, annotationibusque illustratum, cui addidit novos hymnos a se confectos. P. Ti-

tus est Episcopus Salutiensis. Neque ipse Paulus IV. hymnorum elegantiam, et nitorem negligere prorsus debuit, si vera sunt, quae Joseph Silos *Hist. Theat. lib.3. ad an.*1528. refert, Episcopum Theatinum Carafam in veteri breviario *sermonis inconcinnitatem, plebejamque plerisque in locis dictionem sugillasse, illamque officiorum inelegantiam dedecere sacrorum sive puritatem, sive majestatem* Epistola ad Gibertum data asseruisse.

(a) Non longe a Quignonii mente Cardinalis Thomasius Votum Sac. Rituum Congregationi obtulit (*Part.2. tom. 1. operum editionis Josephi Blanchini*,) quo distinguens officium privatum a publico ait. *Hinc si videretur summo Pontifici, ipsum privatum officium revocari posset ad pristinam normam constantem ex psalmis, et lectionibus sac. Scripturae, remotis antiphonis, et responsoriis, quae ut eorum nomina demonstrant, Coetum canentium requirunt.*

motheus Buonamici, qui ad eos praefatur, ingenue fatetur, quod, *il Prefato R. Padre non fà Professione di Poeta... si è impegnato d'imitare il più che hà potuto la frase, e stile degli Hinni antichi, poco, o niente curandosi (come nè eglino ancora per lo più curarono) della lunghezza, o brevità delle syllabe*. Nihil hoc monito inutilius, nihil tamen verius: adeo exleges, et inconditi sunt hymni Razziani, ut legentibus statim se prodat absurditas. Quis autem antiquos in iis imitari voluerit, in quibus eos peccasse manifestum est, quaeque ipsi primi corrigerent, si hoc nostro tempore scriberent? verum de his paulo post uberius. Hujus quoque temporis sunt odae, et hymni Benedicti Ariae Montani, viri omnigena eruditione exculti, in quibus, ut ait Petrus de Valentia in praefatione ad editionem Antuerpiensem omnium illius poematum anni 1589., *nec latinitatem, nec poeticum leporem, et numerum, aut stylum, et elegantiam desideres*. Sed eos rectius *odas sacras*, quam *hymnos ecclesiasticos* appellaveris, cum ad Ecclesiae morem non sint accommodati. Nunc quod ajebam, cum Breviarium Romanum Concilii Tridentini decreto, et auctoritate Pii V. recognitum, restitutumque est, nemo fuit, qui hymnos ad latinitatis, carminisque leges revocaret, quamvis lectionibus, seu historiis Sanctorum vel emendandis, vel componendis Julius Pogianus fuerit designatus: sed quaedam invecta est hymnorum commutatio, ut alii alio diverso loco, quo primum erant, locarentur (a). Muretus sub idem tempus hymnos ecclesiasticos composuit a

(a) Lagomarsinius *Vol. 2. Epist. Julii Pogiani in Annot. ad Vitam hujus* historiam emendationis breviarii auctoritate Concilii Tridentini confectae docte, et eleganter persequitur. Correctiones, quas Cardinalis Sirletus faciendas censuerat, ex autographo codice producit. Sirleto in hujusmodi recognitione socios dat Mutium Calinum Episcopum Jadrensem, Aegidium Fuscararium Ep. Mutin., Leonardum Marinum Ep. Lancianen.. Franciscum Forerium ordinis Dominicani Lusitanum, qui certe ad Catechismum Romanum cum his tribus conscribendum delectus est, libenter cum Nicolao

Duce Mantuano impulsus, cui eos offerens ait; *Sume datis a te scriptos mihi legibus hymnos*; nempe latini sermonis nitorem, harmonicamque metri mensuram exacte observavit. Et quamvis Mureti carmina tantum in ejus orationum, et epistolarum gratiam legantur, hymni tamen inter cetera poemata non ultimum locum habent: sed pauci numero sunt, et plerique asclepiadei, non tamen omnes, ut scripsit Guyetus Heortologiae cap. 5. lib. 3.

155. Non multo post S. Pium V. in novam breviarii correctionem Clemens Papa VIII. incubuit, (a) cujus rei causas explicat in constitutione, quae incipit, *Cum in Ecclesia ca-*

Antonio in *Bib.nov.* Correctoribus breviarii adjungam, nisi quod antequam esset absolutum, in patriam reversus est.

(a) De Correctione breviarii jussu Clementis VIII. peracta erudite agit Odoacer Ilbachius, sive Jacobus Laderchius Congregat. Orator. *Acta SS. Martyrum vindicata Lib. 6. cap.9., et 10.*. Ex Codicibus MSS. Bibliothecae Vallicellanae tradit, animadversiones ad eam correctionem perficiendam ex Hispanicis Ecclesiis venisse, quae adhuc in ea Bibliotheca asservantur, et a *quodam*, inquit, *P. Hieronymo de la Hiquera concinnatae leguntur*. *Higuera* scribere debuit; neque enim oportuit, Vindici *Actorum Veterum SS. Martyrum* ignotum esse P. Hieronymum Roman de la Higuera, nomen in historiis antiquis ecclesiasticis propagandis famosum. Idem Laderchius inter censuras, quae in codicibus MSs. Vallicellanis reperiuntur, enumerat *Animadversiones in hymnos breviarii D. Silvii Antoniani*, item *R. P. Fulvii Carduli castigationes in hymnos*. Fulvius Cardulus S. J., quantum hac facultate polleret, specimen dederat in hymnis insertis libello a se exarato: *Passio SS. Martyrum Getuli, Amantii, Cerealis, Primitivi, Symphorosae ac septem Filiorum, notis, et digressionibus illustrata .Romae* 1588. *pagina* 180. *etc.* Cur autem Cardinalis Silvii, et P. Fulvii conatus in irritum ceciderint, ratio peti potest ex praefatione MS., cujus fragmentum vulgavit Laderchius *cap.XI.* „ In „ hac breviarii correctione data „ est opera, ut quam minima mu„ tatio fieret. Quare quod attinet „ *ad hymnos*, *qui magna ex parte* „ *scatent erroribus syllabarum*, ea „ solum mutavimus, quae vide„ bantur errata Librariorum, vel „ quae poterant unius litterae, vel „ syllabae mutatione restitui, ac „ praesertim in hymnis Ambrosii, „ et Prudentii, *quos non est cre-* „ *dibile cum erroribus ab initio fu-* „ *isse compositos* „.

stolica, *sub die* X. *Maii* 1602. „ Cum vero progressu tempo-
„ ris typographorum negligentia, et incuria, et nimia alio-
„ rum etiam ea, quae ad ipsos non pertinent, temere sibi as-
„ sumentium audacia, ac licentia multi errores in illud irre-
„ pserint, ac tum in sacra Scriptura, et lectionibus Patrum,
„ tum in vitis Sanctorum, et rubricis, aliisque locis, sine
„ nostra, et Romanorum Pontificum Praedecessorum no-
„ strorum auctoritate, pro cujusque arbitrio pleraque addita,
„ et immutata fuerint, ita ut nulla jam reperiantur breviaria,
„ quae a prima editione ejusdem Pii in multis non discrepent,
„ atque dissentiant, et aliqua recognitione non indigeant
„ etc. „. Non tamen propterea credas, nihil aliud actum fuisse, nisi ut primae editioni Pianae breviarium penitus conformaretur. Adhibita enim est diligentia, ut etiam ea, quae in eo breviario reperiebantur, recognita, et, ubi oportuit, emendatiora prodirent; in quam rem delecti sunt plurimi celeberrimi viri, quos nominatim compellat Gavantus (1). De his loquitur idem Clemens VIII. *citat. const. Mandavimus nonnullis piis, et eruditis viris, quorum consultatione, et opera in hujusmodi rebus frequenter utimur, ut idem breviarium nova adhibita diligentia accuratius inspicerent, atque examinarent, et ea, quae depravata esse, et recognitione indigere animadverterent, pro sua doctrina, et pietate restituerent*.

156. In hac vero correctione, sive mavis, recognitione, et restitutione vix alius locus datus est hymnis, nisi quod aliquibus antiquis omissis pauci novi recte compositi inducti sunt, uti hymnus, *Fortem virili pectore*, et hymnus ad vesperas S. Mariae Magdalenae, *Pater superni luminis*; quorum hic auctorem habet Cardinalem Bellarminum, ille Cardinalem Silvium Antonianum, utrumque e numero Correctorum. Ex hoc tempore siqui hymni recentes in breviarium inseri debuerunt, latiniores eos esse, et justa mensura praeditos oportebat; quod praecipue animadverti potest in hymno ad

(1) In rubric. breviar. part. 2. sect. 5. cap. 6.

vesperas SS. Angelorum custodum: *Custodes hominum psallimus Angelos*, qui regulis omnibus mirifice respondet. Auctor incertus mihi est, sed in breviario Romano sub Paulo V. apparuit. Jam vero anno 1623. ad Pontificiam cathedram evectus est Mapphejus Barberinus, non obscurum inter poetas nomen, cujus teretes aures dulci Musarum harmonia delectatae sane quam a barbaris, inconditisque hymnorum versibus abhorrebant. Ergo huic curae, ac labori animum sedulo applicuit, non ita tamen ut hymnos per se ipse castigaverit, quod aliqui falso affirmant, nisi forte dum hymnos ab Urbano VIII. emendatos fuisse pronuciant, ejus jussu id factum esse intelligant (a). Igitur licet celeberrimus Poeta haberetur Urbanus VIII., correctionem Hymnorum aliis commisit, vel quod gravioribus curis ipse distineretur, vel quod se non aeque idoneum existimaverit. Quod enim acute, salseque Cicero dixit in Tusculanis quaestionibus, *Adhuc neminem cognovi poetam, (et mihi fuit cum Aquinio amicitia), qui sibi non optimus videretur*, laudandum potius est acumen, quam confirmanda sententia, aut in exemplum adducenda.

§. XXVII.

Hymnorum emendatio sub Urbano VIII.

7. 15 Quo autem respexerit Urbanus Pontifex VIII., quibusque causis permotus fuerit, ex ejus constitutione, quae incipit, *Divinam psalmodiam sub die* 25. *Januarii* 1631., liquido perspicitur. „ Divinam psalmodiam sponsae consolantis „ in hoc exilio absentiam suam a Sponso caelesti decet esse „ non habentem rugam, neque maculam, quippe cum sit „ ejus Hymnodiae filia, quae canitur assidue ante sedem

(a) Haec interpretatio non quadrat in verba Claudii Jolyi *Dissertat. de verbis Usuardi contra Assumptionem Deiparae pag.* 139. „ Urbanus VIII. Hymnos Ecclesiasticos ipsemet puriori latinitate donavit, ac metris regularibus inclusit „. In eumdem errorem incidit Tiraboschius *Tom. VIII. Hist. Lit. Ital. Lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 8.

„ Dei, et Agni, ut illi similior prodeat, nihil, quantum
„ fieri potest, praeferre debet, quod psallentium animos
„ Deo, ac divinis rebus, ut convenit, attentos avocare alio,
„ ac distrahere possit: qualia sunt, siquae interdum in sen-
„ tentiis, aut verbis occurrant non tam apte concinneque
„ disposita, ut tantum tantique obsequii ac ministerii opus
„ exigeret. Quae causae quondam impulere summos Ponti-
„ fices etc. ... Nos quoque in eamdem cogitationem traxere et
„ solicitudo nostra erga res sacras, quas primam, et opti-
„ mam partem muneris nostri censemus, et piorum docto-
„ rumque virorum judicia, et vota conquerentium in eo
„ [breviario] contineri non pauca, quae sive a primo nitore
„ institutionis excidissent, sive inchoata potius, quam per-
„ fecta forent ab aliis, certe a Nobis supremam imponi ma-
„ num desiderarent. Nos itaque huic rei sedulam operam
„ navavimus, et *jussu nostro aliquot eruditi, et sapientes viri*
„ *suam serio curam contulerunt, quorum diligentia studioque*
„ *perfectum opus est*, quod gratum omnibus, Deoque et san-
„ ctae Ecclesiae honorificum speramus: *Siquidem in eo hy-*
„ *mni, paucis exceptis, qui non metro, sed soluta oratione, aut*
„ *etiam rhythmo constant, vel emendatioribus codicibus adhibi-*
„ *tis, vel aliqua facta mutatione ad carminis, et latinitatis leges,*
„ *ubi fieri potuit, revocati, ubi vero non potuit, de integro con-*
„ *diti sunt, eadem tamen, quoad licuit, servata sententia* „.

158. Haec de hymnis Urbani constitutio; nam cetera, quae recognita fuerunt, leviora, neque nostri sunt instituti. Viros *eruditos, ac sapientes* huic correctioni hymnorum a Pontifice delectos (a) enumerat Meratius. *Ad praefatos hymnos reci-*

(a) Grancolas *Comment. Histor. Brev. Rom. lib.* 1. *cap.* 28. auctor est, extare decretum Congregationis Sac. Rituum in quo legitur: *idem facere coguntur, qui jussu D. N. Urbani VIII. sacros hymnos emendant*. Censeo, eum falli; nam correctores ipsi in praefatione ad hymnos emendatos, exemplo S. Hieronymi relato, addunt: *Idem facere coguntur ii, qui jussu S. D. N. Urbani VIII. sacros hymnos emendant*. Hanc praefationem consequitur Decretum sac.

tandos, et corrigendos adhibuit praefatus Pontifex tres lectissimos Societatis Jesu viros, ac politiorum litterarum bene peritos, et hi fuerunt Famianus Strada, Tarquinius Gallucius, et Hieronymus Petruccius (1). Extant hujusmodi hymni emendati typis romanis editi, antequam breviario adjungerentur, quorum tres ejusdem anni vidi editiones in 4., in 8., in 12. hoc titulo: *Hymni Breviarii Romani Sm̃i Dñi Nostri Urbani VIII. jussu, et Sacrae Rituum Congregationis approbatione emendati. Romae typis Vaticanis* 1629.. Transcriptum inibi est decretum sac. Rituum Congregationis, quo permittitur, ut hi correcti hymni pro antiquis usurpentur.

159. Nimirum voluit Pontifex experiri, an illi hymni emendatiores prodire possent, si interea quidquam objiceretur ab iis, qui eos legerent, quod limam ulterius desideraret. Pauca tamen mutata sunt, et quaedam non admodum necessario: aliqui versus, qui ex antiquis remanserant, in venustiorem formam sunt redacti. In praefatione vero ad sacram Rituum Congregationem Correctores, quorum nullum in toto opere apparet nomen, intactos se reliquisse profitentur quosdam breviarii hymnos, quos *Viri sanctissimi si non certis illos pedibus, aliquibus tamen incisis partiti, auribus indulgentes, oratione non omnino soluta scripserunt*; quales sunt hymni S. Thomae in festo Sm̃i Corporis Christi, et hymnus: *Ave Maris stella*. Addunt: *Hymni, quos Ambrosius, Gregorius, Prudentius, Sedulius, Fortunatus, aliique poetae magni nominis ediderunt... siquando legem latinitatis, et carminis neglexerunt, quam minima mutatione syllabae revocantur ad legem*. In ceteris hymnis castigandis severiores se fuisse non diffitentur, sed, ut ajunt: *In omnibus relicta sunt multa, quae fieri meliora potuissent*. Praeter alios errores summa falsarum sylla-

Rituum Congregation's, quo recitatio hymnorum correctorum permittitur, sed illa, aut similia verba non exprimuntur. An non aequum est credere, Grancolam verba *praefationis* Decreto affinxisse!

(1) Ad Gavant. part.2. Sect. 5. cap.6. num.5.

syllabarum fuit 952., ut legitur in calce operis. Theophilus Raynaudus (1), licet magni omnino faciendum esse hunc laborem propugnet, subjungit: *Esse, quod in illis correctionibus patere possit novae per Pontifices correctioni ... monstratum recolo a Fr. Ludovico Cavalli Ordin. Min. Poenitent. Lateran.*.

160. Quo loco id monstraverit Ludovicus Cavalli, non reperi; neque video, quid circa mensuram, latinitatemque denuo possit emendari, nisi quod Emendatores ipsi affirmant, *plura esse relicta, quae fieri potuissent meliora*. Certe quod Theophilus in voce *Paracletus* cavillatur, flocci faciendum est: *Romana correctio hymnorum*, inquit, *hymnum de Spiritu sancto sic immutavit*: QUI DICERIS PARACLITUS, *correpta penultima, cum prius diceretur*: QUI PARACLETUS DICERIS, *producta penultima*. Quam correctionem ut infirmet, multus est in probando, penultimam esse longam in nomine, quod Spiritui sancto tribuitur, sive *Paraclitus*, sive *Paracletus* dicatur. Nihil attinet novas iterum lites excitare de voce *Paracletus*, de cujus recta pronunciatione uberrime disseruerunt Sanrei, et Thiers, qui postremus pronunciationem ab Ecclesia adhiberi solitam in voce *Paraclitus* penultima correpta defendit. Enim vero cum jam haec pronunciatio invaluisset, necessarium prorsus fuit, ut in hymno de Spiritu sancto mutaretur versus, *Qui Paraclitus diceris*; nam cum ea vox multis aliis in locis relicta fuerit, et sive in versu, sive in oratione soluta pronuncietur, penultima correpta, ita quoque accideret in eo versu, quo sonus, modulusve syllabarum vitiosus redderetur. Vide notata in Hymnodia ad diem III. Martii (*a*).

S

(1) Tom. XI. oper. Critic. Sac. punct. 2. pag. 11., et 12.

(*a*) P. Emmanuel Bernardus de Ribera, qui me puero inter Salmanticenses Doctores ingenii acumine, et amaeniori doctrina excellebat, ordinis SS. Trinitatis alumnus, et decus, in *Parergis ad Tom. 1. Instit. Philosoph.* contendit *I* in *potitur* breve esse debere ex Virgilii versu, *Vi potitur* etc., neque permovetur exemplo hymni ad laudes Confessorum Pontificum, *Potitur inter Angelos*, et alterius ad laudes *nec Virg. nec Mart.*, *Caeli potitur gaudiis*; quia,

161. Erit fortasse, qui scire velit, cur Urbanus VIII., quandoquidem hymnorum antiquorum barbarie offendeba-

ut ait, *Grammaticae leges interdum Ecclesia spernit*, sive potius *Negligit interdum latias Ecclesia leges:* quem versum auctoritate Joannis de Deo Gonzalez olim sui in litteris humanioribus Praeceptoris subrogat loco illius antiqui, qui nihilominus meo judicio et verior est, et gravior hoc altero novo Gonzalezii. Sed in *potitur*, vellem, vir doctus animadvertisset, primum hymnos ecclesiasticos fuisse ad grammaticae, et prosodiae leges revocatos, tum auctorem hymni *nec Virg. nec Martyr.* esse Cardinalem Silvium Antonianum hujus artis peritissimum, postremo verbum *potior potiris* fuisse olim simul tertiae et quartae conjugationis, non secus ac *morior*, et *orior*. Ex quo fit, ut *potitur* habeat *I* breve, cum more tertiae conjugationis inflectitur, longum vero, cum more quartae. Communis ergo secunda vocalis passim indicatur in prosodiae auctoribus. Sed quoniam ad veteres provocat, pro uno Virgilii versu, in quo brevis est, duos dabo, in quibus est longa: *Faecundo penetrat penitus, thalamoque potitur*. Naevius 2. Iliad. *Deficit alma Ceres, nec plebes pane potitur*. Lucilius. Eos adducit Priscianus *Lib. X. fol.* 138. *Venet.*, ut probet *potior* esse quartae conjugationis. Hac ego de causa putarem versum Catulli in nuptiis Pelei, et Tethidos, *Liber ut innuptae potiretur flore novercae*, corrigendum ita esse, *Liber ut innuptae poteretur flore novercae*; ac simili modo versum Ovidii *lib.* 13. *Metamorph.*, *Tuque tuis armis, nos te potiremur, Achille*, *Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille*. Nam secunda vocalis in *potiremur* quartae conjugationis debet esse longa, brevis autem in *poteremur*, vel *poteretur* tertiae conjugationis. Aliis quoque hanc correctionem placuisse novi. Quod vero cl. Ribera pro suae prosodiae defensione Coelemannum, Noltenium, et Amaltheum prosodicum allegat, eos auctores mihi non vacat consulere, neque in verbo *potitur* credo esse meae assertioni contrarios, et si maxime essent, nullatenus ab opinione discederem, quam sustinere cogor clarissimis Prisciani verbis permotus: „ In *tior*, inquit „ unum deponens tam tertiae, „ quam quartae conjugationis inve„ nitur *potior* „ Versibus ab eo citatis Lucilii, et Naevii, sive, ut alii legendum putant, Laevii adjungi potest alius Ovidii in *Epistola Heroid. Hypermnestrae*: *Ille ferox solus solio sceptroque potitur, Cum seue nos inopi turba vagamur inops.* Itaque injuria Ribera prosodiae peccatum hymnis illis duobus objicit, injuria adversarios suos acriter hoc loco reprehendit: *His omnibus*, ait, *id unum admonendum, ut prius adlaborent, libris se perpetuo dedant, noctes ducant insomnes, quam de scriptis, atque*

tur, Zachariae Ferrerii hymnos tantopere probatos non elegerit. Quantum ego quidem conjicio, non una fuit Urbano VIII. causa, cur Zachariae hymnos recitandos non obtulerit. Primum enim satius visum fuit, ut ex antiquis sententiae, et, quantum fieri posset, verba retinerentur, contra quam fecit Ferrerius, qui novos penitus contexuit. Deinde magnificae illae laudes, quibus, a Clemente VII., Becichemo, et Paciaudo ornatus est Ferrerius, quasque ei aliqua ex parte deberi non diffiteor, non efficiunt, quominus a metri legibus non raro aberraverit, ut ex multis exemplis, quae possem adducere, in versu sapphico hymni S. Stephani, *Ut remisisti injurias tuorum*. Tum congruitatem ad cantum ecclesiasticum aut ignoravit, aut contempsit. Postremo hymnos suos fabulosis narrationibus foedavit, ac nonnullis, quae minime Theologum deceant, qualis est illa in hymno S.Gregorii,

Ille Trajanum revocans ab orco
Efficit dignum Superum catervis.

Quapropter etsi in hymnis ecclesiasticis Ferrerii venustas, poeticus lepor, et pura latinitas emineret, quod negat Tiraboschius, tamen rectius Urbanus VIII. fecit, dum antiquos reformari jussit.

§. XXVIII.

Vindicatur correctio Hymnorum Urbani VIII. jussu peracta.

162. Age vero discutiamus aliorum reprehensiones, qui non recte factum blaterarunt, quod hymni usu, et antiquitate consecrati mutarentur, ut comptiores, venustioresque apparerent. Falsus quippe animi fuit Urbanus Pontifex, dum *opus omnibus gratum* se facturum esse speravit, si vete-

***auctoribus criticen scribant*, et *mentem aperiant*. Si adversarii ita admoniti rationem hujus constructionis, *his omnibus id unum admonendum est*, a Ribera poscerent, nescio, an aeque facile sese ille expedire posset.

res hymni in meliorem formam redigerentur. Ajebant enim aliqui, *Accessit latinitas*, *recessit pietas*; praecipue in novam emendationem acriorem, et liberiorem aequo censuram ferre ausus est Henricus Valesius citatus a Meratio (1), cujus auctoris *censurae nimis severae*, adjungit Meratius, *aurem praestare non possumus*. Nihil autem falsius, quam quod objicit Valesius, hymnos correctos male fuisse compositos, et adversus communem hominum sensum depravatos. Grancolas (*a*) affirmat, mutata quidem fuisse verba quaedam in hymnis, sed eamdem fere sententiam intactam permansisse. Si igitur eadem auctorum veterum sensa melioribus verbis, quod nisi impudenter negari non potest, et justa carminis mensura redduntur, quid est, quamobrem jure quis opponat, accessisse latinitatem, sed recessisse pietatem? An magis pietati consonum est dicere, *Lustris sex qui jam peractis*, quam, *Lustra sex qui jam peregit*? An praeferenda erit ultima stropha hymni antiqui, *Vexilla Regis prodeunt*, ultimae strophae ejusdem hymni emendati? Ita ajebat vetus hujus hymni conclusio:

Te summa Deus trinitas
Collaudet omnis spiritus,
Quos per crucis mysterium
Salvas, rege per seculum,

In breviario Romano *optime recognito Venetiis* 1558.. Modo canimus:

Te fons salutis Trinitas
Collaudet omnis spiritus,
Quibus crucis victoriam
Largiris, adde praemium.

163. Conferantur hymni emendati cum antiquis, sumantur in manus exempli loco hymni veteres, recentesque in fe-

(1) Ad Gavan.part.2.sect.5.c.6.

(*a*) Comment. Histor. Breviar. Rom.lib.1. cap.28. *Constat autem, pauca eos circa sententias immutasse, atque veteres cum emendatis conferenti vix aliud discrimen occurret praeter variam dimensionem, atque loquendi rationem.*

sto dedicationis Ecclesiae, ac sine ulla controversia apparebit, sententias veterum, metri, sermonisque latini erroribus vitiatas, non esse aptiores ad pietatem excitandam, fovendamque, quam easdem puris verbis, elegantique carmine inclusas. Errant vero, qui putant, hymnos ex antiquis temporibus ad nos transmissos tam absurde a praeclaris auctoribus Hilario, Ambrosio, Gregorio, Sedulio, Prudentio, Fortunato fuisse compactos, quam in breviariis postremi temporis legebantur. *Illud etiam*, inquiunt Correctores Romani in praefatione, *ex variis scriptionibus in Bibliotheca Vaticana servatis exploratum est, plurimas in pluribus hymnis voces, quae nunc leguntur, et pro antiquis habentur, authorum esse recentiorum*. Ac vide, quid jam a 9. seculo de hymnis Ambrosianis senserit Walafridus (1): *Sciendum tamen, multos hymnos putari ab Ambrosio factos, qui nequaquam ab illo sunt editi. Incredibile enim videtur, illum tales aliquos fecisse, quales multi inveniuntur, id est, qui nullam sensus consequentiam habentes, insolitam Ambrosio in ipsis dictionibus rusticitatem demonstrant* (a). Audiatur, quid de Ms. ipsis Hymnariis etiam Va-

(1) de rebus Eccles. cap. 25.

(a) S. Ambrosium *cap. 42. lib. 2. in Lucam* de suis hymnis dixisse, *negligere verba debemus, spectare mysteria*, apud multos leges. Addit Grancolas *Comment. Histor. Breviar. lib. 1. cap. 28.*, Urbanum VIII. asseruisse: *Patres inchoasse potius hymnos, quam perfecisse*. Urbanus quidem in constitutione Apostolica breviario praefixa loquitur solum de suorum Praedecessorum curis *in reformando breviario*, affirmans ex sententia piorum, doctorumque virorum in breviario post primas reformationes „ contineri non pauca, quae sive a „ primo nitore institutionis excidissent, sive *inchoata potius*, „ *quam perfecta forent ab aliis*, „ supremam imponi manum desiderarent. „ S. Ambrosius eo loco *de suis hymnis* non agit, sed de verbo *Praesepium*, quo interpres latinus sacrae Scripturae usus est. „ Agnovit enim bos possessorem „ suum, et asina *praesepe* Do„ mini sui. Immo *praesepium* dixe„ rim, sicut scripsit, qui tran„ stulit. Nihil enim apud me di„ stat in verbo, quod non distat in „ sensu „. Deinde vero *cap. seq.* suis jam verbis loquens ter *praesepe*, non *praesepium* dixit. Et quamvis auctores correctionis Romanae putent, in Hymnariis MS.

ticanis sentiat Ven. Card. Thomasius (1): *Hymnos ipsos saepius mendis respersos, sublatis tantummodo manifestioribus erratis, reliquis vero retentis integros, prout in Codicibus reperiuntur, in lucem proferimus*. Multo deinde post fassus est (2), Hymnarium a se editum correctione indigere.

164. Quare ineptissimum est asserere, errores hymnorum, qui in breviariis ante Urbanum VIII. recitabantur, retinendos fuisse, quia ita erant a primis sanctissimis auctoribus confecti, cum in hoc scriptionum genere a sciolis, ignarisque Presbyteris choro inservientibus tantopere fuerit variatum, ut difficillimum sit statuere de pluribus versibus mendosis, an a primo auctore ita prodierint. In antiquo Hymnario V. Thomasii manifeste deprehenditur, integras strophas ex aliis hymnis in alios diversis auctoribus adjudicatos fuisse translatas; quod non a scriptoribus primis factum credam, sed ab his, qui versus, et strophas hinc inde corradentes hymnum aliquem temere compingebant, et ejus nomen praeponebant, cujus plures versus, aut verba remansissent. Accedit, hymnodiae decorem, cui promovendo summi Pontifices, imprimisque S. Gregorius Magnus insudarunt, vix, ac ne vix quidem conservari posse in versibus claudicantibus, ubi nimirum aut desunt, aut abundant syllabae. Cujus rei ratio est,

substitutas interdum *voces meliores pro antiquis aliis, quae carminibus repugnabant*, tamen dubium non est, quin saepius contrarium acciderit. Relege notam ad num. 115. circa Clementis VIII. correctionem. Jodocus Clictoveus Theologus eruditissimus *lib. 1. Elucidatorii Ecclesiastici* interpretans hymnum, *Nocte surgentes vigilemus omnes* ad matutinum ab octava Pentecostes usque ad Dominicam proximiorem Kalendis Octobris in Dominicis, adduci nequit, ut credat, S. Gregorium ejus hymni auctorem ita conclusisse stropham ultimam, *Spiritus, cujus reboat in omni-Gloria mundo*, cum facile potuerit rectam pedum mensuram, quam in aliis versibus servavit, in hoc etiam adhibere, nimirum, *Spiritus, cujus reboat per omnem -Gloria mundum*. Non inutilem operam sumpsisse puto, qui orationem *pro Poesi Theologis utili* typis commisit Leodii 1749. in 4., quam aveo legere.

(1) Tom. 2. oper. praefat. ad Hymnarium.

(2) Ep. 13. tom. 7. oper. col. 210.

quod cum vis notarum musicarum in vocalibus sita sit, si eae plures, paucioresve sunt, quam modulatio exigit, abnormis, dissonusque cantus efficietur.

165. Nam quo pacto musicae artis ratio constare potest in versu primo ad Laudes S. Eulaliae die 10. Decembris apud officia propria Hispanica? Ita enim ait: *Lampades postremo Virgini ligatae*. Longior est una syllaba, atque adeo concentus, qui carminis sapphici proprius est, nequit ei convenire. *In versu quidem* (ait Cicero *in Oratore*) *Theatra tota reclamant, si fuit una syllaba aut brevior, aut longior*. Et rursus *in Paradoxis*: *Histrio si paulo se movit extra numerum, aut si versus pronunciatus est syllaba una aut brevior, aut longior, exsibilatur, et exploditur*. In templo ea deformitas, et discrepantia aequis animis, et auribus accipietur? Quid? ubi sola peccat latinitas, vel syllabae quantitas, nonne decet vitium emendari? Nonne eruditae, quamtumvis piae, aures ab inconditis, absurdisque carminibus abhorrent? Ferrerius in epistola, qua Clementi VII. suos hymnos offert, praeclare hanc causam tuetur: „ Leo X., inquit, patruelis tuus, Clemens beatissime, cum esset rei ecclesiasticae studiosissimus, et ea, qua humanas litteras callebat sagacitate, odas, sive hymnos, quibus in Dei Maximi laudes quotidie utimur, a vera latinitate, et metro aberrare perpenderet, adjecit animum, ut vel in melius reformarentur, vel juxta rectam mensuram, et latinitatem exclusa barbarie de novo excuderentur, idque oneris meis humeris imponendum censuit... Ad obeundum quoque id laboris me summopere animavit, et impulit, quod qui bona latinitate praediti sunt Sacerdotes, dum barbaris vocibus Deum laudare coguntur, in risum provocati Sacra saepe contemnunt. Quod quantum damnabile sit, quantumve huic malo obsistendum sit, quilibet aperte novit „.

166. Videant ergo, ne ignorantiam prodant, qui vanam pietatis speciem, amoremque antiquitatis praetexentes barbariem hymnorum veluti sacram magno in honore habendam,

ac retinendam contendunt. Erant jam aliqui hujuscemodi homines, quo tempore Zacharias Ferrerius, Leone X., et Clemente VII. vel jubentibus, vel hortantibus, plurimis Cardinalibus, aliisque piis, doctisque hominibus approbantibus, novos hymnos pro antiquis substituere voluit, contra quos declamat Martinus Becichemus Patavinae Academiae Rector in praefatione: „ Vides, mi Lector, quos passim canunt „ in templis hymnos, uti sunt omnes fere mendosi, inepti, „ barbarie referti, nullaque pedum ratione, nullo syllabarum „ mensu compositi, ut ad risum eruditos concitent, et ad „ contemptum ecclesiastici ritus vel litteratos Sacerdotes indu„ cant? Litteratos dixi, nam ceteri, qui sunt sacri patrimo„ nii helluones sine scientia, sine sapientia satis habent, ut „ dracones stare juxta arcam Domini etc. „. In re simili non dissimilis est sententia Thomae Correa in Prosodiae fine titulo de accentu in peregrinis vocibus citati a Ricciolio (1), ajentis, *non esse cuivis consuetudini cedendum, sed eruditorum tantummodo, et qui propius accesserit ad latini sermonis canones, praeclarius loqui, atque a depravata consuetudine longius recedere, neque ecclesiam, sed imperitos in ecclesia barbarismos invexisse, quos qui sequitur, barbare loqui, nec se ecclesiae auctoritate tueri debere.*

§. XXIX.

Hymni recentes, si boni sint, praeferri debent antiquis mendosis, et barbaris.

167. Egregie rem hanc illustrat celeberrimus poeta, et hymnographus seculi superioris Joannes Baptista Santolius, seu Santevil, qui nomen Santolii Victorini suis operibus praefixit (a). Cum hymnos breviarii Cluniacensis, qui modo recitan-

(1) Part. 8. prosod. cap. 5.

(a) Auctor Dictionarii scriptorum ecclesiasticorum e gallico in italicum idioma conversi hoc Santolii Victorini elogium profert. *Tra tutti i Poeti Latini moderni egli è il migliore. I di lui Inni Sacri nella maggior parte delle*

citantur, plures confecisset, eos dedicans Cardinali Bullonio Principi de Turre Arverniae, Abbati, Capiti, et Superiori Generali Monasterii, et ordinis Cluniacensis, ita canit de ipso Cardinale loquens:

Pertaesus jam dudum haud aequa mente ferebat
Simplicitate rudes, et majestate Tonantis
Non dignos adeo, quos error scripserat hymnos
Praetextu pietatis, et ignorantia vatum.

Et in carmine, quo inducit S. Hunegundem querentem, quod Abbas hymnos ejus novos neglexisset.

Hactenus hymnos,
Quos et barbaries, et mendax cuderat error,
Romanae linguae opprobrium, turpesque prioris
Aevi relliquias vanae deliria mentis
Hos ego Diva sonos animo indignante ferebam.

Obtinuit causam S. Hunegundis, curante Antistite loci. Similem causam agens inducitur a Santolio S.Maglorius in alio carmine.

Ignoscenda quidem rudioribus horrida seclis
Barbaries fuit; at postquam gens pinguis avorum
Secessit procul, incultis gens aspera musis,
Credideram simul ignotas abiisse sub oras,
Et cessisse loco foedam squallore, situque

T

Diocesi di Francia servono a cantare le lodi dell' Altissimo, e a celebrarne i misterj. La luce spirituale, la pietà, la divozione de' sentimenti, l' esattezza della dottrina, l' eleganza, e la forza ci destano maraviglia. Quantum vero Santolio suo delectati sint Galli, nulla alia res magis ostendit, quam tot, tamque egregii viri, qui in ejus hymnis gallice reddendis operam collocarunt suam, Petrus Corneille, Bouhurs, Le Monnoye, Marchio de Robias, la Fosse, Perrault, Damchet, Dupuis, Faidit, Bosquillon, Vaultier, Diereville, Du Perier, Bosy, Bensarede, Saurin, aliique. Santolius inter versiones, quas vidit, Monnoyanam praeferebat. An autem Galli rerum suarum studio, et amore in laudibus Santolii nimium processerint, aliis dijudicandum relinquo; sed videnda ante est Appendix III. post Hymnodiam.

Barbariem, et miseros, sese quibus illa tuetur,
Auctores operum, Romanae opprobria linguae.

168. Et ut ad hymnos Cluniacenses revertar, habuerunt etiam illi Monachi alios hymnos antiquissimos, ac nominatim in *Consuetudinibus Cluniacensibus* Uldarici, qui floruit circa annum 1070., fit mentio hymni Flavii Episcopi Cabilonensis cap. 12.. *Praeter solitas antiphonas, quae sunt de Mandato, habetur hymnus Flavii primi Cabilonensis Episcopi* (a): *Tellus, ac aethera jubilent-In magni coena principis*; ut missos nunc faciam hymnos Odonis II. Abbatis Cluniacensis, et V. Petri Cluniacensis, aliorumque ejusdem coenobii, et instituti. Nihilominus hymnos nitidiores Santolii Victorini hymnis veteribus non modo praetulerunt, sed ut refertur in Dictionario Moreri verbo *Santeul*,, l'ordre di Clugni lui accor-,, da des letres de filiation e le gratifica d'une pension en re-,, connoissance de ce service qu'il venoit de lui rendre,,. Prodiit autem breviarium Cluniacense Parisiis anno 1686. juxta Regulam S. Benedicti, et mentem Pauli V. Pont. Max.; cui Decretum, seu praefationem praemittit Emmanuel Theodoricus a Turre Arverniae Cardinalis Bullonius, superior Generalis Monasterii, et ordinis Cluniacensis; ubi de hymnis haec habet: *In hymnis ea lex servata est, ut retinerentur ab Ambrosio, Sedulio, Prudentio scripti: nonnulli ab Urbano VIII. emendati; alii de novo cuderentur eorum loco, in quibus vel mensura desiderabatur, vel cura sermonis. Iis profecto accessit modulatio, ac latinitas; vis, et pietas non deest. Data enim est*

(a) Extat in Hymnario V. Thomasii sub nomine Flavii Episcopi Cabilonensis, ubi primus versus correctior legitur: *Tellus, ac aethra jubilant*, ut octo Syllabis concludatur. *Tom.3. Galliae Christ. Sammart. fol.* 439. Flavius Episcopus Cabilonensis laudatur circa annum 580., sed ante eum alii Cabilonenses Episcopi recensentur. Claudius Robertus *Gallia Christiana Parisiis 1626. pag.*276. monet, errorem esse, quod Flavius inter Sanctos Episcopos Cabilonenses *primus* collocetur, putatque id accidisse ex aliquo mendoso breviario. Sed Flavius non solum *primus* dicitur in hymnariis Cardinalis Thomasii, sed etiam in *Consuetudinibus Cluniacensibus* Uldarici.

opera, ut in omnibus strophis sententiae eminerent elegantes verbis, rebus autem graves.

170. Ceterum praeter hymnos ab Ambrosio, Sedulio, et Prudentio scriptos alii quoque antiqui in eodem breviario remanserunt, et quidem nulla adhibita emendatione, uti in Dominica ad vigilias hymnus S. Gregorii, *Primo dierum omnium*; in festo Epiphaniae hymnus S. Paulini ad secundas vesperas; sabbato ad vesperas Dominicae Passionis hymnus Mamerti Viennensis, *Vexilla regis prodeunt*; et in eadem Dominica hymnus Fortunati, *Lustris sex qui jam peractis*. Santolius Victorinus antequam pro Cluniacensibus allaboraret, laudatissimos hymnos cuderat, ut in breviario Parisiensi insererentur, atque eum honorem assecutus est, ut ejus hymnis omnes fere Galliae Ecclesiae resonarent. *Editis*, inquit ipse in praefatione ad sua carmina, *in lucem hymnis, quos praeter spem meam pene omnes Ecclesiae Galliarum fecere suos*.

171. Neque solius Santolii hymni in Breviario Cluniacensi sunt inserti; sed quibusdam aliorum auctorum nomina praemittuntur, aliquando expressa, interdum litteris nominum primis indicata, ut in octava Epiphaniae *hymnus ad vesperas N. T. P. R.*; die 15. Januarii *hymnus Hug. Val. Monac. Pontil.*; in Conversione S. Pauli *hymnus C. S. et S. V.*, et ad vigilias, et ad laudes ejusdem festi *hymnus Guill. de Brun. Ep. Santon.*; die 29. Aprilis hymnus *Franc. Br. theolog. Paris.*; die 2. Julii *hymnus C. S. et S. V.*. Litterae *C. S.* fortasse denotant Claudium Santevil fratrem Joannis Baptistae Santevil; nam illius quoque extant aliqui hymni in breviario Parisiensi sub nomine Santolii Magloriani. Sed quid causae esse dicam, quamobrem unus, idemque hymnus Claudii Santolii, aut alius, simulque Santolii Victorini nomen praeferat? An quia Claudius, aliusve auctor fecit, Victorinus perfecit? Ita arbitror.

172. Breviarium Parisiense iterum recognovit, et reformavit anno 1736. Carolus Gaspar Guillelmus Archiepiscopus, qui in Epistola, qua illud clero dirigit, haec scribit: *In hujus porro operis ordinatione id servandum esse duximus, ut si*

excipiantur hymni, orationes, canones, et lectiones nonnullae; singulae officii partes e scriptura sacra depromerentur... Immo veteribus hymnis locus datus est, nisi quibus ob sententiarum vim, elegantiam verborum, et teneriores pietatis sensus recentes anteponi satius visum est. Veteres hymni ita a Parisiensibus retenti sunt, ut in quibusdam neque Romana correctio sit adhibita, veluti in hymnis dedicationis Ecclesiae; in aliis plura alia sint correcta, quae in hymnis Romanis perseverant; ut in hymno SS. Innocentium recitant Parisienses primam stropham hoc pacto: *Salvete flores Martyrum-In lucis ipso limine,-Quos saevus ensis messuit,-Ceu turbo nascentes rosas*. Quamvis enim Prudentius scripserit hanc stropham, qualis in Romano breviario legitur, recteque procedant omnes illius versus, praestat nihilominus ad suaviorem concentum elisiones secundi, et tertii versus effugere.

173. Hymnorum recentium breviarii Parisini plurium est auctor Santolius Victorinus indicatus litteris S. V., nonnullorum Guyetus, trium in die S. Genovefae Petavius. Ceteris praeponuntur litterae Auctores significantes, *C.* multis, aliis *B. et C.*, *N. T.*, *G. Ep. S.*, *B.*, *S. M.*, qui est frater Victorini, *H. Ep. Vab.*. Scripsisse etiam hymnos in Sanctos Ordinis S. Benedicti Hugonem Guilielmum Villant monachum Congregationis S. Mauri memoriae prodidit P. le Cerf in bibliotheca Maurina. Praeterea de studio antiquiori cleri Gallicani in reformandis hymnis plura habet Carolus Guyetus (1). Affirmat *quaest.* 1., quod hymni *haud retineri debent ex antiquis, multo minus novi ulli admitti, nisi probati, eoque stylo, et arte conditi, vel restituti, quibus non rugas, aut maculas, sed magis ornatum, et decorem divinis officiis afferant*.

174. *Quaest.* 2. laudat, tueturque correctionem Urbanianam, referens Aurelianensem ecclesiam in postrema breviarii sui editione, rejectis veteribus, hymnos novos suscepisse, residuosque proprios instauravisse. *Quaest.* 3. commemorat,

(1) Heortolog. sive de festis propriis lib. 3. cap. 5.

Urbani VIII. diligentiam imitatas fuisse ecclesiam Parisiensem admissis novis hymnis a D. Isaaco Hambert poetico lepore elaboratis, nec non Meldensem, et Andegavensem; plures recentiores hymnos mirifice probatos in proprio Canonicorum Regularium Congregationis S. Genovefae fuisse receptos. Idemmet Guyetus post Heortologiam libellum adjecit hoc titulo, *Hymni proprii variarum Galliae Ecclesiarum revocati ad carminis, et latinitatis leges*. In praefatione breviter refellit eos, qui pietatem praetexentes correctioni hymnorum repugnant, barbariemque defendunt; ostendit, usum contrarium facile tolli, cantumque apposite accommodari hymnis emendatis, praesertim ubi metrum antiqui hymni retinetur, ex quo fit, ut nulla varietas in cantu intercedat. Inter hymnos vere correctos exhibet alios novos, quos Episcopis petentibus condidit pro ecclesiis Corisopitensi, Trecorensi, et Dolensi *pagin.* 45. *et seqq.*. Pietas nota hominis non minus in hymnis, quam in ceteris ejus operibus eluget, verborum pariter nitor, et exacta carminis lex ubique perspicitur. Nec defuit in Gallia nostra aetate laudatus hymnographus, quippe Franciscus Oudin egregius poeta novem hymnos in honorem S. Francisci Xaverii publici juris fecit, aliosque plures in diversis Galliae breviariis immissos. Denique Meratius (1) auctoritate tum Theophili Raynaudi, tum praesertim Caroli Guyeti correctionem Urbanianam tuetur: „ Hanc Urbani „ correctionem, inquit, commendat pariter Carolus Guye- „ tus (2), et asserit, quod qui hanc emendationem respuunt, „ quibuscumque ducti rationibus, parum se Ecclesiae deco- „ rem diligere probant (*a*) „.

(1) Part.2.ad Gavan.sect.V.c.6.

(2) Lib.3. cap.5. q.2.

(*a*) His, qui novum hymnorum cultum veteri compositioni praetulerunt, addere possumus Paulum Piranum in *Dialogo querelarum italico-latinarum de causis corruptae latinitatis*. Romae 1669. *in* 8. *pag.* 262.. Correctio hymnorum omnino esset adhibenda, si audiretur Doctor Navarrus, qui *de orat. et hor. canonic. cap.* 19. *num.* 172. *et seqq.* pro consuetudine praelegendi in scholis hymnos,

§. XXX.

Recensentur hymni in breviario Romano existentes post correctionem Urbani VIII., eorumque auctores indagantur.

175. Quae omnia, ut evidentius pateant, catalogum attexam hymnorum, quibus utimur in breviario Romano, et eorum auctores, qui noti sunt, exponam; addamque initium, quod habebat hymnus, antequam emendaretur, ubi scilicet mutatum fuit principium. Ita facile cuivis erit, hymnos recentes cum antiquis in hymnariis, breviariisve ante Urbanum VIII. editis componere, et animadvertere, in recentibus majorem venustatem, et decorem, nec minorem pietatem adesse (*a*).

Ad regias Agni dapes. olim, Ad coenam Agni providi. Sabbato ad vesperas ante Dominicam in Albis.

176. „ *Aeterna caeli gloria*. Feria VI. ad laudes post Epiphaniam. In hymnario V. Card. Thomasii huic hymno praefigitur nomen S. Ambrosii.

et orationes vehementer pugnat, confirmans, *compositionem hymnorum veterum Ecclesiae valde sublimem esse, adeoque parum cedere odis* Horatianis, *quod ad latinitatem, et artem metricam attinet*. In quo sane fallitur, si de hymnis, quales suo tempore conspiciebantur, loquitur. Opinioni suae pondus adjicit auctoritate Ferdinandi Nuñez de Guzman, *Pinciani* appellatione vulgo cogniti, in graecis, latinisque auctoribus versatissimi, qui *tamquam haec expertus affirmabat expedire multum religioni Christianae hymnos, et orationes ad Grammaticorum scholas de more antiquo redire*. Rursus *cap.* 22. *num.* 93. de reducendis ad latinitatis scholas hymnis, et aliis spiritualibus decretum Concilii Lateranensis sub Leone X., exemplumque Jesuitarum in Hispania tunc humaniores litteras profitentium allegat.

(*a*) Duae virgulae „ praefixae indicant, S. Ambrosium haberi auctorem illius hymni; sed ut plurimum ex sola auctoritate Cornelii Sculth. *tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 6. *Biblioth.*, Radulphi *Propos.* 13., Dionysii Carthusiani, Clictovei, Michaelis, Timothei Joannis B. Rubei, aut ex breviariis antiquis, et manuscriptis. Major fides tribuenda est V. Card. Thomasio.

„ *Aeterna Christi munera*. In communi Apostolorum ad matutinum. Est S. Ambrosii in hymnario Card. Thomasii, et in illius operibus.

Aeterne Rector siderum. Die 2. Octobris ad laudes.

„ *Aeterne rerum conditor*. In Dominica ad laudes. S. Ambrosii ex V. Card. Thomasio. Hujus hymni initium refertur in regula S. Caesarii, de quo actum est num. 98.. Eum admittunt Maurini in operibus S. Ambrosii.

Aeterne Rex altissime. In Ascensione Domini ad matutinum. S. Gregorii esse dicitur in quibusdam breviariis.

Ales diei nuntius. Feria III. ad laudes. Auctor est Prudentius.

„ *Alto ex olympi vertice*. olim, Angularis fundamentum. In dedicatione Ecclesiae ad laudes. Rubeus *in Psalterium* S. Ambrosio tribuit hunc hymnum. Maurini editores inter S. Ambrosii hymnos huic nullum dant locum.

177. *Antra deserti teneris sub annis*. Die 24. Junii ad matutinum. Est pars Hymni, *Ut queant laxis* etc., quem vide.

A solis ortus cardine. In Nativitate Domini ad laudes. Hymnus Abecedarius Sedulii. Prima stropha hujus hymni legitur in alio hymno, qui S. Ambrosio tribuitur in hymnario V. Thomasii.

Athleta Christi nobilis. Die 18. Maji ad matutinum.

„ *Audi benigne Conditor*. Sabbato primo in Quadragesima ad vesperas. A Timotheo tribuitur Prudentio; sed extat inter hymnos S. Gregorii Magni post Antiphonarium in editione Maurina. *Ambrosianus* dicitur in hymnario Thomasii.

Audit tyrannus anxius. In festo SS. Innocentium ad matutinum. Prudentii.

Ave Maris stella. In officio B. Mariae in Sabbato ad vesperas. Franciscus Costerus apud Gavantum, aliique hujus hymni S. Bernardum auctorem dicunt. Repugnat Mabillonius in editione operum S. Bernardi (a), affirmans, in breviario Casinensi scripto tempore Oderisii Abbatis eo nomine primi,

(a) Tom. 5. praefat. ad Carmina.

qui vivere dessit anno 1115., haberi hunc ipsissimum hymnum.

„ *Aurora caelum purpurat*. olim, Aurora lucis rutilat. Dominica in Albis ad laudes.

„ *Aurora jam spargit polum*. Sabbato ad laudes.

178. *Beata nobis gaudia*. In Dominica Pentecostes ad laudes. Cornelius S. Hilario hunc hymnum tribuit, cui favent Cassander, et Fabricius.

Beate Pastor Petre, clemens accipe. olim, Jam bone Pastor Petre, clemens accipe. Die 18. Januarii ad laudes.

Caelestis agni nuptias. Die 19. Junii ad vesperas (*a*).

„ *Caelestis Urbs Jerusalem*. olim, Urbs Jerusalem beata. In dedicatione Ecclesiae ad vesperas. Vide hymnum, *Alto ex olympi vertice*, qui est pars hujus.

„ *Caeli Deus sanctissime*. Feria IV. ad vesperas. S. Ambrosii ex V. Thomasio.

Caelitum Joseph decus, atque nostrae. Die 19. Martii ad matutinum. Hic hymnus, uti alii ejusdem diei in honorem S. Josephi additi sunt auctoritate S. Congregationis, instante Ven. Dei serva Clara Maria de Passione e nobilissima Columnensium familia, ut ait Benedictus XIV. (1), qui asserit, Clementem XI. S. Josephi officium auxisse (*b*).

Christe sanctorum decus Angelorum. Die 8. Maji ad laudes. In hymnario V. Card. Thomasii tribuitur Rhabano Mauro.

Christo profusum sanguinem: olim, Aeterna Christi munera. In

(*a*) Hymnus S. Julianae de Falconeriis ex officiis Servorum Mariae. In eo versus, *Sed crescit infusa fletu* peccat quarto loco, ubi iambum non habet; tertio loco trochaeum male admittit, nisi velis, auctorem produxisse *a* in *infusa*, quia verbum sequens *fletu* duplici consonante inchoatur.

(1) De Serv. Dei Beatif. lib. 4. part. 2. cap. 20. num. 20.

(*b*) Idem narrat auctor vitae Clementis XI. in limine Bullarii hujus Pontificis: sed de hymnis nominatim nihil asseritur, quos in breviario Romano circa annum 1674., aut ante fuisse immisos habeo exploratum. Quod in 4. stropha hymni ad laudes *A* in *Flagitemus* corripiatur, non omnibus, opinor, placebit.

In communi plurimorum Martyrum ad matutinum. S. Gregorii ex Timotheo, S.Ambrosii ex ejus operibus; est enim pars hymni: Aeterna Christi munera, quem vide.

„ *Consors paterni luminis*. Feria III. ad matutinum. S.Ambrosii ex Hincmaro, et hymnario V. Card. Thomasii, eum recipiunt Maurini.

Corpus domas jejuniis. Die 20. Octobris in festo S. Jo: Cantii ad matutinum. Pars hymni: *Gentis Polonae gloria*, quem vide.

„ *Creator alme siderum*. olim, Conditor alme siderum. Sabbato ante Dominicam primam Adventus ad vesperas. S. Ambrosii ex V. Thomasio.

Crudelis Herodes Deum. olim, Hostis Herodes impie. In Epiphania Domini ad vesperas. Sedulii (*a*).

179. *Custodes hominum psallimus Angelos*. Die 2. Octobris ad vesperas. Qui factum fuisse credam, ut in breviario Cluniacensi *anni* 1686. hic hymnus venustissimus inter ceteros

(*a*) Erasmus primum hujus hymni versum aliter, neque inepte, restitui volebat. Ejus verba dabo ex *Colloquio Convivii Poetici*. „ „ *Crato*. Scis, Hilari, quid provinciae te vellem suscipere? *Hilarius*, Sciam, si dixeris. *Cr.* „ Chorus canit hymnos quosdam „ *non indoctos*, *sed per indoctos*, „ *multis locis depravatos*: eos cuperem tua opera nobis restitui. Ut „ autem exemplum proferam, ita „ canimus: *Hostis Herodes impie*- „ *Regem venire quid times?* Ordo „ dictionis unius inversus geminum „ vitium invexit carmini. Nam *hostis* „ cum trochaeum efficiat, nullum „ habet locum in carmine iambico: „ et *hero* spondaeus non recipitur „ secunda sede. Nec dubium est, „ quin versus ita primum scriptus „ sit: *Herodes hostis impie*. Jam Epithetum *impie* mollius cohaeret „ cum *hostis*, quam cum *Herodes*. „ Porro quoniam *Herodes* dictio „ graeca est, „ vertitur in in casu vocandi, ut Σωκράτης, ὦ „ Σώκρατες etc.. *Hi*: Istius generis „ et ipse permulta offendi, nec pigebit olim huic rei aliquot dierum opellam dare. Nam mihi „ videtur Ambrosius in hoc carmine non parum habere gratiae: adeo „ fere finit metrum dictione trisyllaba, et caesuram fere collocat „ in fine dictionis. Id crebrius apud „ eum fit, quam ut casus videri „ possit. Si quaeritis exemplum: „ *Deus creator*: hic est Penthemimeris, accinitur, *omnium*: *Polique rector*; accinitur, *vestiens*; „ *Diem decoro*, accinitur, *lumine* „.

Joannis Baptistae Santevil annumeretur, praefixis litteris *S. V.*? Atqui *anno* 1608. auctoritate Pauli V. in breviario Romano insertus est, ut tradit Gavantus (1) commemorans, eum hymnum, ac paucos alios in correctione Urbaniana intactos fuisse relictos, quod emendatione non indigerent. Santolius autem Victorinus primam lucem vidit *anno* 1631..
Decora lux aeternitatis, *auream*. olim, Aurea luce, et decore roseo. Die 29. Junii ad vesperas. Elpidi uxori Boetii in V. Card. Thomasii hymnario, atque alibi passim adscribitur. Tiraboschius (2) affirmat, de Elpide uxore Boetii neminem fuisse locutum nisi mille fere annos post Boetium, atque adeo nullo fundamento id asseri existimat. Fuisse autem aliquam Elpidem, quae hymnos in honorem SS. Apostolorum Petri, et Pauli confecerit, auctoritate Card. Thomasii permotus inclinat, ut credat.

180. „ *Deus tuorum Militum*. In communi unius Martyris ad vesperas. Timotheus S. Gregorio tribuit, hymnarium V. Card. Thomasii S. Ambrosio; eumque inter ceteros hymnos S. Ambrosii editores Maurini referunt.
Domare cordis impetus Elisabeth. Die 8. Julii ad vesperas. Auctor est Urbanus VIII., extatque hic hymnus inter cetera ejus poemata Romae eo vivente edita, et Thadaeo Barberino Principi Praenestinorum dicata.
Dum nocte pulsa Lucifer. Die 18. Maji ad laudes.
Ecce jam noctis tenuatur umbra. Dominica post Pentecostes octavam ad laudes. S. Gregorii Magni, ut apparet ex hymnario Card. Thomasii, et ex operibus ejusdem S. Gregorii post Antiphonarium in editione Maurinorum.
Egregie Doctor Paule, *mores instrue*. olim, Doctor egregie Paule, mores instrue, Die 25. Januarii ad vesperas: tribuitur Elpidi, de qua vide hymnum = *Decora lux*..
„ *En clara lux redarguit*. olim, Vox clara ecce intonat. Dominica prima Adventus ad laudes.

(1) Rubr. Brev. Rom. Sect. 5. cap. 6. part. 2.

(2) Histor. litterar. Italiae t. 3. lib. 1. cap. 4. num. 8.

„*Ex more docti mystico*. Dominica prima Quadragesimae ad matutinum: S. Ambrosii ex hymnario V. Card. Thomasii.

Exultet orbis gaudiis. olim, Exultet caelum laudibus. In communi Apostolorum ad vesperas.

181. *Fortem virili pectore*. In communi nec Virginis, nec Martyris ad vesperas. Silvii Antoniani Presbyteri Cardinalis ex Gavanto, et hymnario Card. Thomasii.

Gentis Polonae Gloria. Die 20. Octobris in festo S. Joannis Cantii ad vesperas (*a*).

Haec est dies, qua candidae. Die 15. Octobris ad matutinum. Auctor est Urbanus VIII., inter cujus poemata reperitur.

„*Hominis superne conditor*. olim, Plasmator hominis Deus: feria VI. ad vesperas. S. Ambrosii nomen huic hymno praemittitur in hymnario V. Card. Thomasii; S. Gregorio tribuunt quaedam breviaria, non vero editio ejus operum.

Hujus oratu Deus alme nobis. olim, Hujus obtentu Deus alme nobis. In communi non Virginum ad matutinum: pars hymni: *Virginis proles, opifexque Matris*.

„*Jam Christus astra ascenderat*. Dominica Pentecostes ad matutinum. S. Gregorii ex Cornelio, S. Ambrosio adscribit Thomasius.

„*Jam lucis orto sidere*. Ad primam. S. Ambrosii ex V. Card. Thomasio.

„*Jam sol recedit igneus*. olim, O lux beata Trinitas. Sabbato ad vesperas, et in festo SS. Trinitatis ad vesperas. Gavantus ait, esse Alcuini ex Cornelio, S. Gregorii ex Timotheo. Abest ab operibus S. Gregorii. Hincmarus S. Ambrosium auctorem dicit, cui potius fides est praestanda, licet in hymnariis Ms. Card. Thomasii sine nomine proferatur: consentiunt Maurini.

(*a*) Non multis abhinc annis hymni S. Joannis Cantii in breviario Romano comparuerunt; mirorque vehementer, cur peccata metri non fuerint sublata in his versibus.

Legem *nitamur* exequi.
Redemptionis *pretium*.
Esca *potuque* sublevas.
Sacratas morti Victimas.
Ejus *rapis* e faucibus.
Te deprecante, *tumido*.
Respondens votis supplicum.

182. „*Jesu corona celsior*. In communi Cofessoris non Pontificis, ad laudes. S. Ambrosii ex hymnatio V. Card. Thomasii.

„*Jesu corona virginum*. In communi Virginum ad vesperas. S. Gregorii ex Timotheo, S Ambrosii ex V. Thomasio (*a*).

Jesu decus Angelicum. In festo SS. Nominis Jesu ad laudes: pars hymni rhythmici sequentis.

Jesu dulcis memoria. In festo SS. Nominis Jesu ad vesperas. Plurimi hunc hymnum S. Bernardo adscribunt, repugnante Mabillonio (1), qui existimat, S. Doctorem nec rhythmycos, nec metricos versus unquam composuisse. Praeterea hic hymnus rhythmicus de Nomine Jesu in quodam Codice Vallis Cernai Ordinis Cisterciensis inscribitur: *Meditatio cujusdam Virginis de Amore Christi* (*b*).

(*a*) Bartholomaeus Leonardus Argensola poeta Hispanus praestantissimus, cui par solus ejus frater Lupercius censebatur, pulchram hujus hymni versionem metro hispano habet *pag.* 361. *edit. Caesaraug.* 1634., *Jesus corona del Virgineo Coro*. Idem hymnum, *Ad perennis vitae fontem* S. Petri Damiani versibus Hispanis reddidit *pag.*349., pluresque psalmos praeterea aliis in locis operum.

(1) Tom. 5. oper. S. Bern. in praefat ad versus.

(*b*) Officium SS. Nominis Jesu a S. Bernardino Senensi fuisse compositum passim traditur. Et fortasse aliquod officium ille confecerit. Sed in breviario Romano *de camera* inscripto *Venetiis* 1550. *apud Juntas in fol.* lego officium, quo nunc utimur, cum rhythmo, *Jesu dulcis memoria*, et hoc titulo. *Officium sacratissimi Nominis Jesu a Fratre Bernardino de Bustis Ord. Min. compositum, et a Sixto IV. Summo Pontifice approbatum, et nuper supplicatione Fr. Bonaventurae Dubiem Ord. Min. a Clemente VII. confirmatum etc.*. Benedictus XIV. *de Beatif. lib.*4. *p.*2. *cap.* 31. *num.* 7., *et de Fest. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 9. *et seq.* rem paulo aliter narrat, nimirum Bernardinum de Bustis officium a se compositum Sixto IV., et Innocentio VIII. obtulisse, neque ab eis quidquam impetrasse, ac tandem Clementem VII. ejus postulationi subscripsisse. Jam rhythmum ipsum: *Jesu dulcis memoria*, eidem Bernardino de Bustis ego referam acceptum, nisi certiores tabulae proferantur, quibus opinio contraria corroboretur. Ex Bernardini nomine inductus fortassis est error, ut rhythmus S. Bernardo, et totum officium S. Bernardino Senensi attribueretur. Cle-

„ *Jesu Redemptor omnium*, - *Perpes*. In communi Confessoris Pontificis ad laudes.

Jesu Redemptor omnium - *Quem*. olim, Christe Redemptor omnium - Ex Patre. In Nativitate Domini ad vesperas.

Jesu Rex admirabilis. In festo SS. Nominis Jesu ad matutinum. Pars hymni: *Jesu dulcis memoria*.

„ *Immense caeli conditor*. Feria secunda ad vesperas. S. Ambrosii ex Thomasio.

Invicte Martyr, unicum. olim, Martyr Dei, qui unicum. In communi unius Martyris ad laudes.

Iste Confessor Domini, colentes. olim, Iste confessor Domini sacratus. In communi Confessoris Pontificis, et non Pontificis ad vesperas.

Iste, quem laeti colimus fideles. Die 19. Martii ad laudes. Hymnus S. Josephi, cujus vide alterum hymnum: *Caelitum Joseph*.

„ *Lucis creator optime*. Dominica ad vesperas. Hymnarium V. Card. Thomasii praefert nomen S. Ambrosii; sed hymnus est S. Gregorii ex ejus operibus.

„ *Lustra sex qui jam peregit*. olim, Lustris sex qui jam peractis. Dominica Passionis ad laudes (*a*).

mens VII. primus fuit, qui hoc officium recitari a Franciscanis concessit Litteris Apostolicis Bononiae datis 25. *Feb.* 1530., quibus affirmat, officium approbatum fuisse a Sixto IV., sed nullum de SS. Nomine Jesu festum antea fuisse celebratum. Nunc officium est recognitum ad regulas breviarii reformati.

(*a*) Apud Timotheum Jacobus de Valentia hunc hymnum S. Ambrosio adscribit *in commentario Psalmi 95.*. Verum Jacobus Perez de Valentia *in psalmum 95. fol. 286. edit. Venet.* 1526. non de hoc hymno loquitur, sed de altero illo, *Vexilla Regis prodeunt*. Sic enim habet; „ Et idem Ambrosius secutus litteram Originis dicit in hymno Passionis: *Impleta sunt quae concinit - David fideli carmine - Dicens in Nationibus - Regnavit a ligno Deus*„. Quae est stropha hymni iambici dimetri, *Vexilla Regis prodeunt*. Hymnus trochaicus, *Lustra sex qui jam peregit*, est ejusdem auctoris, ac, *Pange lingua* etc.. Errorem Michaelis Timothei *p. 263. edit. Rom.* 1602. ad marginem hymni, *Lustra sex qui jam peregit*, sive, *Lustris sex qui jam peractis*

Lux alma Jesu mentium. olim, Amor Jesu dulcissime. Die 6. Augusti ad laudes: S. Bernardi ex Timotheo.

183. *Lux ecce surgit aurea*. Feria V. ad laudes. Prudentii Hymnus matutinus,

„ *Magne Deus potentiae*. Fer. V. ad vesperas. In hymnario V. Card. Thomasii asseritur auctor S. Ambrosius.

„ *Maria castis osculis* olim, Nardi Maria Pistici. Die 21. Julii ad matutinum pars hymni Ordinis Romani in Benedictione Palmarum; Rubeus illum S. Gregorio adjudicat, V. Thomasius S. Ambrosio.

Martinae celebri plaudite nomini. Die 30. Januarii ad vesperas. Auctor est Urbanus VIII.

Martyr Dei Venantius. Die 18. Maji ad vesperas. Hujus hymni peccat ille versus, *Irae, famisque immemores*, qui loco tertio trochaeum recipit.

Memento rerum conditor. olim, Memento salutis auctor. In officio parvo B. Mariae Virginis ad completorium: pars hymni in Nativitate Domini ad vesperas, *Jesu Redemptor omnium*.

Miris modis repente liber ferrea. olim, Petrus beatus catenarum laqueos. Die prima Augusti ad vesp. Elpidi tribuitur, quemadmodum, *Decora lux*, de quo supra. Hymnarium V. Card. Thomasii S. Paulini nomen huic hymno praemittit.

184. *Nocte surgentes vigilemus omnes*. In Dominica ab octava Pentecostes ad matutinum. S. Gregorii ex ejus operibus, et hymnario Card. Thomasii.

Non illam crucians ungula, non ferae. In festo S. Martinae ad matutinum. Pars hymni: *Martinae celebri*.

„ *Nox atra rerum contegit*. Feria V. ad matutinum. S. Ambrosii ex hymnario Card. Thomasii.

Nox, et tenebrae, et nubila. Feria IV. ad laudes. Auctor est Prudentius, ut in ejus operibus cernitur. Ricciolius hunc

multi alii transcripserunt. Jacobum Perez de Valentia Editores Veneti anni 1526. saepe appellant *Perem*, qui error in aliis editionibus correctus est, in quibus Jacobus *Perez* clare dicitur,

hymnum excribit *Part.*3. *Prosod. Bonon. cap.* 5. *Reg.* 2., et in exemplum elegantiae adducit; errat tamen, quod Boetii eum esse dicit.

Nullis te Genitor blanditiis trahit. Die 13. Aprilis ad matutinum. Urbani VIII. ex ejus operibus.

„ *Nunc sancte nobis Spiritus*. Ad tertiam. Hincmarus, et hymnarium Ven. Thomasii S. Ambrosio hunc hymnum tribuunt. Editores congregationis S. Mauri repugnant levissima ratione permoti, quod alius sit S. Ambrosii hymnus pro *hora tertia*, quasi hic hymnus necessario olim *hora tertia* esset cantandus, aut non potuerit S. Ambrosius duos hymnos pro *eadem hora* conficere.

O Gloriosa virginum. olim, O Gloriosa Domina. In officio parvo B. Mariae Virginis ad laudes. Cornelius Fortunato adjudicat.

O nimis felix, meritique celsi. Die 24. Junii ad laudes; pars hymni, *Ut queant laxis*.

O sol salutis intimis. olim, Jam Christe sol justitiae. Dominica in quadragesima ad laudes.

O sola magnarum urbium. In Epiphania Domini ad laudes. Pars est hymni Prudentii.

Opes, decusque regium reliqueras. Die 8. Julii ad laudes. Auctor est Urbanus VIII. ex ejus operibus.

Pange lingua gloriosi - Corporis. In festo SS. Corporis Christi ad vesperas. Auctor S. Thomas.

185. *Pange lingua gloriosi - Lauream*. Dominica Passionis ad matutinum (*a*).

(*a*) Venantius Fortunatus a pluribus auctor hujus hymni habetur, cujus inter opera extat. Id tenet Albinus, sive Alchuvinus in *Officiis per ferias*. Adhaeret hymnarium Card. Thomasii. Contra Claudiano Mamerco Presbytero Viennensi adscribit Savaro interpretans hoc hymno verba Sidonii Apollinaris Arvernorum Episcopi ad Claudianum Mamercum scribentis *lib.*4. *epist.*3. *De hymno tuo si percontere, quid sentiam, commaticus est, copiosus, dulcis, elatus, et quoslibet lyricos dithyrambos amoenitate poetica, et historica veritate supereminet*. Ita etiam judicat Sirmondus ad *hanc Epist. Sido-*

Paschale mundo gaudium. olim, Claro paschali gaudio. In communi Apostolorum tempore paschali ad laudes. Est pars hymni, *Tristes erant Apostoli*.

186. *Pater superni luminis*. Die 22. Julii ad vesperas. Auctor est Card. Bellarminus ex Gavanto, et elogiis virorum illustrium Florentinorum (*a*). In breviario Piano legebatur alius hymnus, cujus erat initium, *Lauda mater ecclesia*, qui in hymnario C. Thomasii auctorem habet Odonem II. Abbatem Cluniacensem ex ejus operibus.

Placare Christe servulis. olim, Christe Redemptor omnium Conserva etc. In festo omnium Sanctorum ad vesperas.

Primo die, quo Trinitas. olim, Primo dierum omnium. Dominica post Epiphaniam ad matutinum. S. Gregorii in editione scilicet Maurinorum. *Quem*

nii addens, stylum hujus hymni cultiorem esse, quam Fortunati esse soleat. Mamerco pariter adjudicatur a vetere Scholiaste, et a codice Gennadii in Coenobio S. Michaelis de Tumba vulgatis auctiori. Consentiunt Caveus, et Placcius *de libris Anonymis num.* 1637. Claudianum Edicium *Mamertum* auctorem appellans. Eum lectiones, responsoria, hymnos, psalmos in Ecclesia concinendos ordinasse colligitur ex naenia Sidonii Apollinaris, qui Claudianum amicum laudans, ait:

Hic solemnibus annuis paravit,
Quae quo tempore lecta convenirent.

Postremo S. Hilarium auctorem esse hymnorum de Cruce inepte conjicit Erasmus, quem refellit Oudinus *de Script. ecclesias. tom.* 1. *col.* 453. *edit. Lips. an.* 1722.. Erasmus *Epist.* 8. *Lib.* 28. solum ait, S. Hilarii *fortasse* esse hymnos, *Crux fidelis* et, *Ut queant laxis*.

(*a*) Daniel Bartoli *lib.* 3. *cap.* 16. *vitae Card. Bellarmini* refert., Clementem VIII. Cardinali Silvio Antoniano, qui propter facultatis poeticae famam audiebat *il Poetino*, et V. Bellarmino simul negotium dedisse, ut hymnos in laudem S. Mariae Magdalenae quisque suum conficerent, et certi auctoris ignarum praetulisse hymnum Bellarmini, *Pater superni luminis*. Non explicat Historicus, quanti ponderis in hoc genere esse debeat judicium Clementis VIII.; quamquam hymnus Bellarmini commendatione non indiget. Non omisit autem rationem, et modum, quo Clemens hymnos dijudicavit: *copiati*, inquit, *da una medesima terza mano per giudicar dell'opera senza saper dell'Autore antipose all'altro quello del Bellarmino*. Confer tamen Stephanum Fuligatti *Cap.* 3. *Vitae Bellarmini*.

Quem terra, pontus, sidera. olim, Quem terra, pontus, aethera. In officio B. Mariae Virginis in Sabbato ad matutinum. Cornelius auctorem vult esse Fortunatum; Timotheus S. Gregorium. Primum magis probatur, favetque V. Thomasius.
Quicumque Christum quaeritis. In festo Transfigurationis ad vesperas: hymnus est Prudentii, nota marginis Timothei perperam eum tribuit S. Bernardo: quae propterea in alia editione omissa est. Guyetus in Hymnis a se correctis post Heortologiam fatetur, duos hymnos breviarii Romani ad hanc diem praestare quibusdam aliis in Gallia ad eamdem diem usitatis.
Quodcumque in orbe nexibus revinxeris. olim, Quodcumque vinclis super terram. Die 18. Januarii ad vesperas. Elipidis dicitur esse, uti, *Decora lux* etc.. Est pars hymni, *Miris modis*, quem vide.
„ *Rector potens, verax Deus*. Ad sextam. S. Ambrosii ex V. Card. Thomasio.
Regali solio fortis Iberiae. Die 13. Aprilis ad vesperas. Auctor Urbanus VIII. ex ejus carminibus. Falsum quippe est, quod affirmat Grancolas *Comment. Histor. in Brev.*, Urbano VIII. tribui solere *dumtaxat* hymnos S. Bibianae, S. Martinae, et S. Elisabeth Lusitanicae.
Regis superni nuntia. Die 15. Octobris ad vesperas. Urbani VIII. ex ejus operibus.
„ *Rerum creator optime*. Feria IV. ad matutinum. S. Ambrosii in hymnario V. Card. Thomasii.
„ *Rerum Deus, tenax vigor*. Ad nonam. S. Ambrosii ex V. Card. Thomasio.
Rex gloriose martyrum. In communi plurimorum Martyrum ad laudes. S. Gregorii ex Timotheo.
Rex sempiterne caelitum. olim, Rex sempiterne Domine. Dominica ad matutinum tempore paschali. In regula S. Caesariae praescribitur inter alios hymnus, *Rex aeterne Domine*, qui est hic ipse; extat quoque in regula S. Aureliani Arelatensis ad Virgines.
187. *Sacris solemniis juncta sint gaudia*. In festo SS. Cor-

poris Christi ad matutinum. S. Thomae. Vide Bullarium Dominic. tom. 3. pag. 555.
Salvete flores Martyrum. In festo Ss. Innocentium ad laudes; ex hymnis Prudentii.
Salutis aeternae dator. olim, Jesu Salvator seculi. In festo SS. omnium ad laudes.
„ *Salutis humanae sator*. olim, Jesu nostra redemptio. In Ascensione Domini ad vesperas. S. Ambrosii ex Thomasio.
Sancta Mater istud agas. In officio Septem dolorum B. Mariae Virginis ad matutinum. Pars hymni rhythmici, *Stabat Mater dolorosa*, de quo infra.
Sanctorum meritis inclyta gaudia. In communi plur. Mart. ad vesperas. Prodiit hic hymnus in lucem, cum floreret Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, qui versum primum ultimae strophae: *Te trina Deitas, unaque poscimus* acri animo impugnavit, hymnique auctorem sibi ignotum dicit esse, sed recentem.
188. „ *Somno refectis artubus*. Feria II. ad matutinum. S. Ambrosii ex Hincmaro, et V. Thomasio; reperitur in editione Maurinorum.
„ *Splendor paternae gloriae*. Feria II. ad laudes. S. Ambrosii ex ejus operibus. Regula Aureliani Arelatensis inter alios hunc hymnum memorat.
Stabat Mater dolorosa. In officio septem dolorum B. M. Virginis feria VI. post Dominicam Passionis ad vesperas. B. Jacoponi, sive Innocentii III., ut mavult Benedictus XIV. *de festis lib. 2. cap. 4.*
„ *Summae Parens clementiae*. olim, Summae Deus clementiae. In sabbato ad matutinum. S. Ambrosii ex Hincmaro, et hymnario Thomasiano. Hymnus ad matutinum in festo SS. Trinitatis constat ex prima stropha hujus hymni Sabbati ad matutinum, et ex secunda stropha hymni feriae VI. ad laudes.
Summi Parentis unice. olim, Aeterne Patris unice. Die 22. Julii ad laudes.
Te deprecante, corporum. Die 20. Octobris in festo S. Joannis Cantii ad laudes. Pars hymni *Gentis Polonae gloria*, de quo ante dixi.

Te Joseph celebrent agmina caelitum. Die 19. Martii ad vesperas. Consule dicta in hymno: *Caelitum Joseph*.

Te lucis ante terminum. Ad completorium. S. Gregorii apud Gregorium Valentianum.

„ *Telluris alme conditor*. olim, Telluris ingens conditor. Feria III. ad vesperas, S. Ambrosii ex V. Card. Thomasio.

Te splendor et virtus Patris. olim, Tibi Christe splendor Patris. Die 8. Maji ad vesperas. Olim erat carmen trochaicum; nescio, cur Romani correctores metrum mutarunt.

189. *Tristes erant Apostoli*. In communi Apostolorum tempore paschali ad vesperas.

Tu natale solum protege, tu bonae. Die 30. Januarii ad laudes, pars hymni: *Martinae celebri*, Urbani VIII..

Tu Trinitatis unitas. Feria VI. ad matutinum. Prima stropha eadem est in festo SS. Trinitatis ad laudes. Hincmarus hunc hymnum adscribit S. Ambrosio *in lib. de non trina Deitate*; consentitque hymnarium Card. Thomasii. Deest in editione Maurinorum.

„ *Veni Creator Spiritus*. In festo Pentecostes ad vesperas. S. Ambrosii hunc hymnum esse negant ejus operum editores Maurini; neque in hymnariis Card. Thomasii illi tribuitur. Dicitur esse Caroli Imperatoris in vita B. Notkeri (1).

Verbum supernum prodiens - E Patris. Dominica prima Adventus ad matutinum. Timotheus auctorem hujus hymni vult esse S. Thomam deceptus simili principio hymni sequentis.

Verbum supernum prodiens, - Nec Patris. In festo SS. Corporis Christi. Hymnos hujus festi, totumque officium composuit S. Thomas. Hic canitur ad laudes.

„ *Vexilla Regis prodeunt*. Dominica Passionis ad vesperas. Theodulpho, seu Theodulo hunc hymnum tribuit Benzonius apud Gavantum, Sedulio alii, Fortunato Baronius ad annum 566. n. 35., et Thomasius (*a*).

(1) Bolland. t.1. Aprilis p.587.

(*a*) Non aequo animo fert Binghamus *Antiq. Eccles. lib.14. cap. 2. §. 9.*, tantam vetustatem huic

Virginis proles, opifexque Matris. In communi Virginum ad matutinum.

Virgo Virginum praeclara. In officio septem dolorum B. M. Virginis ad laudes. Pars est prosae, *Stabat Mater dolorosa*, de qua supra.

190. *Ut queant laxis resonare fibris*. Die 24. Junii ad vesperas. Asseruerunt aliqui, Paulum Diaconum in prima stropha collegisse sex notas musicas *ut, re, mi, fa, sol, la*, ex *ut, resonare, mira, famuli, solve, labii* desumptis primis litteris. Sed hae notae musicae inventae sunt a Guidone Aretino seculo XI., qui eas huic hymno accommodare coepit, ex eoque nomen indidit litteras initiales usurpans. De inventis musicis hujus monachi diligenter disputat Tiraboschius (1). Cl. Stephanus Arteaga in suo opere de theatro musico Italico *tom.* 1. *cap.* 3. plura inventa Guidoni vulgo tribui, quae revera ejus non sunt, testatur, et in his Gamma, sive scalam cum notis: *ut, re, mi, fa, sol, la ... mà per testimonianza del medesimo Guidone siffatto metodo era stato di già inventato a suoi tempi*. Sed si Guidonis testimonio standum est, multa eum sibi arrogare non est dubium, quamvis qualia ea fuerint, non satis liqueat. In epistola ad Michaelem monachum Pomposiae, ubi

hymno concedi, quia SS. Crucis adoratio eo continetur; quae est lepida ratio judicandi scripta veterum, respuere, quae opinionibus praejudicatis opponuntur. Quid tamen isthuc Binghamo proderit? Siquidem Venantius ipse Fortunatus alia carmina habet adorationem Crucis persuadentia. Eo autem vero similius Fortunatus auctor ejus hymni est censendus, quia cura, ac diligentia S. Radegundis Reginae, quam suis carminibus passim celebrat, Lignum SS. Crucis ex oriente tunc erat allatum, et maxima pompa in urbe Pictavorum publicae venerationi expositum. *Baron. loc. cit.* In operibus Venantii haec sunt in laudem Crucis carmina *Lib.* 2. Primum, *Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit*. Secundum, *Pange lingua gloriosi praelium certaminis*. Tertium, *Virtus celsa Crucis totum rite occupat orbem*. Quartum, *Vexilla Regis prodeunt*. Antiquior erit hic hymnus, si ejus auctor sit S. Ambrosius, quod putabat Jacobus Perez de Valentia in *Psalmum* 95. Vide supra *n.* 182.

(1) Tom. 3. histor. litter. lib. 4. cap. 5. num. 14.

se comparat artifici, qui vitrum flexibile reddiderat: „ Nam „ si illi, ait, pro suis apud Dominum devotissime interce- „ dunt magistris, qui hactenus ab eis vix decennio cantandi „ imperfectam scientiam consequi potuerunt, quid putas no- „ bis pro nostris adjutoribus fiet, qui annali spatio, aut si „ multum biennio perfectum cantorem efficimus . . . Interim „ tibi de inveniendo ignoto cantu optimum dirigo argumen- „ tum, nuper nobis a Domino datum, et utilissimum com- „ probatum „. Et in altera epistola, qua Theodaldo Areti- no Episcopo suum Micrologum mittit: „ Offero solertissimae „ paternitati tuae musicae artis regulas, quanto lucidius, et „ brevius potui, explicatas, philosophorum neque eadem via „ ad plenum, neque eorum insistendo vestigiis „. Et ibidem inventum suum caelo acceptum refert: „ Coepi jure cogitare „ aliam Musicam Pueris tradere. Tandem affuit divina gra- „ tia; et quidam eorum imitatione cordae (sic) et nostrarum „ notarum usu exercitati ante unius mensis spatium versus, „ et inauditos cantus primo intuitu indubitanter canta- bant „. Sigebertus, qui eodem seculo floruit, aliquanto cla- rius loquitur (1). *Guido Aretinus monachus post omnes pene Mu- sicos in Ecclesia claruit, in hoc prioribus praeferendus, quod ignotos cantus etiam pueri, et puellae facilius discant, et do- ceantur per ejus regulam, quam per vocem Magistri, aut per visum* (aliter *usum*) *alicujus instrumenti, dummodo sex litteris, vel syllabis modulatim appositis ad sex voces, quas sola Musica recipit, hisque vocibus per flexuras digitorum laevae manus di- stinctae per integrum diapason se oculis, et auribus ingerunt intentae, et remissae elevationes, vel dispositiones earumdem vocum*. His objicit Arteaga Guidonis verba ex Micrologo: *Notae autem in Monachordio hae sunt. In primis* Γ *Graecum a modernis adjunctum*. Non declarat tamen, an ipsemet Mi- crologum legerit, an ab alio scriptore hunc locum fuerit mu- tuatus; nam liber Micrologus hactenus ineditus est, et in

(1) De scriptor. Eccles. cap. 144.

paucis Bibliothecis latet. Praeterea non adeo sunt ea verba clara, ut ex eis inventum Guidonis fuisse negetur usus, qualis nunc viget, sex notarum musicarum, et appellatio earumdem ex hymno S. Joannis Baptistae. Isaacus Vossius (1) Aegyptios, aliosque Barbaros ante Guidonem eadem ratione musicam docuisse tradit; sed loca auctorum, quae pro sua opinione producit, multo sunt incertiora, et obscuriora, quam quae de Guidone proferuntur. Invidia certe, et odium, quo ceteri monachi Guidonem persecuti sunt, argumentum non leve est, eum inter reliquos longe excelluisse, sive musicam veterem aliqua ex parte restituerit, sive novam prorsus invenerit. Sex autem ejus notis musicis septimam adjecit Erycus Puteanus (2), nomenque ex eodem S. Joannis hymno imposuit *Bi* ex *labii reatum*, quae aliquoties mutatur in *Ci*. Ex quo solertissimus Newtonus numerum diversarum notarum musicarum numero colorum distinctorum aequalem esse observavit, mutuamque proportionem invenit (a). Paulo

(1) Lib. de poemat., cantu, et viribus rhythmi.

(2) Musathena pag. 34.

(a) Novitates in re musica a Guidone invectas Caramueli displicuisse vel ex ipso titulo hujus libri compertum est: *Arte nueva de musica inventada año de 600. por S. Gregorio el Grande, Monje de N. P. S. Benito, y despues Pontifice Maximo, desconcertada año de 1022. por Guidon Aretino, Religioso de la misma Orden, y Musico excelente en su tiempo, restituida a su primera perfeccion año de 1610. por Fray Pedro de Ureña, Monje Cisterciense, hijo de nuestro Real Monasterio de la Espina, reducida a este breve Compendio año de 1644. por J. C. Religioso del mismo Monasterio. Romae apud Fabium de Falco 1669. in* 4. De hac nova Arte, Caramuelisque Compendio musices periti judicabunt. Cl. Arteaga (*Rivoluzioni del Teatro cap. 4. p. 162. tom. 1.*) philosophico quodam nostri seculi more, ac licentia non leviter in hoc argumento errat. Petrum de Ureña *anno* 1520. in Italia vixisse, notam septimam prioribus sex adjecisse affirmat. Atqui Petrus ille de Ureña Caramuelis in musica magister *anno* 1610. novam suam Artem condidit, cum jam anno 1602. Hanoviae typis Wechelianis prodiisset Eryci Puteani *Musathena: sive notarum Heptas ad harmonicae lectionis novum, et facilem usum*. Quod opus anno 1599. Vincentio Pinello video dicatum; in quo Puteanus *cap. 1.* : *Com-*

Diacono antiquiorem esse S. Joannis hymnum suspicatur Erasmus, qui auctorem illius S. Hilarium fuisse conjicit; sed nulla satis idonea conjecturae ratione. Videsis Oudin. *de Scriptor. Eccles. secul.* 4. *Tom.* 1. *col.* 453. Paciaudus quoque *Dissert.* 4. *cap.* 6. *de cultu S. Joan. Bap.* refellit Canisium, qui *commentar. de Verbi Dei corruptelis lib.* 1. *de Puero Joanne* opinionem Erasmi fuerat amplexus. Sed nescio, cur vir doctus *Abbatem* vocaverit Guidonem Aretinum; nec causam ullam

pono, inquit, *Musathenam*, *septem notarum novum facilemque usum edocturus*: et cap. 18. *Glorior novam hanc viam aperuisse.* Quodsi cl. Arteaga Caramuelem legisset, qui inter sua opera *Compendium* ejus Artis recenset, (quod veluti *divinabat* Arteaga) aut saltem Nicolaum Antonium *in verbo*, *Petrus Ureña*, non adeo ignotum hunc hominem existimasset: „ In re „ musica, inquit Antonius, usque „ eo profecit, ut *rejectis Guidonis* „ *Aretini notis*, quas ingeniorum „ crucem existimabat, ad simpli- „ ciorem et faciliorem methodum „ eam doctrinam reduxerit, quae „ in Coenobiis Cisterciensibus His- „ paniae hodie in usu est. Nam „ Thomas Gomez ejusdem Ordinis „ a se illustratam anno 1649. Matri- „ ti edidit; quo ipso anno Capitu- „ li Generalis, quod vocant *inter-* „ *medium*, decreto probata fuit, „ et introducta in omnia Congrega- „ tionis Hispanae monasteria, Cam- „ paniensi laudato Episcopo id affir- „ mante „. Id parum cohaerere videtur cum septima nota ab Ureña invecta, aut inventa: sed de re ipsa, inquam, peritiores judicium proferent, ego historiae veritatem vindico. Hocce musicae artis compendium Romae impressum anno 1669. in Romanis publicis Bibliothecis (quis crederet?) reperire non potui. Ideo ex Nicolao Antonio nonnullam cognitionem illius haurire conatus sum. Sed vereor, ut Bibliothecae Hispanae auctor Caramuelis mentem satis fuerit assecutus. Nam in *Diario Litteratorum Romae* 1669. ita enunciatur haec *Ars nova*, sive potius *vetus restituta*, ut in eo posita sit, quod, cum Octava in septem gradus dividatur, totidem nomina, et syllabae adhiberi debent, ut hi gradus significentur. Quapropter S. Gregorius, aliique antiqui *septem* distinctas voces usurparunt, quas vocabant A, Be, Ce, De, E, Fe, Ge.. Guido Aretinus *septem* has notas ad solas *sex* redegit. Instaurator Artis *septem* restituit cum nominibus Guidonis Vt, Re, Mi, Fa, Sol, La, Mi; alibi scriptum lego *Ri*. Addit Caramuel in Hispania et Germania ad haec ipsam rationem libros musicos revocari coepisse, in quibus una tantum clavis *Sol* apponebatur.

reperio, cur Christianus Lupus *Gregor. VII. Pont. Dictat. can. X. in scholio prope finem* eidem monacho Guidoni librum Micrologi editum, qui *observationes de ritibus ecclesiasticis* complectitur, affinxerit.

191. Hi ergo sunt hymni, quos post correctionem Urbanianam breviarium Romanum exhibet recitandos (a). His possunt adjungi nonnullae antiphonae breviarii, et quatuor prosae, sive sequentiae missalis, videlicet antiphona, *Alma Redemptoris mater, quae pervia caeli*. Hartmanni Contracti ex Trithemio, cujus verba paulo post dabo, Antiphona, *Salve Sancta Parens, enixa puerpera Regem*, tribuitur Sedulio in hymnario V. Card. Thomasii. Sequentia in Paschaté Resur-

(a) In Bibliotheca rituali Zachariae hi auctores enumerantur, qui hymnos enarrarunt, Matthaeus Aulae Regiae, Jodocus Clictoveus, Potitus de Joriis, Donatus Marra, Gregorius a Marsalia, Joh. Paulus Palanterius, Franciscus Rosarius, Dionysius a Rychel, Anacletus Siccus, Michael Timotheus, latine omnes; italice vero Joh. Ferdinandus Bilancini, Guillelmus Bramicelli, Joh. Baptista Brunetti, Alexander Calamato, Laurentius Maggi, Joannes Olita, Joh. Baptista Possevinus; hispanice Joannes Baptista Mena. In hymnos, *Lauda Sion Salvatorem*, et, *Ave maris stella* scripsit Albertus Juohovius: de hymno, *Iste confessor* Felix Gabriel. His addi potest Joannes Baptista Sorazabal, qui anno 1777. Matriti edidit hymnos breviarii Romani, et officii proprii Hispanici versibus vulgaribus redditos, et in praefatione laudat versionem Hispanicam Bonifacii Lahoz. Idem Zacharias *Biblioth. rit. tom. 2. lib. 2. cap. 5. art. 4.* hymnographos praecipuos cum veteres, tum recentes indicat, in hac Dissertatione, ubi res postulabat, laudatos, quibus plures alios addidi. Vidi etiam Antonii Alexii Neapolitani *Hymnorum Libros 4. Romae 1565. ad Pium IV.*, qui morem ecclesiasticum non habent; necnon Mutii Sforzae Monopolitani *Hymnorum Libros tres Romae 1593. ad Clementem VIII.*. Mutius, ut fatetur in prologo, non curavit interdum syllabarum quantitatem, maluitque, ut *iambus tinnulus, ac dulcis in ore canentium flueret, quam asper, et intercisus prae nimia syllabarum observatione haereret*. Poterat tamen, ut ex reliquis partibus liquet, utrique rei consulere. Maxim. Margunii, antea Emmanuelis, ex Monacho Episcopi Cytherorum hymnos anacreonticos graece, et latine habes *Tom. 2. collect. Poet. Graec. pag. 129.*. Obiit anno 1602.

Resurrectionis, *Victimae paschali laudes immolent Christiani*; adjudicatur Roberto Francorum Regi a Durando (1). Bellotus ab Hartmanno Contracto, Herrera ab Otgero Abbate S. Galli hunc hymnum fuisse confectum scribunt, ut docet Benedictus XIV. (2). Sequentia in festo Pentecostes, *Veni sancte Spiritus et emitte caelitus lucis tuae radium* maxime laudatur. Apud Benedictum XIV. (3) alii Notkero Monacho S. Galli seculo X., alii Roberto Gallorum Regi seculo XI., alii B. Hartmanno Contracto hanc sequentiam se debere putant. Doctissimus Pontifex verisimile credit, quod nonnulli dicunt, auctorem fuisse Innocentium III., inter cujus opera legitur. Franciscus Antonius Zacharias (4) ait, Roberti Francorum Regis esse sequentiam: *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*; non hanc, *Veni sancte Spiritus*; quae potius Hartmannum habet auctorem. Confer tamen *num.* 194.

192. De Hartmanno Contracto monacho Augiae Majoris ordinis S. Benedicti narrat Trithemius (5), quod *composuit etiam dulci, et regulari melodia cantus, et prosas pulcherrimas, e quibus est illa de B. Virgine Maria dulcissima, Salve Regina, et Alma Redemptoris mater, et ceterae, quarum copiosus est numerus*. Alii alia referunt de auctore antiphonae, *Salve Regina*. Joannes Eremita in vita S. Bernardi ait *num.* 7. *Voce angelica audivit decantari antiphonam, Salve Regina, ex integro usque in finem. Quam corde tenus retinens et postea scripsisse, atque Domino Papae Eugenio transmisisse refertur*. Sed Albericus in Chronico ad annum 1130. narrat, hanc antiphonam fuisse prius ad Heimero Episcopo Podiensi factam, auditam vero ex Angelis a S. Bernardo. Nec desunt, qui Petrum Compostellanum seculo X. auctorem faciant, quod in dubium revocat doctissimus Henricus Florez (6).

(1) Lib. 4. cap. 22.

(2) De festis D. N. J. C. lib. 1. cap. 9. num. 9.

(3) De festis in festo Pentecost.

(4) Bibl. rit. lib. 2. ad ann. 997.

(5) Cap. 321. de scriptor. eccl.

(6) Tom. XIX. Hisp. sac. p. 174. et seqq.

Eam fuisse S. Bernardo antiquiorem, hoc nempe principio; *Salve Regina misericordiae*, additamque deinde S. Bernardi tempore vocem *Mater* certissimum videtur. In Chronico Spirensi Guilielmi Einsegeri (1) narratur, S. Bernardum, cum hanc antiphonam a Clericis Spirensibus audivisset, statim addidisse haec verba: *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria*. Videri potest Benedictus XIV. (2), et cl. Trombellius (3), qui fatetur, incertum esse, quisnam sit verus auctor antiphonae, *Regina caeli*.

183. Sequentia in festo SS. corporis Christi, *Lauda Sion Salvatorem*, nullum est dubium, quin sit S. Thomae, ac proinde temere Joannes Rioche affirmat, a S. Bonaventura fuisse conditam, quamvis id Fabricio (4) non penitus displiceat. Sequentia in commemoratione Defunctorum, *Dies irae, dies illa*, tribuitur multis auctoribus, nempe S. Gregorio, S. Bernardo, S. Bonaventurae, Matthaeo Aquasparto, Augustino Bugellensi, et Latino Cardinali Ursino Frangipane. Consuli potest Joannes Michael Cavalieri (5), qui in dubia re, ut ait, amplecitur sententiam, quam ejus propinquus Marcellus Cavalieri (6) pronunciaverat, eam tribuendam esse Cardinali Ursino Frangipane. Atque haec est communior sententia. Petrus Antonius Corsignani (7) contendit, Thomam de Celano Minoritam circa annum 1220. auctorem esse hujus sequentiae.

194. De hymnorum, et sequentiarum auctoribus extat Jacobi Wimphelingii tractatus. Versus Hartmanni monachi S. Galli ante Evangelium canendi reperiuntur in Bibliotheca SS. PP. (8) cum aliis ejusdem hymnis. Sed ex sequentiis Missalis Romani nulla inibi existit. Fuit Hartmannus discipulus Rhabani Mauri, et B. Notkeri, qui sequentias etiam

(1) Lib. 12. ad annum 1147.

(2) In festis B.M.V. par. 2. c. 13.

(3) In vita Virginis Part. 2. Dissert. X. Quaest. 2.

(4) Tom. 1. Biblioth. mediae, et infimae latinitatis.

(5) In Sacr. Rit. Decreta T. 2. cap. 10. in prooemio num. 8.

(6) Statera sacra tit. 2. n. 192.

(7) De viris illustr. Marsorum pag. 54.

(8) Edit. Lugd. tom. 27. p. 508.

composuit editas a Bernardo Pezio (1), quarum decimaquarta est, *Sancti Spiritus adsit nobis gratia* etc. . Obiit anno 912.. *Hujus doctissimi viri*, ait Trithemius (2), *Sequentiarium Nicolaus Papa I. approbavit, et ad Missas decantari praecepit*. Hactenus de hymnis breviari Romani reformatis, eorumque auctoribus (*a*).

§. XXXI.

Praescribuntur regulae ad hymnos novos cudendos, veteresque castigandos.

195. Sequitur, ut rationem tradam, qua recte hymni aut conficiantur novi, aut reformentur antiqui, quos forte depravatos esse constiterit. Quo in genere Carolum Guyetum (3), et Martinum Clarum, seu Claire (4) versatos esse novi, neminem praeterea. Ex iis autem desumam, quae mihi probabuntur, alia cur non probentur, exponam. Stabiliendum est primo loco, in hymnis ecclesiasticis, quemadmodum in ceteris officii partibus, veritatem (*b*), gravitatem-

(1) T.1.Thesauri Anecdot.col.15.

(2) De Scriptor. Eccles. c. 279.

(*a*) Joannes Godofredus Bauman Heterodoxus libellum scripsit de hymnis, et hymnopoeis veteris, & recentioris Ecclesiae, atque Christianae Religioni promovendae, ac propagandae inservientibus. Bremae 1765.in 8.,de quo contemptim agunt Auctores Commentariorum de libris minoribus vol. 1. p. 1. pag.18., et seq., ut tradit Zacharias Biblioth. rit. part.2. in Verbo *Bauman* inter scriptores Haereticos.

(3) Heortolog. lib. 3. cap. 5.

(4) In Dissertatione praevia ad Libellum: *Hymni Ecclesiastici novo cultu adornati*. *Parisiis* 1673..

(*b*) Quantum contra veritatis leges nonnulli peccaverint in hymnis concinnandis, ex Petro Venerabili Abbate Cluniacenci *Lib.* 4. *Epist.* 30. colligitur. „ Nosti, inquit, quantum me pigeant falsa „ in Ecclesia Dei cantica, quantumque nugae canorae mihi odibiles. Inter quas (nam plurimae „ sunt) cum nuper in festo magni „ Patris Benedicti hymnum praeter sententias *metricam legem*, „ *seriemque verborum peroptimum* „ et cantari audirem, et cantare „ cogerer; nimium, sed non tunc „ primum aegre tuli, et tanti viri „ veras laudes mendaciter proferri erubui. Nam praeter aptitudinem sententiarum, quae nulla „ est, ad minus vigintiquatuor

que prae oculis habendam, nequid falsum, aut temere assertum, nequid indecorum, aut divina majestate indignum proferatur. De dotibus vero peculiaribus hymnorum has habeo, quas explicem, regulas.

Prima Regula.

196. *In hymnis metricis adhibenda est legitima syllabarum quantitas, debitusque pedum numerus, ac mensura.*
Vix credi potest, esse aliquos, qui huic regulae repugnent, nisi qui se adeo stolidos fateantur, ut inter metrum, et orationem solutam nullum discrimen animadvertant. Ceterum non desunt, qui exactam carminis mensuram in hymnis contemnendam esse effutiant, et quodam S. Bernardi testimonio absurdissimam opinionen tueri pergant. Piissimus hic Doctor rogatus, ut officium S. Victoris ordinaret, primum prae vera animi demissione abnuens, postremo ut morem petenti gereret, operi manus admovit, et (1) de officio a se composito loquens haec habet: *Cantus ipse si fuerit, plenus sit gravitate; nec lasciviam resonet, nec rusticitatem... Deinde*

„ mendaciis canticum illum citato „ percurrens animo in ipso reperi „. Quid si attente, et per otium hymnum expendisset? Et tamen V. Petrus is erat, qui alium cum edidisset, gloriatus est *Epis. ead.* 30. *lib.* 4., eo *praeter spirituales S. Benedicti virtutes duodecim ipsius miracula breviter explicari.* Oscitanter hunc locum legerat Grancolas, qui refert, *Comm. hist. cap.* 5. *lib.* 1. viginti saltem mendacia a V. Petro fuisse observata *ultra peccata latinitatis, et metri.* V. Petrus hymnum 24. mendaciis refertum, metro, et verbis *peroptimum* judicavit, non optimus alioquin harum rerum Judex; ejus tamen hymni cultiores sunt, quam eo tempore esse solerent. Hymnis, quos in S. Benedictum pepigit, Benedictinos uti suo tempore scripsit Mabillonius *Tom.* 4. *Annal. ad ann.* 1141. *pag.* 320., qui neque ipse plene narrationem V. Petri assecutus est, cum dicat, ab hoc subrogatos hymnos: „ loco alterius, „ qui non modo *impolitus* erat, „ sed falsa *quaedam* continebat „. Petrum Pictaviensem monachum non ignobilem suorum temporum poetam hymnis V. Petri plausisse compertum est *ex Bibliot. Cluniac.*, ubi quaedam sunt epistolae Petri Pictaviensis ad Petrum Cluniacensem inter hujus opera.

(1) Epistola 398.; alias 312. tom. 1. operum [illegible]

quod ad cantum spectat, *hymnum composui*, *metri negligens*, *ut sensui non deessem*. En objectionem ex S. Bernardi verbis petitam. Quid ergo erit respondendum? Facilis expeditaque est responsio, sed quam vix auderem in medium proferre, nisi haberem, quem sequerer, ducem Carolum Guyetum, cujus in rebus liturgicis celeberrimum est nomen, quemque adeo Benedictus Pontifex XIV. (1) vocat *doctum*, *pium*, et *eruditum*. Is igitur (2) his verbis alloquitur objicientes auctoritatem S. Bernardi: *Neque in Bernardi seculo sumus*, *ut non cultiora in hoc genere exigantur*, *neque tu Bernardus es*, *cujus scripta in quocumque seculo probentur*, *nec si denique ad ipsum vel procul accedas*, *ideo ut sensui non desis*, *metri negligens esse debes*, *qui utrique vales consulere*.

197. Quare cum possit idem sensus carmine,ac plerumque vividius, et cultius exprimi, tantum abest, ut lex metri sit negligenda, ut etiam ad eundem sensum melius exprimendum sit usurpanda. Quo spectat ratio, quam S. Bernardus in eadem epistola attigit: *Quod si nova audire libet*, *et causa requirit*; *ea ut dixi recipienda censuerim*, *quae cordibus audientium* QUO GRATIORA, *eo utiliora reddat et eloquii dignitas*, *et auctoris*. Nam cum gratiora sint, quae versibus legitimis continentur, quam quae discordibus, et inconditis, oportet omnino, ut in hoc seculo, quo fieri potest commode, hymnus ad metri regulas exigatur. *Ut in fidibus musicorum aures* (quod ait Cicero in lib. de officiis) *vel minima sentiunt*, ita in carminibus poetae, eruditique vitium quodvis, ac discrepantiam percipiunt, ab eaque abhorrent, cui malo occurrendum est, adhibita metri lege, ac mensura. *Si enim gemmam pretiosissimam*, ait Ferrerius in praefatione ad suos hymnos, *auro valemus claudere*, *cur plumbo*, *cur auricbalco*, *aut alio inferioris metalli genere circumdabimus*? An ad Dei laudes concinendas inepta erit poesis? an decebit, eam circa res ludricas, aut etiam noxias suis legibus procedere, in rebus

(1) De Serv. Dei Beatif. et Can. lib.4. part.2. cap.20. num.20.

(2) loc. cit. quaest.2.

autem divinis claudicare? an putamus, Davidem, dum psalmis operam dabat, metri fuisse negligentem? Sed de his sermo jam habitus est §. XXVIII., et XXIX., et aliis in locis.

Regula secunda.

198. *Hymnorum stylus sit poeticus, et nitidus, neque humilis, neque elatus, pietati Christianae consentiens, ab ethnico fastu alienus.*

Pro hac regula confirmanda satis est animadvertere, hymnos esse carmina in laudem Dei, ac proinde stylo poetico, gravi, et, prout res postulaverit, sublimi, semper nitido, nunquam abjecto esse componendos. Cujus rei exemplum rursus in Davidis psalmis facile est reperire. Decipiuntur quippe, siqui putant, satius esse in officiis divinis verbis humilibus, ac sermone, qui repat humi, immortales Dei laudes canere, quam tanti argumenti gravitatem stylo rei cujusque proprio persequi. Nec propterea flosculos poeticos undique captare, et fabularum deliramenta intexere oportebit, quod in carmine sacro maxime dedecet. Nimium etiam delicatum, ac molle est exemplum Lasi Hermionensis, qui apud Athenaeum (1) ab oda, et hymno litteram *S* prorsus exulare voluit. Nonnulli odio hanc litteram prosequuti sunt, eamque potius sibilum, quam litteram esse affirmabant; ac Pindarus odam *asigmon* propterea composuit. Ridicula esset hujusmodi in hymnis ecclesiasticis diligentia. Recte Correctores Romani sub Urbano VIII. in praefatione de hymnorum stylo pronunciant: *Divinas enim laudes*, inquiunt, *si non ornari floribus, certe decenti cultu carere non convenit*. Et Zacharias Ferrerius in praefatione ad hymnos. *Sane si Dei Maximi summam illam majestatem rectis, congruisque laudibus attollere possumus, cur barbaris, ineptisque attollamus?*

199. Nitor in hymnis, perspicuitas, et quidem quasi sapor ecclesiasticus in sententiis, et nonnunquam in ipsis verbis ab hujusce rei peritioribus laudatur. Grancolas (2) de hy-

(1) Lib. 10. sub finem. (2) Comment. Hist. in Brev. cap. 28. lib. 1.

omnis hanc profert sententiam. *Novitii vero penitus excludendi, cum probe conscripti non sunt; praeferri autem praesertim debent, qui perspicuis verbis constant, atque piis animi motibus excitandis inserviunt, nulloque negotio ab omnibus percipi possunt, sacraque unctione redundant*. Hanc regulam secutus est Ferrerius saepe laudatus. *Hanc vero hymnorum editionem eo luculentiori stylo, ac facilitate contexere conatus sum, quo ab universis saltem eruditis ipsa etiam celeri lectione clare intelligantur, ut in divinis laudibus mens, et labia invicem (ut par est) facile concordent, quamquam omnem barbariem paucis Hebraeorum vocabulis exceptis, in quibus sacrae auctoritati deferre volui, evitaverim*. Nomina gentilia familiarum, et cognomina in hymnis non exprimenda superfluum esset monere, nisi nuper in hymno B. Simonis de Roxas Causae Patronus Joseph Placidus bis *Roxas* intrusisset, quod merito a solertissimo Fidei Promotore Carolo Erskine, cujus eloquentiae, et ingenio maximi plausus in Urbe impertiuntur, censura confixum fuit; qui neque passus est, *Beati* appellationem in eodem hymno inseri.

200. Martinus Clarus ad hymnodicam majestatem flagitat, ne verba fabulas, et gentium ritus oleant, ac propterea cavit, ne in suis hymnis novo cultu adornatis fieret aliqua mentio, ut ipse ait in praefatione, *orci, averni, tartari, et similium vocum, quae poeticas fabulas, et gentium ritus oleant*. Et rursus (1): *Eam ob rem exterminantur primum de hac sacra poesi cum barbarae voces, tum maxime prophanae, quae poeticas fabulas sapiunt*. Equidem, si voces unice ad fabulas exprimendas aptae adhiberentur, non recte factum putarem; sed cum ex antiquo SS. Patrum usu, et consuetudine etiam ecclesiastica voces *averni*, *orci*, et *tartari* ad inferos significandos sine ulla fabularum permixtione usurpentur, nihil est causae, cur penitus earum mentio prohibeatur. Itaque illis utuntur Correctores ab Urbano VIII. deputati,

(1) Auctar. hymnorum Parisiis anno 1674.

vel certe eas ex antiquis hymnis non substulerunt; utitur Urbanus ipse VIII., et Santolius Victorinus, utuntur alii hymnographi recentes. Facile tamen consentiam, parce, ac raro in hymnis ecclesiasticis esse adhibendas, et ubi novi fiant hymni, non reprehendendum, qui eas adhibuerit, sed laudandum, qui prorsus omiserit. Liberius judicium feram contra Ferrerium, qui non solum voces fabularum, sed fabulas ipsas identidem in suis hymnis inducit. Laevinus Torrentius Julii Pogiani censurae suos hymnos, sive odas sacras subjecerat. Pogianus quamvis poeticam illius facultatem vehementer laudet, et quod istud donum amplissimum ad Deum celebrandum converterit memor ordinis, et instituti sui, tamen quaedam animadvertit, et in his: *Fati vox*, scripsit ad Torrentium, *abhorret ab homine Christiano*. Torrentius in aliis judicio Pogiani acquievit, sed vocem *Fati* aliquando usurpavit: *Cumaea sed jam carmina prosperis - Impleta fatis, jam nova secula etc.* Adito Lagomarsinium (1).

Regula tertia.

201. *Nihil sit in hymnis, quod cantum ecclesiasticum difficilem reddat.*

Joannes Launojus (2) memorat, Joannem Muneratium edidisse Martyrologium Usuardi anno 1490., et ad calcem concordiam grammaticae, et musicae in officio ecclessiastico. Quisnam fuerit certus ejus libri scopus, cum a me visus non fuerit, expedire nequeo, quamquam ab hac regula non prorsus eum aberrare existimo. Grancolas (3) *Hymnos*, inquit, *proprie appellare solemus carmina ad Deum laudandum composita, atque ad leges musicas decantanda.*

202. Omnino necessaria est haec regula, quam antiqui hymnorum correctores non penitus observarunt, verborum nitori, ac legibus carminis potissimum intenti. Carolus Guye-

(1) Ad Pogiani Epistolas Vol.3. p. 327. et seqq.

(2) Hist.collegii Navarrei p.710.

(3) Comment. histor. in Brev. cap. 28. lib. 1.

Guyetus primus, quod ego scierim, hoc monitum utilissimum aperte posuit, et exequutus est in hymnis post Heortologiam; eidem viae institit Martinus Clarus in hymnis novo cultu adornatis, ac de Santolio Victorino idem asseritur in Dictionario Moreri (1). *Il paroit* (Santeul) *qu' il a rompu expres la cadence des vers qui aiment enjamber sur les autres, et qu' il a aussi ôté les elisions, qui incomodent la mesure du chant, et en dereglent l' harmonie*. Quaenam autem cantui incommodent, distincte, et dilucide tradit Guyetus (2): *Ratio item cantus exigit, ut ab elisionibus, et synaloephis, quantum fieri potest, abstineatur... Ad cantus quoque euphoniam pertinet, ut in sapphicis maxime, et in asclepiadeis hymnis post secundum pedem semper supersit caesura*. Et Martinus Clarus in praefatione: *Nulla tamen facta est mutatio pedis in alterum, qui pluribus quam alter syllabis constet, ut puta iambi, aut spondaei in Anapaestum, nullus vocalium concursus, qui syllabae alicujus incisionem exigeret, nullius plane poeticae licentiae usus, nulla denique in sensu verborum interruptio: sed absoluta semper cum singulis versibus orationis sententia, vel saltem suspensa leviter, et ad sequentem versum quasi sponte producta sine vi, sine obscuritate, sine defformitate cantus*. Et in praefatione ad Auctarium: *Excluduntur deinde vocalium elisiones, et illae, quae dicuntur poeticae licentiae, quibus legitimus carminis pes permutatur in alterum, qui pluribus syllabis constat; unde auctus syllabarum numerus non parum canentibus incommodat*. Hanc diligentiam in Claro commendat Bailletus (3).

203. Ex his colligo, contra euphoniam esse 1. concursum vocalium, ubi synaloepha opus est, aut ecthlipsi, ut:

Christum *daura*, aut sanguinem.

Cavendum ergo est, ne id fiat, aut saltem ne saepe fiat, et praesertim in dictionibus, quae littera *M* terminantur, nam

(1) Edition. anni 1732.

(2) Lib. 3. cap. 5. quaest. 2.

(3) Tom. 4. Judic. Sapient. num. 1549.

difficilior tunc est elisio, majorque oritur cantus deformitas. Duriuscula etiam est synaloephe in versu hymni Dominicae primae Adventus ad laudes: *Ab alto Iesus promicat*. Nam ut secundus pes sit iambus, pronunciari debet: *Ab alt' Iesus promicat*. Suavior flueret versus in hanc formam restitutus: *Jesus ab alto promicat*. In antiquis enim breviariis, codicibusque Mss. legitur *Christus ab alto promicat*, qui versus tametsi non constat, elisionis tamen asperitate caret (*a*). Nullo autem modo

(*a*) Iis, qui unum Iota, aut unum apicem in examen vocare amant, subtilis controversiae occasionem exhibebo. In omnibus breviariis, quae vidi, (vidi autem plurima,) in quibus non I, sed J scribitur, cum haec littera est consonans, reperi hunc versum ita scriptum: *Ab alto Jesus promicat*. Correctores hymnorum sub Urbano VIII. ediderunt versum: *Ab alto Iesus promicat*. Sed cum in ea editione etiam J consonans semper exprimatur per I, nulla inde regula hauriri potest pro recta scribendi ratione. Ex metro autem liquet, I hoc loco vocalem litteram esse, non consonantem, et propterea typographos, qui nunquam J adhibent, nisi cum est consonans, errrare, dum versum typis excudunt, *Ab alto Jesus promicat*, qui omnino ita est reddendus, *Ab alto Iesus promicat*. Si typographi diligentia meae voluntati respondisset, curassem ego etiam, ut in hoc genere magis constans, similisque sibi esset mei operis orthographia, et semper character J pro J consonante fuisset adhibitus, quandoquidem semel adhibitus fuit, atque ita etiam in aliis vocibus, de quarum orthographia sub judice lis est. Ingenue tamen fatebor, eam curam non admodum me solicitasse, quia inter probabiles hinc inde pugnantes opiniones sententiam hanc teneri posse judico, in multis vocibus communem fuisse orthographiam, et pronunciationem, ut in aliis communis erat quantitas syllabarum, et ab uno, eodemque scriptore posse utrolibet modo scribi *litteram*, et *literam*, *seculum*, et *saeculum*; qua in re liceat cuivis esse probabilistam. Nullum vero locum excusationi esse puto, cum J pro I vocali exaratur, quod passim fieri video in verbis quibusdam graecis, ut in eo Horatii versu *Oda* 3. *lib.* 1.; *Obstrictis aliis praeter japyga*. Nam eo loco *iapyga* est quadrisyllabum, ut ex *praeter iapyga* duo dactyli eveniant. Praeterquamquod si origo graeca retineatur, apud Graecos i nunquam vim consonantis habet, si ritu latino nomen illud proferatur, inflectendum potius esset *japygem*, atque ita ex utraque parte perperam scribitur *japyga*. Ad quem errorem quadrare posset dictum elegans in Sabinum Clodium uno die et graece et latine declamantem: de

committendum est, ut ultima vocalis unius versus absorbeatur a prima sequentis per synaloepham, ut Horatius more Graecorum aliquando usus est, dictionem in fine sapphici secans, et partem rejiciens in alterum sapphicum, aut adonium (1):

Labitur ripa, Jove non probante, U-
xorius amnis.

Et nonnunquam sine synaloepha (2):

Grosphe non gemmis, neque purpura ve-
nale, nec aurum.

204. Santolius Victorinus in multis hymnis hanc regulam religiose tenuit, in aliis liberius vagatus est, quam ratio cantus ferat, frequentes, et duriores elisiones admittens, et unum cum altero versu connectens. Sic in hymnis festi Purificationis praeter alias plures elisiones hanc quoque inducit:

Triplex honorem *Virgineum* immolat.

Et in festo S. Martini ad Vigilias stropha 6. dictionem unius versus secat, ut cum versu praecedenti conjungat, et elidat ultimam vocalem versus prioris:

Substinet lapsum, capitique sacro a-
versa pepercit.

Ac fortasse haec, aliave hujusmodi reprehendit Dinovartius in Epistola, qua *in Bibliotheca rituali verbo Santevil* nonnulla in Santolii hymnis animadvertisse dicitur; cui deinde respondens Dominus de Lavarde pro Santolio edidit Librum hoc titulo: *Reponse a la Letre de Ms. Dinovart au sujet des hymnes de Santevil*.

205. Sed ut ea persequar, quae cantui musico difficultatem creant, 2. requiritur, quod in hymnis sapphicis post se-

quo Cassius Severus *interrogatus*, *quomodo dixit*, *respondit*, male, καὶ κακῶ. Id refert *Controvers.* 27. *in fine* M. Annaeus Seneca, sive, ut ego verius puto, quivis alius auctor, qui post Quintiliani tempora *Controversiarum*, *et Suasoriarum libros* assumpta persona Senecae patris L. Senecae Philosophi conscripserit, quod validissimis rationibus, historicisque argumentis in Dissertatione peculiari habeo demonstratum. (1) Lib. 1. oda 2.

(2) Lib. 2. oda 16.

cundum pedem caesurae locus sit, idque similiter in asclepiadeis observandum est. Guyetus animadvertit, plures alioquin eruditos poetas hujus regulae ignaros, aut negligentes in suis hymnis versus immiscuisse musicae modulationi repugnantes; exemplumque profert ex hymno Anonymi in sapphicis:

Confer, offensique graves serena,

Et ex Mureti hymno asclepiadeo in festo Paschae.

Cum spes sancta, moraeque impatiens amor.

Recte fere omnes hymni breviarii Romani hac in parte procedunt (*a*), eademque via, et ratione Guyetus, Clarus, Santolius, aliique recentiores hymnographi hoc genus ecclesiasticorum carminum elaborarunt. Annotandum est, non minus dissonum esse versum sapphicum, in quo post secundum pedem fit sectio trochaica, sive pes trochaeus, ut in hoc Catulli:

Otium Catulle tibi molestum est.

Quae omnia cum a viris experientissimis confirmentur, quin vera sint, non dubito (*b*); sed suboritur mihi difficultas,

(*a*) In Hymnis S. Josephi, qui proximo seculo exeunte inducti sunt, versus I. strophae IV. ad matutinum, *Rex Deus Regum, et Dominator orbis* hanc legem non servat in quibusdam breviariis; sed in aliis pluribus rectius omittitur conjuctio *Et*, suaviorque redditur versus: *Rex Deus Regum, Dominator orbis*.

(*b*) Antiquissimum est in Ecclesia hoc studium, ut versus modulationi apti praeferrentur. B. Notkerus in praefatione ad suas sequentias in hanc sententiam disputat. *Contigit, ut quidam Presbyter de Gemidia nuper a Nordmannis vastata veniret ad nos Antiphonarium suum secum portans, in quo aliqui versus ad sequentias erant modulati, sed jam tunc nimium vitiati; quorum ut visu delectatus sum, ita sum gustu amaricatus*. Narrat exinde, operam se dedisse novis sequentiis, quas Isoni corrigendas ostendebat, qui Iso „ emendare curavit dicens: singulae notae cantilenae singulas syllabas debent „ habere. Quod autem audiens ea quidem, quae in *ia* veniebant, ad „ liquidum correxi, quae vero in „ *le*, vel in *lu* quasi impossibilia „ vel attemperare neglexi: cum et „ illud postea facillimum visu deprehenderim „. De cantu in Ecclesia antiquissimo, instrumentisque musicis veterum Christianorum fuse disserit Joannes Baptista.

cur apud antiquos odae, quae canendae proponebantur, his legibus non essent adstrictae?

206. Ut enim ego opinor, in ipso rei exordio neque musicus concentus vocibus exprimebatur, nisi metro, vel rhythmo alligatis, neque versus fiebant, nisi modulis, numerisque musicis accommodati. Ex avium concentibus musicas vocum modulationes homines didicisse multorum est opinio. Sive id ita acciderit, sive humanum genus natura ipsa duce inter amabiles diversarum vocum sonos, quod magis placuerit, elegerit, et ordinaverit, post inventam Musicam statim verba modulationi apta quaesivit, materiamque Musicae, carmen scilicet, invenit, imperfectum primum, deinde regulis, et arte perfectum (*a*). In praesentia res alio prorsus modo accidit; nam et multa prosa oratione canuntur, et carmina pauca fiunt, ut canantur. Nihilominus quo tempore lyrico carmine Horatius Romam demulcebat, exploratum

Casalius *de veter. sacr. Christianor. usib. cap.* 44.. Athanasius Kircherus in *Musurgia* regulas etiam ad hymnos musicos tradit; sed ad rem nostram illa maxime facit *lib.* 8. *cap.* 6.: *Non omnia carmina apta sunt harmonicis modulis, sed ea tantum, quae certam, et immutabilem pedum stationem obtinent.* Immo *cap.* 5. advertit, in hymnis non metricis rationem accentus vocum habendam esse, quamvis quantitatis syllabarum ceterarum nulla ratio habeatur. Editam circa annum 1726. scio, sed non vidi Dissertationem *de collectione novorum hymnorum cum cantibus idoneis ad versuum mensuram*, auctore Joanne Lebeuf. Martinus Gerbertus monacnus non multis ab hinc annis typis commisit duo volumina in 4. *de cantu, et musica sacra a prima ecclesia ad praesens tempus.*

(*a*) Accipe Ciceronis sententiam *Orator. fol.* 215. *Venet.* 1514. *typ. Aldi*. *Neque enim ipse versus ratione est cognitus, sed natura, atque sensu, quem dimensa ratio docuit, quid acciderit, ita notatio naturae et animadversio peperit artem. Sed in versibus res est aptior, quamquam etiam a modis quibusdam cantu remoto soluta esse videatur oratio, maximeque id in optimo quoque eorum poetarum, qui* [illegible] *a Graecis nominantur, quos cum cantu spoliaveris, nuda pene remanet oratio. Quorum similia sunt quaedam apud Nostros, velut ille in Thieste: Quemnam te esse dicam? qui tarda in senectute, Et quae sequuntur, quae nisi cum tibicen accessit, orationi sunt solutae simillima:*

est, ejus odas decantari consuevisse, et *carmen seculare* non alia ex causa factum est, nisi ut juxta monitum Sibyllinum a virginibus, puerisque ludis secularibus caneretur (*a*). Quo in carmine Horatius saepe, ac frequentius, quam alibi, versibus utitur, qui modo ob defectum caesurae post secundum pedem cantui inepti existimantur, ut nihil interim de Synaloephis dicam (*b*).

207. Illi omnes Horatiani versus in una oda, seu carmine seculari inducti a nostris hymnis ecclesiasticis repellerentur. Unde igitur haec diversa modulationis ratio? Nam ad elisiones quod attinet, intelligitur satis, veteres non pronunciasse syllabas elidendas, (*c*) ut in versu eadem semper ejusdem pe-

(*a*) Spanhemius in limine Notarum ad Callimachum docet, hymnos Graecorum ad tibiam inter Sacra, libationesque, et choreas solitos fuisse cantari.

(*b*) Videlicet:

Phoebe, sylvarumque potens Diana.
Lenis Illithya tuere Matres.
Sive tu Lucina probas vocari.
Prosperes decreta super jugandis
Feminis, prolisque novae feraci.
Quod semel dictum est, stabilisque rerum.
Siderum Regina bicornis audi.
Roma si vestrum est opus, Iliaeque
Jussa pars mutare lares, et urbem
Liberum munivit iter daturus.
Romulae genti date, remque prolemque, et decus omne.
Imperet bellante prior, jacentem.
Jam mari, terraque manus potentes.
Medus, Albanasque timet secures,
Jam Scythae responsa petunt, superbi.
Priscus, et neglecta redire virtus.
Audet, apparetque beata pleno.
Augur, et fulgente decorus arcu
Phoebus, acceptusque novem Camoenis.
Quindecim Diana preces Virorum.
Haec Jovem sentire, Deosque cunctos.
Spem bonam, certamque domum reporto.

(*c*) Notatu digna est opinio Ven. Bedae, qui existimat, versum hexametrum spondaicum, scilicet quinto loco spondaeo constantem, ab antiquis ita pronunciatum fuisse, ut una vocalis interponeretur, perinde quasi pes dactylus esset *Lib. de arte Metrica de Episynaloepha, vel Diaeresi. Neque enim in quinta regione versui heroici spondaeum ponere moris erat, sed ita tamen versus hujusmodi illos voluisse scandere reor, ut addita in sono vocali, quam non scribebant, dactylus potius, quam spondaeus existeret, verbi gratia*, INTERECEPTO, INCEREMENTA, INTEREFECTAE, RESPERIGEBAT, et per synaloepham DENARIGENTI. *Quod ideo*

dis esset mensura. Sic in carmine seculari hic versus, *Curet, et votis puerorum amicas*, proferebatur in cantu, *Curet et votis pueror' amicas*, quod ab hac nostra consuetudine abhorret plurimum. Igitur ratio discriminis, cur versus alterius generis, qui harmonice antiquis sonarent, ecclesiasticae modulationi minus congruant, necessario petenda est ex diversitate modulorum, quos antiqui his versibus applicuerunt. Possent enim recentiores, qui numeros musicos orationi solutae accommodant, versibus sapphicis libere fluentibus idoneum concentum quaerere; sed cum primi auctores cantus ecclesiastici musicas notas pro versibus sapphicis, et asclepiadeis, quales necessarios esse diximus, condiderint, oportet omnino, ut hymni ad has leges musicas, quae vigent, revocentur.

208. Enim vero si in theatro musico Italico ii praeferuntur poetae, qui mensuram carminum modulis musicis scite, apteque accommodaverint, ut erudite demonstrat cl. Stephanus Arteaga (1), quanto potiori jure enitendum est, ut hymni in ecclesiis concinendi regulis musicis in primis respondeant? Quae musicae praecepta siquis in ecclesia negligenda esse duxerit, gravissimo auctore revincetur S. Gregorio Magno, qui decorem cantus ecclesiastici diligentissime promovit, et, ut refert Paulus Diaconus (2), *Scholam quoque cantorum, quae hactenus eisdem institutionibus in S.R.E. modulatur, instituit: eique cum nonnullis praediis duo habitacula fabricavit: ubi usque hodie lectus ejus, in quo recubans modulabatur, et flagellum ipsius, quo pueris minabatur, veneratione congrua reservatur.* Idem studium cantus ecclesiastici reformandi imitatus est Adrianus I.. In Hispania hoc seculo ineunte floruit Joannes Interian de Ayala, exteris quoque notus, et maxime laudatus

magis R. littera, quam ceterae consonantes, patitur, quae quia durius naturaliter sonat, durior efficitur etc.... Quod etiam in cantilenis ecclesiasticis saepe cum eadem littera facere consueverunt, qui antiphonas, vel responsoria, vel cetera ejusmodi, quae cum melodia dicuntur, rite dicere norunt. Circa versus spondaicos V. Bedae opinionem non omnes probabunt.

(1) In suo opere de musico theatro Italico tom. 1. cap. 1.

(2) In ejus vita cap. 6. lib. 2.

tum ob alia, tum praecipue ob singulare opus *Pictoris Christiani*. Ejus opuscula poetica prodierunt Matriti anno 1729. edente P. Francisco de Ribera, qui inter alia Mss. monumenta Joannis Ayalae recenset primum illud, *quod hujusmodi inscribendum erat: Psaltes egregius, sive de usu, et abusu cantus ecclesiastici*. Potuisset certe egregius hic, et eruditus poeta hymnos officii Hispanici ad cantum simul, et ad latinitatem redigere, sed in lyricis carminibus, quae composuit *de Conceptione B. M. Virginis, de S. Paulo Apostolo, de certaminibus Martyrum, de certaminibus Confessorum, et Virginum*, nitorem, et elegantiam sequutus est, ecclesiasticae consuetudini non consuluit.

209. Jam ad harmonicum ecclesiae cantum exigitur 3., ut nulla admittatur poetica licentia, qua versus longior ceteris evadat, sive, ut ait Clarus, mutatio pedis in alterum, qui pluribus syllabis constet, ut puta iambi, aut spondaei in anapaestum (a). Hanc regulam Correctores Urbaniani non observarunt, ac saepe in hymnis breviarii Romani iambicis dimetris occurunt versus novem syllabarum, ut, *Oculos in altum tollite. - Populique Rex Judaici*. Gavantus (1), *Mendum*, inquit, *putant aliqui in hymnis iambicis, quando legunt novem syllabarum versus, non advertentes, anapaestum poni pedem primo loco pro spondaeo, vel iambo*. Optime: sed inde oritur error eorum, qui mendum subesse putant, quod deformitas cantus intercedit, cum a versu octo syllabarum sub eisdem modu-

(a) Veteres Latini in pronuncianda syllaba brevi unum tempus, in longa vero duo insumebant, immo aliqui in scriptione syllabam longam geminabant, *naatus* pro *natus* exarantes. Itaque facile unum in alterum pedem sine cantus incommodo mutabant; licet enim pro spondaeo anapaestum ponerent, semper quatuor tempora remanebant, nimirum duo syllabae longae anapaesti, et altera duo duarum brevium ejusdem pedis. Hujusmodi discrimen a nobis non observatur, versusque in pronunciando, et canendo longior evadit, si loco spondaei intruditur anapaestus; proptereaque id effugiendum est. (1) In Rubr. brev. part. 2. sect. V. num. 11.

modulis proceditur ad versum novem syllabarum, nempe *Quicumque Christum quaeritis*, *Oculos in altum tollite*. Pro quo secundo versu Clarus subrogavit, *Mentes in altum tollite*.

210. Eodem pertinet, quod in iambicis dimetris breviarii Romani aliquando secundo loco tribrachys pes tribus syllabis brevibus constans occurrit, ut in hymno Sedulii ad laudes in Nativitate Domini, *A solis ortus cardine*, ubi versus tertius sextae strophae habet, *Et lacte modico pastus est*. Non inficior, id licere in odis iambicis dimetris; sed in hymnis ecclesiasticis hujusce generis, cum notae musicae pro solis octo syllabis sint dispositae, perturbatur euphonia, si novem syllabae adhibeantur. Propterea Parisienses hunc versum ita reformarunt, *Et indiget lactis cibo*. Sed cur potius retentus non est Sedulii versus? Nam in breviariis, et hymnariis antiquis ita legitur, *Parvoque lacte pastus est*. Apud Albinum *in officiis per ferias Sabbato* integer refertur hymnus inscriptus: *B. Episcopii Sedulii.*, et eodem pariter modo hic versus, *Parvoque lacte pastus est*. Recte igitur procedit versus Sedulii octo syllabis contentus, et cantui opportunior est altero novem syllabarum. Nec dissimile his est, quod nonnullae voces, in quibus synaeresis fieri solet ex duabus vocalibus retentis, sed in unum coactis effugiantur, quantum fieri possit, si nempe sint ejusmodi, ut hodierna pronunciatio duas syllabas semper proferat, ut in *deinde*, *suavis*: vel si admittuntur, non fiat synaeresis, ut nonnunquam ab antiquis observatum est in *süavis*, *süetus*. S. Bernardus, qui metri leges negligebat, ut cantui prospiceret, fecit trisyllabum *süavis* in hymno S. Malachiae (1), *nobilis signis*, *moribus süavis*. Et Urbanus VIII. similiter in hymno S. Teresiae, *Sed te manet süavior* (a).

A a

(1) Apud Martenium tom. 3. veter. script. et monument. columm. 745..

(a) Putarem etiam, occurrendum esse ignorantiae plurium Sacerdotum, praetermissis iis vocibus, in quibus corripiuntur vocales, quae sermone pedestri semper producuntur. Quotus enim quisque est qui non producat *i* in *animo*·

211. Postremo recta harmoniae ratio exigit, ut sententia in uno versu incoepta non ad alterum longe dissitum absolvenda differatur, aut ex una stropha ad alteram protrahatur, quod alternae modulationi maximum impedimentum afferret, ut in Horatii Oda 2. lib. 1. *Neve te nostris vitiis iniquum-Ocior aura-Tollat*. Haec fere sunt, quae cantui hymnorum in ecclesiis usitato obesse comperi (*a*), et ab his, qui hymnos aut corrigunt, aut componunt, observari cuperem (*b*). Venu-

in versu, *Unius, Trinique nomen?* De quo admonendi sunt typographi, qui in breviariis saepe excudunt, *Unius, Trinique nomen*, cum ita hic versus sit exarandus, *Unius, Trinique nomen*. Correctores Romani sub Urbano VIII. in prima editione aliter scripserant, *Unicum, trinumque nomen*. Simili ratione vocales breves, quae solum in carmine producuntur, ut *e* secundum in *tenebrae*, effugere oportebit. Hoc monitum intelligendum est de vocalibus penultimis in voce trisyllaba, aut plurium syllabarum.

(*a*) De ecclesiastico hymnorum cantu prodiit Parisiis anno 1772. in 8. Liber hoc titulo: *Hymnaire de Noyon contenant les hymnes, e Proses notées, extraites du Breviaire, e du Missel precedè d' une methode nouvelle pour apprendre facilment le Plainchant per M. l'Abbè Oudeux Chapelain Ponctoyeux, et Musicien de l'Eglise de Noyon*: De hoc opere agit Dinovartii Diarium ecclesiasticum Sept. anni 1772. p. 286., et Augus. ejusdem anni p. 82., ac Bibliotheca ritualis part. 2. verb. *Oudeux*, ubi asseritur, methodum fuisse separatim excusam in 12.. Hieronymus Romero de Avila in Ecclesia principe Toletana melodiae magister antea ediderat Matriti typis Joachimi Ibarra 1761. in 4.: *Arte de Canto llano etc.* cujus operis in quatuor partes divisi tertia pars est, *De la especulativa, y practica de todo hymno, sequencia, o prosa*.

(*b*) Universe de verbis, quae poemati musico apte conveniunt, hoc tradit Salomon Van-Til *de cantu poeseos cap. 3. in Thesauro Antiquit. Sacrar. Ugolini vol. 32. pag. 231.*: *Poeta maximam verborum copiam ad manum habere debet, ut non eadem continuo replicare adigatur, minusve singula materiae propriae sint idonea, quia una melodia exigit syllabas longiores, altera requirit breviores, una petit suavia, altera gravia, aliqua verba modicam, alia majorem continent emphasim; ut paucis dicam, sint fluentia sine affectatione, seria absque coactione. Permagnam enim cantui, et poemati affert utilitatem notitia qualitatis, ac quantitatis pedum, et syllabarum*. Nemo vero enucleatius, et eruditius de re

aptiores certe, et elegantiores hymni procudi possent, si hujusmodi leges negligerentur; sed habenda est ratio finis hymnorum, ac proinde ii meliores sunt censendi, qui, dummodo metrici, purique sint, aptiores erunt, ut canantur. Tota igitur hujus regulae explicatio confirmanda est, et roboranda Martini Clari verbis *in praefatione*: *Cum hymni non styli exercendi causa, nec lectionis dumtaxat studio, sed canendi gratia conficiantur; tanti non interest, ut politi, et elegantes sint, quanti ut ad rectam modulationem, et ad pietatem excitandam idonei sint etc.*.

Regula quarta.

In novis hymnis conficiendis aut raro, aut nunquam adhibendus est rhythmus.

212. In diversas sententias Guyetus, et Clarus abeunt; hic rhythmorum usum commendat, ille rejicit. Clarus *in praefatione ad hymnos ecclesiasticos novo cultu ornatos* ait: *Non desunt, qui ecclesiae precibus, et canticis rhythmice scriptis impense faveant; aliis tamen reclamantibus, qui hunc extremarum syllabarum lusum novum veluti, ac barbarum imperitorum inventum vix, ac ne vix quidem ferre possint etc.*. *Cum igitur de his dumtaxat hymnis disputandum sit, quos ipsa suum ad usum fecit, aut approbavit ecclesia, quis illam continuo non asserat rhythmorum studiosissimam fuisse, iisque suos hymnos ex omnium aetatum memoria ornare solitam?* His rationibus, et Therapeutarum exemplo suam causam tuetur Clarus, ac vere suam, cum ipse hymnos suos rhythmis ornaverit, non illis quidem vulgaribus, qui duas simul postremas syllabas alterius versus postremis duabus consonantes postulant uti, *Dies irae dies illa - Solvet seclum in favilla*. Sed alio rhythmorum genere aures minus ferientium, ubi ultimae tantum syllabae eodem modo desinunt, cujus rei exemplum proferam ex ejus hymno pro Martyre non Virgine, *Diva supremo veneranda cultu-Laurea*

tota musica tractavit cl. Antonio Eximeno in celebri suo opere Italico: *Dell' origine, progresso, e decadenza della Musica*.

frontem radiante cincta-Nostra, festivo renovata cantu-Accipe vota.

213. Ante Martinum Clarum Robertus Hanyvel idem saxum volverat, ut hymnos rhythmo, et metro alligatos efficeret, labore adeo improbo, ut interdum omnes versus unius integri hymni sibi rhythmice consonarent. Hymnologiam suam rhythmicam semel atque iterum edidit Urbano VIII. dicatam. Facilior fuit labor, minorque gloria Jacobi Planenati, cujus extat sine carminis lege duobus tomis comprehensa rhythmica *Hymnodia caelestis SSmo, ac Bmo Patri Papae Innocentio XI. humiliter dicata*. Tomus secundus Collegio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium apparuit dicatus anno 1682. tres annos post editionem primi tomi. Ceterum Carolus Guyetus *loc. cit. quaest.* 5. affirmat, inutilem fore operam, quae in hymnis rhythmicis condendis insumeretur, et quod recte ii, qui sunt in breviario Praedicatorum, et Minorum de S. Dominico, et S. Francisco, et aliis, vel rejicerentur penitus, vel ad metri leges revocarentur (a). Auctor epistolarum de recta methodo studiorum Lusitanice scriptarum, qui Eques Ludovicus Antonius Vernei creditur esse, quamquam ipse negat, solumque extremam manum operi impo-

(a) Surdis canebat Guyetus; nam rhythmicae deliciae adeo in Gallia altas radices egerant, ut seculo superiori Alexander Piny Quaestiones Theologicas versibus rhythmicis incluserit, ratus, ut in praefatione ait, satis sibi praesidii adversus obtrectatores in eo esse positum, quod S. Thomas rhythmice quoque hymnos fuerit elucubratus. Pinyo praeluxerat Franciscus Penon in Conventu Parisiensi Dominicano Magister, cujus prodiit Parisiis 1651. *Hymnus Angelicus, sive Doctoris Angelici Summae Theologicae Rhythmica synopsis*. Majori laude digna est opera P. Augustini Cermelli ejusdem ordinis Praedicatorum, cujus sunt, *Hymni Sacri Emo, et Rmo D. Cardinali de Alteriis Episcopo Tudertino dicati Ferrariae* 1648. qui magnam pietatem redolent, et plerumque regulis conformantur, quamquam, ut inquit in Praefatione, *interdum non ita accurate pedes, sed sensum attendens per ipsa S. Scripturae, et magis exprimentia SS. Patrum verba* eos concinnavit. Ejusdem ordinis poetria nobilis Laurentia Strozzia anno 1588. Florentiae edidit *in singula totius anni solemnia Hymnos*, nitidos, et legitimo pede decurrentes.

fuisse fatetur, *Epist.7.* usum hymnorum rhythmicorum tamquam seculis barbaris ortum, et propagatum exagitat, et abolendum censet.

214. Ego quid sententiam, enucleate expediam. Exemplum Therapeutarum defensoribus rhythmorum nihil prodest, cum illi hymnos lingua, ut credi potest hebraica, cui rhythmus bene congruit, decantarent, neque tamen *omnes* eos hymnos fuisse rhythmicos Philo commemorat. Denique neminem ex Latinis, aut Graecis antiquis reperies, qui vocabulum *Rhythmus* pro versibus *Leoninis*, aut similiter desinentibus acceperit. Franciscus quidem Petrarcha hanc significationem admisit, remque ipsa antiquissimam arbitratus est. *Quod genus* (loquitur de suis carminibus hetruscis *in Praefat.ad Epist.*) *apud Siculos, ut fama est, non multis ante seculis renatum brevi per omnem Italiam, ac longius manavit, apud Graecorum olim, ac Latinorum vetustissimos celebratum, siquidem et Romanos vulgares rhythmico tantum carmine uti solitos accepimus.* Ceterum graeca vox *Rhythmos* nihil aliud prae se fert, nisi concinnitatem, et quod certa ratione, ac modo fit. S. Augustinus *de musica lib.5. cap.1. Quid sit versus*, inquit, *inter doctos veteres non parva luctatione quaesitum est; nec fructus defuit . . . Interesse igitur animadverterunt inter rhythmum, et metrum aliquid, ut omne metrum rhythmus, non etiam omnis rhythmus metrum sit.* Ex eodem Augustino S. Isidorus Hispalensis *Lib.1. orig. cap.38. Huic* [versui] *adhaeret rhythmus, qui non est certo fine moderatus: sed tamen rationabiliter ordinatis pedibus currit; qui latine nihil aliud, quam numerus dicitur, de quo est illud, Numeros memini, si verba tenerem.* Ven. Beda, qui seculo 8. scribebat, Rhythmum pro versu ex certo syllabarum numero, sine brevium, longarumque discrimine composito videtur accepisse (1). *Videtur autem rhythmus metri esse consimilis, quae est verborum modulata compositio non metrica ratione, sed numero syllabarum ad*

(1) De Arte metrica.

judicium aurium examinata, ut sunt carmina vulgarium poetarum. Et quidem rhythmus sine metro esse potest, metrum vero sine rhythmo esse non potest, quod liquidius ita definitur, Metrum est ratio cum modulatione: rhythmus modulatio sine ratione: plerumque tamen casu quodam inveniens etiam rationem in rhythmo non artificis moderatione servatam, sed sono, et ipsa modulatione ducente, quem vulgares poetae necesse est rustice, docti faciant docte (*a*).

215. Erat apud veteres in usu figura rhetorica dicta *similiter desinens*, cum orationis membra, vel articuli eodem modo terminabantur, et altera *similiter cadens* appellata, cum plura vocabula per eosdem casus, et per eadem tempora sibi consentiebant, et quasi concinebant (*b*). Itaque saepe in

(*a*) Rhythmi definitiones ex antiquioribus collegit Bacchus Senior *in Introductione Artis musicae*, quem primus latine vertit, et notis illustravit Marcus Meibomius *Amstelodami apud Ludovicum Elzevirium* 1652. inter alios rei musicae scriptores *Vol.* 2.. *Quid est Rhythmus? temporis commensuratio facto quodam certo motu. Secundum Phoedrum vero rhythmus est syllabarum aliqua ratione inter se constitutarum metri particeps positio. Secundum Aristoxenum: tempus divisum in unoquoque, quod rhythmus suscipere potest. Secundum Nicomachum: temporum ordinata compositio. Secundum Leophantum: temporum compositio per proportionem, et commensum inter se spectatorum. Secundum Didymum: certae cujusdam vocis figura. Vox itaque certo quodam modo figurata rhythmum efficit. Atque ita fieri amat aut in verbo, aut in cantu, aut etiam in corporis motu.* Eodem pertinent, quae de rhythmo exponit Aristides Quintilianus, et Meibomius commentatur ad ejus *Lib.* 1. *de Musica Volum.* 1., ex Plutarchi Mss. observationibus in Ptolomaeum, ex Suida, et Martiano Capella argumentum hoc illustrans. Quin audimus Ciceronem? *Quidquid est*, (inquit *Orat. fol.* 103. *edit. Aldi Venet.* 1514.) *quod sub aurium mensuram aliquam cadit, etiamsi abest a versu (nam id quidem orationis est vitium) numerus vocatur, qui graece* ῥυθμος *dicitur*:

(*b*) S. Isidorus *lib.* 1. *orig. cap.* 35. de schematibus has figuras vocabulis antiquis cum aliis Grammaticis ita explicat. *Homoptoton est, cum plurima nomina per unum casum denunciantur, ut est illud, Sed neque currentem, sed nec cognoscit euntem, Tollentemque manus, saxumque immane moventem. Homoteleuton est, cum uno modo plurima verba finiuntur, ut abiit, abscessit, evasit, erupit.*

poetis, et in oratoribus hujusmodi voces sibi consonantes reperiuntur, quas illi aut casu adhibebant, aut arte, et ratione figurae rhetoricae. Sed rhythmos latinos nostris vulgaribus penitus similes dedita opera, et studio in uno integro carmine usurpari, non ante consuevisse credam, quam postquam sermone latino corrupto carmina vernaculo idiomate conscribi coeperunt, ex quo nata est libido hoc ipsum experiendi in hymnis, aliisque versibus, et *sequentiis* latinis. Cum enim nitor, et gratia idiomatis latini periisset, ejus temporis poetae novo isthoc adsciticio decore poemata ornare voluerunt, aut vulgares poetas eodem carminum genere superare. Originem rhythmorum a natura ipsa repetit Salomon Van Til (1). *Verumtamen quia non omnium gentium eadem est linguarum proprietas, hinc quorumdam fuit mos solum ex aequalibus atque similiter desinentibus syllabis componere versus, quin longitudini, aut brevitati attenderint syllabarum: tacendo Europaeos, etiam ipsi Arabes, Persae, Africani, Tartari, Sinenses hac assueti erant forma, quam iis ab ipsa natura fuisse inditam conjicere licet, quos lapsu temporis etiam Latini imperante Nerone, ac tandem alii in Hispania, ac Italia sunt imitati.*

216. His concinit Isaacus Vossius (2) adjungens Americanos iis nationibus, quae rhythmice versus effingunt. Quae tamen ita intelligi velim, ut pro varietate linguarum homines a natura ad pangenda carmina inducti eam rationem, viamque invenerint, quae cuique idiomati congruentior agnoscitur. Nam apud antiquos Graecos, Latinosque, quibus addunt aliqui Hebraeos, rhythmus pro versibus similes litteras extremas sive unam, sive duas, sive tres habentibus nusquam reperitur usurpatus, licet aliquod exemplum e Latinis afferri possit, in quo hic lusus verborum saltem penes ultimam syllabam notetur (*a*). Quare concludendum est, non esse a lati-

(1) De cantu poeseos cap. 3.

(2) Lib. de poemat. cantu p. 25.

(*a*) Revera hymnus S. Agathae S. Damaso adscriptus hoc artificio est conditus. Psalmus abecedarius S. Augustini adversus Donatistas a.

nitatealienum ; si raro aliquis hymnus rhythmo minus proprio compositus adhibeatur, rectius tamen fore, si rhythmi duarum consonantium nullatenus novi admittantur ; monendi sunt praeterea, qui hymnis cudendis operam navant, non magno in pretio haberi laborem rhythmi unius tantum vocalis similiter desinentis, ac multum elegantiae deperire posse, si praeter alias necessarias hanc legem sibi velint imponere (*a*). 217.

populo cantandus, qui *tom.9. operum* extat, nulla metri lege alligatur, prout ipse docet *Retract. lib.*1. *cap.*20. : habet autem unaquaeque alphabeti littera duodecim versus syllabarum sexdecim singulos, quos alii dividunt in duos, singulos octo syllabarum ; nisi quod nonnunquam syllabarum numerus variat, fortasse quia versus corruptus est, et correctione indiget. Finitis versibus ad singulas litteras pertinentibus, redit semper *hypopsalma*, sive responsio iisdem verbis concepta. S. Augustinus *loc. cit. Retrac.* notat, id a se factum, et tres postremas litteras alphabeti praetermissas, nihil vero dicit de clausula versuum, qui omnes desinunt in E, quod in tam longo psalmo casus videri non debet. Quod nomen huic carminum generi fuerit, latet, neque exploratum est, quo tempore hic usus increbuerit, aut quandonam incoeperit. Nam antiquiorum exempla, quae proferuntur, non sunt aeque certa. Ex carminibus vulgi forte aliquid posset innotescere ; sed ea non sunt conservata, cum nemo curaverit poemata rudia, et impolita posteritati mandare. Muratorius quidem *Tom.* 3. *Antiq. Italic. Dissert.* 40. demonstrat, versus *Leoninos*, quorum scilicet duae postremae syllabae sibi consonant, ante Leonem Parisiensem poetam saeculi XII., qui eo genere delectatus est, in usum fuisse inductos.

(*a*) A Ven. Beda *Lib. de metris prope fin.* edocemur, jam tunc extitisse aliquos hymnos non metricos, sed tantum rhythmicos, certo numero syllabarum sine postremo lusu verborum similiter cadentium conclusos. *Quomodo*, inquit, *instar iambici metri pulcherrime factus est hymnus ille praeclarus : Rex aeterne Domine, Rerum creator omnium . . . et alii Ambrosiani non pauci. Item ad formam metri trochaici canunt hymnum de die Judicii per alphabetum: Apparebit repentina dies magna Domini, Fur obscura velut nocte improvisos occupans.* Declinante latini sermonis elegantia a vulgo ad doctos haec ratio carminum permanavit. Muratorius vero *loc.cit.* plures versus solo rhythmo constare credidit, qui vere sunt metrici; nam alii sunt trochaici ejus generis, quod spondaeos qualibet sede praeterquam in septima recipit; alii trochaici ejus

217. Improbo rhythmorum labori conjungenda est opera, quae in hymnis alphabeticis ordinandis insumitur : qua in palaestra desudavit Ferrerius, qui de hoc suorum hymnorum artificio nos certiores reddit, *Horum praecipuos juxta quorumdam ex antiquis hebreorum vatum consuetudinem servato per singula metrorum capita alphabeti ordine exaravi*. Persaepe tamen illi accidit, ut *Litterae initialis* necessitate coactus ad res extraneas avolaverit : ut in festo Pentecostes e flammis amoris divini ad Xenophanis iambicos versus Litteram *X* quaerens confugit : *Xenophanis ceu Lesbii - Te iambicis attollimus*. Et in festo SS. Corporis Christi pro Littera *X* exercitus Xersis arripit. *Xersis haud tot colligimus phalanges*. Atque ita ferè pro Littera *Y* expiscanda in alienas, absurdasque sententias, argumento minime convenientes, prolabitur.

Regula quinta.

Praeter usitatas in hymnis metri species non est nova aliqua inducenda.

218. Quinque hymnorum species in breviario Romano Guyetus recenset. Prima est iambici dimetri : *Jam lucis orto sidere*. Altera est sapphici cum quarto adonio : *Iste confessor Domini colentes*. Tertia asclepiadei juncto post tres versus glyconio : *Sanctorum meritis inclyta gaudia*. Quarta species est iambici trimetri, ut in festo SS. Apostolorum Petri, et Pauli, *Decora lux aeternitatis, auream*. In quinta specie reponuntur trochaici : *Pange lingua gloriosi - Lauream certaminis*. Animadvertit Guyetus, ante correctionem Urbanianam hy-

generis, quod pyrrhichium primo loco admittit ; illi autem, quos Hadrianus Imperator moriens fertur effudisse, sunt iambici dimetri, quorum primus, secundus, ac tertius pes possunt esse iambi, vel spondaci, vel anapaesti, vel tribrachi. Jam siquis rhythmo solo hymnos componere voluerit, nonnullos ecclesiasticos auctores imitabitur, necnon Graecos, quorum aliqui hymni versibus *politicis*, ut ipsi ajunt, nempe rhythmicis, procedunt. Apud Latinos autem melioris notae desunt hujusmodi exempla. Versus politici quindecim syllabis conclusi apud Graecos mediae aetatis inventi sunt.

mnos in festo dedicationis fuisse trochaicos, pro quibus substituti sunt iambici dimetri sex versus in unaquaque stropha complectentes, quod novum hactenus fuerat, cum singulae strophae in hymnis iambicis dimetris quatuor versibus absolvantur. Praeterea formam hymni de S. Elisabeth: *Domare cordis impetus Elisabet - Fortis, inopsque Deo*, tamquam cantui ineptam traducit, ejusque hymni auctorem se ignorare innuit.

219. At vero tum hanc speciem hymni, tum aliam, quam omittit Guyetus, in festo S. Hermenegildi induxit Urbanus VIII.. Nam hymnus S. Hermenegildi continet duos primos asclepiadeos, tertium pherecratium, quartum glyconium: *Regali solio fortis Iberiae - Hermengilde jubar, gloria Martyrum, - Christi quos amor almi - Caeli coetibus inserit*. Alium hymnum condidit Urbanus VIII. alterius generis, scilicet alcaicum in diem festum S. Bibianae: *Flos o Quiritum candide virginum - Caeli decus lux fulgida Martyrum, - Quas ornat effusi cruoris - Purpureum Bibiana tegmen*. Insertus non est hic hymnus in breviario Romano; sed in Basilicae S. Mariae Majoris officio recitatur. Has, aliasque hymnorum species in breviario Cluniacensi sub Santolii Victorini, et poetarum recentiorum nomine cernere licet, ut *Hymnus Santolii Victorini die 2. Februarii, Stupete gentes, fit Deus hostia. Ejusdem die 15. Augusti, O vos aetherei plaudite cives*. Idemque animadvertitur in breviario Parisiensi, aliisque Gallicanis. Qui vero ad normam breviarii Romani hymnos conficere volet, genus odae quodlibet ex usitatis in eodem breviario amplecti poterit; nam jam intelligitur facta idonea modulatio cantus musici in hymno, qui praecesserit; sed extra hos terminos, praefixasque hymnorum species non est excurrendum.

220. Neque abs re erit breviter explanare, quot, quibusque pedibus singulae species versuum breviarii Romani constent, quantum scilicet harmonica modulatio patitur. Iambicus dimeter quatuor habet pedes, secundum, et quartum

iambos, primum, et tertium vel iambos, vel spondaeos, *Jam lucis orto sidere* (*a*). Sapphicus habet primo loco choreum, secundo spondaeum cum penthemimeri, tertio dactylum, quarto, et quinto choreum, *Iste confessor Domini colentes*. Adonius, qui veluti strophae clausula post tres sapphicos apponitur, constat dactylo, et spondaeo, *Laudis honores*. Asclepiadeus habet primo loco spondaeum, secundo dactylum, tum syllabam in medio longam cum caesura, aut divisione a verbo sequenti, ac deinde duos dactylos, *Sanctorum meritis inclyta gaudia*. Glyconius, qui saepe tribus asclepiadeis adjicitur constat spondaeo, et duobus dactylis, *Victorum genus optimum*. Primus pes Glyconii aliquando est choreus, raro iambus. Nonnunquam post duos asclepiadeos apponitur pherecratius ante quartum gliconium. Versus ergo pherecratius constituitur ex primo spondaeo, secundo dactylo, tertio spondaeo, *Christi quos amor almi*. Primo loco iambum, vel choreum, sed raro admittit.

(*a*) In iambicis dimetris pro majori suavitate aliam regulam tradidit Erasmus *in praefation. comment. ad Prudentii hymnum de Natali pueri Iesu*, quam *ex colloquio poetico* partim exhibui *num.* 178. *in nota*. *Ambrosius*, inquit, *hoc genere potissimum est delectatus, in quo illud a nobis est observatum, quod plerumque penthemimeris finit dictionem, et ab hac dictio trisyllaba claudit dimetrum. Quae compositio carmen efficit mollissimum, ut: Deus creator: haec est penthemimeris. Sequitur dictio dactylica: omnium ... Id frequentius fit apud Ambrosium, quam ut casus videri possit. Nec infrequenter idem observat noster Prudentius .... Quamquam in genere carmen omne mollius est, quoties penthemimeris finit dictionem .... Hoc carminis genus putant esse mollissimum, quod alternat spondaeis, et iambis, qualia pleraque sunt Ambrosiana, et Prudentiana.* Placent haec monita, sed non ut omnes versus prorsus similes inter se sint, et hac mensura decurrant: Jam lucis orto sidere. Alioquin ex versibus mollissimis carmen monotonon coalesceret; longeque abesset varietas illa, et harmonia, sive concordia discors, quae in Horatii lyricis, et in Virgilii heroicis aures demulcet, et animos extra se rapit. Admisceantur ergo interdum versus varia, et diversa mensura, ut totus hymnus gratior evadat.

221. Versus iambicus trimeter acatalecticus, qui *senarius iambicus* dicitur, sex habet pedes iambos omnes, si purus sit; cum est mixtus, requirit locis paribus, nimirum secundo, quarto, et sexto iambum, locis autem imparibus, primo, tertio, et quinto recipit spondaeum, *Decora lux aeternitatis auream*. Alios pedes recipit quidem senarius iambicus, sed longiores, adeoque numerum syllabarum augentes, pluresque notas musicas postulantes. In hymno S. Elisabeth Urbanus VIII. post unum iambicum senarium inseruit dactylicum archilochium, nempe duos dactylos, et unam syllabam, *Fortis, inopsque Deo*. Superest explicandum carmen trochaicum archilochium. Si legitimum sit, constare debet septem pedibus, et una syllaba in fine, sive quod perinde est, componitur ex trochaico alcmanio, et ex trochaico euripidio. Trochaicum alcmanium constat quatuor choreis, recipit tamen secundo, et quarto loco spondaeum; trochaicum euripidium componitur ex tribus choreis, et una syllaba in fine, sed loco secundo admittit spondaeum. Ex ecclesiae consuetudine euripidium dividitur ab alcmanio, eidemque subjicitur, *Pange lingua gloriosi - Lauream certaminis*. Veteres autem non dividebant, sed unum integrum versum compingebant, ut Prudentius *hymno 9. Cathemerinon*, *Da puer plectrum choreis ut canam fidelibus*. Veteres imitatus Prosper Martinengius, monachus Casinensis, librum integrum eo carminum genere evulgavit Romae 1589. in 4., cui titulus, *Theotocodia*, quod Deipara hymnis in eo celebretur.

222. Itaque si ad antiquorum normam trochaicum archilochium quis contexere voluerit, caveat, oportet, ne ultima vocalis alcmanii, sive primi versus elidenda sit ob concursum alterius vocalis, qua inciperet versus secundus, sive euripidius. Quam ego regulam tradere ausim non tam mea opinione, quam judicio cl. Viti M. Giovinazzi confirmatus, qui egregius novorum scriptorum censor, atque alter veluti Horatius hoc tempore Romae celebratur. Profecto huic legi religiose paruisse Prudentium, aliosque veteres trochaicorum

auctores, facile sibi persuadebit, qui eorum carmina evolverit. In breviariis Gallicanis recentibus, uti in Parisiensi, aliisque Santolius Victorinus, ejusque frater Santolius Maglorianus, ac ceteri culti poetae hujus praecepti poetici nullam rationem habuerunt, sive divisione versuum delusi sunt, sive ex hac divisione contra antiquum morem agere sibi licere existimarunt. In hymno, *Lustra sex qui jam peregit*, hic concursus vocalium inter unum, et alterum pedem semel observatur sine elisione, *Atque portum praeparare Arca mundo naufrago* (a).

223. Non est autem praetereundum, quod Ricciolius animadverit (1). *Qui aurium tantummodo leges sectantur, et a regulis trochaici legitimi recedere non dubitant, dummodo quartus pes sine caesura sit, et in fine adsit choreus cum una syllaba, reliquis in locis quoslibet dissyllabos non respuunt, ut fecit Sidonius, et alicubi Catullus, et vetus poeta apud Suetonium.* Ego vero Sidonium hoc carminis genere lusisse nusquam reperi. *Pervigilium Veneris* non esse Catulli docti consentiunt, quod certe carmen corruptissimum est. Sed tum hujus carminis versus, tum alii trochaici, qui apud Suetonium leguntur, revocari possunt ad regulam, quam tradidit Beda, ut carmen trochaicum plures spondaeos admittens gravius decurrat (2). *Metrum trochaicum tetrametrum, quod a poetis Graecis, et Latinis frequentissime ponitur, recipit locis omnibus trochaeum, spondaeum omnibus praeter tertium. Currit autem al-*

(a) Peccatum hoc correctorum proprium est: nam in hymnariis, et breviariis vetustissimis legitur, *Nanta mundo naufrago*. Alii legendum putant, *Nante mundo naufrago*, alii, *Nata*. Jacobus Meyerus in notis ad hunc hymnum apud Cassandrum advertit, in hoc altero versu, *Et medelam ferret inde, hostis unde laeserat*, aspirationem *b* in *bostis* esse pro consonante, negatque hoc metrum dividi posse, ut alternatim currat. Fatendum tamen est, apud ecclesiasticos scriptores antiquam hanc esse consuetudinem, ut dividatur, cujus testis est Beda *in Libro de metris*. Sed recentiores hymnographi regulis Bedae non satis fidere videntur, ut mox dicam.

(1) Part.7. prosod. cap.6. regula 3. (2) De arte metrica.

ternis versiculis ita ut prior habeat pedes quatuor, *posterior tres*, *et syllabam*. *Hujus exemplum totus hymnus ille pulcherrimus*, *Hymnum dicat turba Fratrum*, *Hymnum cantus personet*, *in quo aliquando et tertio loco prioris versiculi spondaeum reperies* (*a*). His omnibus praeceptis siquis obtemperet, quamlibet speciem hymnorum ad usum breviarii Romani rite, recteque conficiet.

224. Consuetudo recentior obtinet, ut sapphici, asclepiadei, et iambici dimetri seligantur. De Graecorum, Syrorumque diversis metris in canticis ecclesiasticis agit Petrus Benedictus (1), asserens, S. Ephrem heptasyllabo plerumque usum, S. Jacobum Sarugensem tetrasyllabo ter repetito, Graecos ad octo tonos hymnodiam redegisse, Syros per tonos septuaginta

(*a*) Censeo recte hymnos confici posse ad hujus regulae praescriptum. Nam praeterquamquod usitatum id fuit a S. Hilario, aliisque Christianis scriptoribus, in ipso seculo Augustaeo aliquod vestigium carminum hujuscemodi apparet, velut apud Suetonium versus in Caesarem, *Gallos Caesar in triumphum ducit*: *iidem in curia Galli braccas deposuerunt*, *latum clavum sumpserunt*. Ubi *deposuerant* est quadrisyllabum, et *sumpserant* habet E breve. Similes sunt alii versus apud eundem Suetonium pariter adversus Caesarem cantati. *Urbani servate Uxores*, *maechum calvum adducimus* etc. Accedit, gravitatem, quae ex spondaeis repetitis oritur, majestati hymnorum maxime congruere, et oportere negligere leges non necessarias, cum aliunde plurimae sint necessario ad modulationem cantus observandae. Obsistunt his plerique recentiores. Meyerus *in notis ad Hymnum*, *Pange lingua* notum esse ait spondaeum tantum admisceri locis imparibus, nec contrarium fieri *nisi fortassis rarissime*. Gregorius Valentianus a Marsalia *in apparatu ad hymn. eccles.* affirmat, trochaicum versum semper in prima, et tertia sede trochaeo constare. Correctores Romani in hymno, *Pange lingua* spondaeos a locis omnibus imparibus amandarunt: in quo tamen Meyerus adeo licenter fuit versatus, ut dixerit legendum: *Dulce lignum*, *dulce signum*, pro: *Dulce lignum*, *dulces clavos*; item: *Ut superni membra Regis mite tendas stipite*, pro: *miti tendas stipite*, ne Fortunatus spondaeos locis imparibus posuisse argueretur. Ceteri horum temporum hymnographi plerique his severioribus legibus se obstrinxerunt; sed interim concursum vocalium inter quartum, et quintum pedem non evitarunt.

(1) Tom. 2. Oper. S. Ephrem in praefatione ad lectorem.

quinque supra ducentos fuisse vagatos. Apud antiquos Latinos non una, nec constans fuit metri ratio, sed varia, et multiplex pro temporum varietate, ingenioque scriptorum, ut liquet ex Prudentio, Hymnario Mozarabico, aliisque pervetustis.

Regula sexta.

Hymnus nec plus aequo longior, nec brevior sit.

225. Ratio, ac natura ipsa hanc regulam praescribit; sed quaenam sit nimia aut longitudo, aut brevitas hymnorum, superest inquirendum. Guyetus nec breviores hymnos quinque strophis, nec longiores septem admittit. Santolius Victorinus ad decem, vel plures aliquando strophas hymnos breviarii Cluniacensis protraxit, quod Monachis Choro assuetis non ingratum fortasse fuerit. Breviarium Romanum hymnos ejus fere longitudinis habet, quam Guyetus praescribit. Nec desunt hymni, qui tribus tantum strophis absolvantur, nec rursus, qui ad novem strophas extendantur. Modus ergo optimus erit, quinque, vel sex strophas in sapphicis, et asclepiadeis, sex, septemve in iambicis trimetris adhibere. Audivi aliquando, numerum imparem stropharum ob Chori, et cantus commoditatem esse praeferendum. Sed cum id nusquam legerim confirmatum, et passim optimi Hymnographi recentes numerum parem adhibeant, nihil habeo, quo novam hanc legem statuam, aut corroborem. Solum Muretum animadverti impari stropharum numero suos omnes hymnos conclusisse.

Regula septima.

Pro unoquoque officio non plures hymni fiant, quam tres, vel unus in tres partes divisus.

226. Solent in quibusdam breviariis quatuor hymni proprii recitari, ad vesperas, ad matutinum, ad laudes, et ad secundas vesperas. Hujusmodi quatuor hymni sunt in breviario Turonensi pro quolibet festo S. Martini, nimirum decem universe praeter septem alios in officio ejus parvo. Ex usu breviarii Romani aliter res procedit, nam ubi hymni proprii

sunt inserendi, aliquando unus tantum, aliquando duo, saepe tres admittuntur, nunquam plures. Etenim hymnus pro primis vesperis ad secundas vesperas repeti consuevit.

Regula octava.

Congruenter hymnus perficitur 1. *invocatione Numinis, aut invitatione ad laudandum Deum, aut denunciatione celebritatis,* 2 *historica narratione Mysterii, seu Vitae Sancti celebrandi,* 3. *petitione, seu obsecratione.*

227. Hanc regulam tradit Guyetus, licet fateatur, exempla contraria non deesse. Ac sunt sane multa exempla, quibus istiusmodi methodus non observatur. Permittendum est enim poetae, ut qua malit parte, incipiat, pergatque libere, dummodo legitimum carmen in Dei, Sanctorumque ejus laudem efficiat, more, et exemplo psalmorum, qui nullis certi ordinis legibus adstringuntur, sed prorsus poetice ad divinas laudes celebrandas vagantur. Non propterea negaverim, hymnos breviarii Romani magna ex parte eo artificio, quod Guyetus explicat, esse conditos, majoremque laudem assecuturum, qui intra hos terminos impetum contineat, quam qui effraeni quadam sublime volandi cupidine incitatus non tam se extollat, quam in praeceps ruat.

228. Historicam hymni narrationem idemmet Guyetus admonet, ac ratio ipsa rei penitus persuadet, constare debere ex factis propriis, eximiis, et selectioribus; docet praeterea cavendum, ne ulla diei, quae vera non sit, fiat designatio. Huic praecepto adhaerens Clarus mutavit versus hymni de communi Confessoris Pontificis, et non Pontificis, *Hac die laetus meruit beatas - Scandere sedes*, aliosque supposuit, quibus certus dies mortis non exprimeretur, ut eo pacto occurreretur molestiae indagandi, sitne, an secus dies obitus. Sed ubi maxime oportuit veritati historicae consulere, suam regulam Clarus neglexit, canens *in auctario* de S. Josepho, *Hac die Christi moriens in ulnis - Occidit*. Nota est ea rubrica breviarii, qua mutatio praescribitur, si non sit dies obitus. Simile quid legitur in hymno de communi Confessoris non Ponti-

Pontificis ad Laudes stropha 3. (*a*), *Anni reverso tempore - Dies refulsit lumine, - Quo Sanctus hic de corpore - Migravit inter sidera*. Haec tamen stropha mutationi non subjacet, forte quia *refulsit* praeteritum est, neque dicitur *haec* dies. Ut igitur nulla in his supersit difficultas, hymnus non designet, diem certum, quo canitur, fuisse emortualem Sancti, qui celebratur, ne si translatio officii fiat in alium diem, aut falsum narretur, aut necesse sit, versum aliquem in alium commutari.

Regula nona.

In postrema hymni stropha Doxologia semper, et idonea ratione exprimatur.

229. Doxologia (*b*), sive Glorificatio SS. Trinitatis quo

C c

(*a*) Plures quaestiones ad rubricarum de hymnis disciplinam pertinentes explicat Guyetus, *Lib.* 3. *cap.* 5. *quaest.* 7. nimirum hymnum debere esse iambicum dimetrum, ut in festis, et octavis Christi Domini, et Deiparae conclusio communis mutetur; esse conclusionem propriam, non communem, in hymnis vesp. et matut. tempore Quadragesimae, et ad laudes S. Mariae Magdalenae. Capite vero 13. *lib.* 3. *quaest.* 8. docet, quid cavendum in hymno, *Iste Confessor*, affirmans breviarium Parisiense, et Meldense omittere in laudibus hunc versum: *Quo Sanctus hic de corpore*. Sed conferendus est Cavalerius *tom.* 1. *cap.* 13. *decreto hujus capitis I. in ordine* 332. *et tribus decretis sequentibus*, qui diserte tradit, quandonam dici debeat, *Meruit supremos Laudis honores*, asserens infra octavam festi in die obitus celebrati dicendum esse: *Scandere sedes*. Quaerit etiam, cur in quibusdam Sanctorum orationibus verbum *natalitia* in translatione non mutetur, et in officio Conceptionis etiam extra diem proprium, et octavam proferatur antiphona: *Conceptio est hodie*. Plura etiam habet de Hymnis S. Hermenegildi, S. Martinae, S. Venantii, S. Teresiae, *Ave Maris Stella*, S. Josephi. Facilius quidem est ex rubricis quid agendum sit, definire, quam proprias uniucujusque mutationis rationes explorare. De S. Teresia bis in anno recitabant Hispani diversis diebus hymnum Urbani VIII. *Haec est dies, qua candidae Instar Columbae Caelitum Ad sacra templa Spiritus Se transtulit Teresiae*. Sed anno 1738. S. Rit. Congregatio jussit, in festo transverberationis dici: *Felix dies, qua candidae*.

(*b*) Hymnus Angelicus, sive Seraphicus, *Gloria in excelsis Deo* dici etiam solet *Doxologia*, et ali-

tempore in ecclesia coeperit, et quale fuerit initium pervulgati versus, *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in secula seculorum*, magna est inter scriptores dissensio. Sed mihi omnem dubitationem adimit Magni Basilii cum auctoritas, tum efficacia argumentorum, quibus perspicue demonstrat, hymnum glorificationis SS. Trinitatis a prima Evangelii adnunciatione perpetuo fuisse in ecclesia usitatum, locupletissimos testes adducens Clementem Alexandrinum, Dionysium Alexandrinum, Irenaeum Lugdunensem, Julium Africanum, Origenem, Firmilianum Caesariensem, Gregorium Thaumaturgum; confirmans, additamento, *sicut erat*, jam usos fuisse Clementem Alexandrinum, Dionysium Alexandrinnm, Irenaeum, ac Julium Africanum. Non ergo hymnus glorificationis a synodo Nicaena primum auctus fuit additamento, *sicut erat*, quod innuit Baronius ad an. 325. num.6.; neque aliud volunt synodus II. Vasensis canon. V., et Vita S. Damasi, lectionesque ejus in breviario Romano, nisi quod hoc additamentum tempore S. Damasi adjici psalmodiae coeptum fuerit per varias ecclesias, ut erudite explicat Christianus Lupus (1).

230. In Antiochena ecclesia post exortam haeresim Arianam cum Ariani, et Catholici ad officia divina celebranda simul convenirent, glorificationem SS. Trinitatis post psalmos, et hymnos alii alio modo proferebant, ut auctor est Sozomenus (2): *Sed per choros, ut apud illos moris est, distributi inter psallendum sub finem hymnorum singuli sententiam suam declarabant. Nam alii Patrem, et Filium honore aequalem glorificabant; alii vero Patrem* IN *Filio hac propositione adjecta denotantes, Filium Patre inferiorem esse*. Congruit Theodoretus (3) Leontii Antiocheni Episcopi fraudulentam simulatio-

quando hoc discrimen interponitur, ut versiculus, *Gloria Patri* dicatur *Doxologia minor*, hymnus Angelicus *Doxologia major*.

(1) Tom.1. oper.in Can.Concil. Nicaeni cap.7.

(2) Lib. 3. cap. 20.

(3) Lib.2. histor. cap.24.

nem detegens, qui, necui parti displiceret, satagebat: *Cernens itaque* (Leontius) *tam clerum, quam populum duas in partes divisum, et alios quidem conjunctivam particulam in glorificatione Filii usurpantes, alios vero praepositionem* PER *tribuentes Filio*; IN *autem Spiritui sancto applicantes, ipse glorificationem submissa voce proferebat, ita ut haec solum verba* IN SECULA SECULORUM *exaudirent ii, qui propius adstabant*.

231. Quod igitur Philostorgius factionis Arianae fautor, et assecla (1) ait; *Flavianum Antiochenum collecta monachorum multitudine primum omnium acclamasse*, GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITUI SANCTO *etc.*; id, ut conjicio, intelligit de recta formula glorificandi Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, cujus primum auctorem comminiscitur fuisse Flavianum: non quod neget, aliquam formulam adhiberi olim consuevisse, qua gloria SS. Trinitatis praedicaretur.

232. Intolerabilior est error Nicephori Callisti, qui (2) asseverat, quod *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto a Flaviano Antiocheno, adjuvante Chrysostomo, est inventum*; cum longe ante Flavianum Antiochenum Antistitem, et S. Chrysostomum simulatio Leontii Aniocheni Episcopi acciderit, cui successit Eudoxius anno 359.. Neque intelligi potest Nicephorus locutus de Flaviano Antiocheno monacho; nam quo tempore is orthodoxam glorificationis formulam adversus Arianos, non invenit, sed promovit, et tutatus est, nondum Chrysotomus in ea erat aetate constitutus, ut Flaviani conatus posset adjuvare. Flaviano monacho Antiocheno in choris duas in partes dividendis adjutorem fuisse Theodorum, seu Diodorum narravit Theodoretus supra §. *VIII. num.* 30.. Itaque ut Ariana haeresis funditus everteretur, antiqua catholica formula glorificationis aequalem honorem Patri, Filio, et Spiritui sancto tribuens a Conciliis, a SS. Patribus, a summis Pontificibus vindicata est, et, ut frequentius in ec-

Cc 2

(1) Lib.3. cap. 3. (2) Lib.10. cap.51.

clesiasticis precibus repeteretur, utilissimis sanctionibus cautum per omnes ubique ecclesias (*a*).

233. Diversum glorificationem concinendi morem in quibusdam ecclesiis commemorat Cassianus (1): *Illud etiam, quod in hac provincia vidimus, ut uno cantante in clausula psalmi omnes adstantes concinant*, GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITUI SANCTO, *nusquam per omnem orientem audivimus, sed cum omnium silentio ab eo, qui cantat, finito psalmo orationem succedere, hanc vero glorificationem Trinitatis tantummodo solere antiphona terminari*. Clarior est sensus, si legas cum Gazaeo in sua Cassiani editione: *Hac vero glorificatione Trinitatis tantummodo solere antiphonam terminari*. Quam lectionem a Baronio ad *annum* 325. mutuatus est, adducens hanc interpretationem, non dici ab illis monachis versum, *Gloria Patri*, in fine psalmorum, sed in fine antiphonarum. Gothi in Hispania glorificationem ita proferebant, ut dicerent,

(*a*) Binghamus *Antiquit. eccles. lib.*14.*cap.*2. §.1. negat, ante Concilium II. Vasense anno 529. diserte fieri ullam mentionem clausulae: ***Sicut erat in principio et nunc et semper in secula seculorum***. Sed praeter vitam S. Damasi ex archiviis Canonicorum S. Petri editam, qua S. Damasus hoc additamentum doxologiae per omnes ecclesias enunciari decrevisse refertur, nisi Binghamus cavilletur in his verbis: ***Sicut erat in principio***, manifestum est, reipsa hanc formulam antiquissimam esse, et apostolicam. S. Basilius *Lib. de Spiritu sancto cap.*29. plures formulas glorificationis verbis nonnihil discrepantes, re consentientes adducit, et inter eas hanc, quam Dionysius Alexandrinus a Senioribus acceperat: ***Deo autem Patri, et Filio Domino nostro Jesu Christo cum S. Spiritu gloria, et imperium in secula seculorum Amen***: Eadem postrema verba alii veteres proferunt. Quod autem idem Binghamus *loc. cit.* Cardinalem Bona coarguit, quod is S. Basilium ***tamquam reprehensibilem repraesentaverit***, nihil vero S. Leoni objecerit, cum uterque eadem omnino doxologiae formula usus fuerit, id nihili est faciendum. Cardinalis Bona formulam a S. Basilio, et a S. Leone usurpatam aeque catholicam esse profitetur; sed pro diversitate loci, et temporis cum Basilius in offensionem quorumdam incurrerit, non autem S. Leo, admonet, oportere, Episcopum ***irreprehensibilem*** esse, et omnem etiam speciem mali effugere.

(1) De instit. Coenob. lib. 2. cap. 8.

Gloria et honor Patri etc., ut in concilio Toletano IV. cernitur, et praescribitur *in Indice sacrorum canonum, et conciliorum in Hispania ab ineunte sexto seculo ad initium octavi* (1); *Quod non sit aliter dicendum nisi*, GLORIA, ET HONOR PATRI, ET FILIO, ET SPIRITUI SANCTO. *Epistola Vigilii ad Profuturum*. *Quod in fine psalmorum* GLORIA, ET HONOR DEO *sit dicendum*. *Concil. Tolet. IV.*. Laudabilis consuetudo laudandi SS. Trinitatem in fine psalmorum ad hymnos quoque traducta est, et probabile apparet, ut supra dixi *num.* 66., carmen S. Ambrosii, quo se perculsos Ariani fatebantur, fuisse postremam hymnorum clausulam, qua eadem Patris, Filii, et Spiritus sancti virtus, et divinitas a populo concinebatur (*a*).

234. Exinde hic mos inductus est, ut non solum psalmi, sed hymni quoque doxologia concluderentur. Accidit vero aliquando, quod cum Trinitatis mysterium difficilius sit carmine, quam oratione soluta clare, et distincte exprimere, quidam in doxologia metrica, et in alia quavis Trinitatis laudatione versibus concepta non omnibus satisfecerint, sive data opera, et studio sententiam verbis obscuris involverint, sive necessitate carminis coacti dubium sensum reddiderint. Victorini Afri tres hymnos de homousio recipiendo benignum interpretem in nonnullis requirere ait Launojus (2). Joannes Maria Brasichellanus in Romano Indice observat, Synesium

(1) Apud Catalanum tom. 4. Concil. Hispan. pag. 4.

(*a*) Hincmarus *lib. de non trina Deitate* refert quinque diversas hymnorum clausulas doxologiam exprimentes, quas S. Ambrosii esse testatur; prima incipit, *Praesta Pater piissime*; altera, *Deo Patri sit gloria*; tertia, *Laus honor, virtus, gloria*; quarta, *Gloria tibi Domine*; ac postrema, *Christum rogemus, et Patrem*. Ex quibus collectio hymnorum S. Ambrosii a Benedictinis Editoribus nimis parce, et restricte confecta potest augeri. Sunt etiam aliqui hymni, quos in laudem SS. Trinitatis praecipue direxisse videtur Ambrosius, velut hi, quos Hincmarus *eod. loc.* laudat: *Tu Trinitatis unitas, Orbem potenter quae regis*, et alter, *O Lux beata Trinitas, Et principalis unitas*.

(2) In Dissert. de Victorinis.

Platonica quaedam suis hymnis inseruisse; praesertim cum de Trinitate loquitur, vix potuisse exactam loquendi rationem poeticis numeris retinere, ut tradit Labbaeus *de script. eccles.*. Acerrimum vero exarsit bellum seculo nono circa glorificationem hymni de communi plur. Martyr. ad vesperas, *Te trina Deitas, unaque poscimus*. Contendebat Hincmarus, Deitatem non esse dicendam trinam, et hunc loquendi modum proscripsit. Ratramnus contra pro hymno stetit, et schedulam in eandem sententiam scripsit Gothescalcus, qui tunc temporis ab Hincmaro carcere inclusus detinebatur. Huic scripto respondit Hincmarus libro edito, *De non trina Deitate*, asserens, recentem esse hunc hymnum, *Sanctorum meritis inclyta gaudia*, licet auctorem invenire se non potuisse fateatur; satius esse, ut quando monachis, unde hic hymnus prodierat (*a*), veteres essent hymni, hos canerent, omissis novis, et qui certo auctore carerent.

(*a*) Christianus Lupus infra laudandus opinatur, hymnum, *Sanctorum meritis* e Monasteriis Benedictinis prodiisse, unde plures hymni ecclesiastici ortum duxerunt. Certe Petrus Diaconus Casinensis monachus, qui obiit anno 1140., et catalogum Virorum Casinensium illustrium contexuit, plurimos eorum hymnis concinnandis vacavisse testatur, nimirum Albericum Diaconum Cardinalem S. R. E., Cyprianum Presbyterum, Paulum Diaconum, Theodoricum, Alphanum Salernitanum Archiepiscopum, Benedictum, qui et Guaiferius dictus est, Gregorium Tarracinensem Episcopum, Raynaldum Casinensem Subdiaconum. Hunc vocat cl. Zacharias *tom.* 2. *biblioth. rit.* Rinaldum Abbatem Casinensem Cardinalem tituli SS. Petri, et Marcellini, qui scripsit hymnos de S. Severo Abbate Casinensi, de S. Mauro, de S. Placido excusos omnes cum breviario Casinensi anno 1568., et 1572.. Petrus ipse Diaconus se auctorem prodit hymni de Sancta Christina. Placidus Romanus supplementum adjecit, quo ceteros hymnographos Casinenses complectitur, sed plerosque ad seculum XVI. pertinentes, Ignatium Florentinum, cujus est hymnus in honorem SS. Trinitatis breviarii Casinensis, Angelum Sangrinum Abbatem, Joannem Evangelistam, Gregorium Cortesium Cardinalem, cujus laudatur hymnus in Deiparam, et Hymnorum diverso metro liber. Prosper Martinengius monachus Casinensis Romae 1590. edidit odas suas sacras cum hymnis illustrium

235. Tum aggreditur ad probandum, catholicam non esse rationem loquendi, qua Deitas *Trina* dicitur, posse ejus loco poni, *Te sancta Deitas*. Respondet praeterea contrariis quorumdam auctorum exemplis, quibus eundem, vel similem loquendi modum usurpatum fuisse Gothescalcus confirmabat. Quo loco haeret aqua Hincmaro, neque ea affert, quibus se ab objectionibus extricet. Quod enim ait, Prudentium dixisse, *Numine triplici*, *vel Nomine*, *et trinam Pietatem*, et alibi ad demonstrandum tres Personas unius substantiae, *Est tria summa Deus*, *trinum specimen*, itemque Aratorem scripsisse *trinam Potestatem*, *sed metri necessitate*, *quae non praejudicat liberae fidei simplicitati*; id inquam, recte habet; at quid erit causae, cur auctor hymni *de communi plur. Martyr.* eadem defensione non utatur, cum fere eadem sint vocabula? Videri potest Christianus Lupus (1), qui monachi Gothescalchi aerumnas, et carcerem miseratus, ejus causam adversus Hincmarum tuetur. Qui autem Lupus asseruerit, quod *a multis seculis in hymno de SS. Martyribus cantavit omnis latina ecclesia*, *Te trina Deitas*, *unaque poscimus*, non satis assequor; quandoquidem statim ac ille hymnus divulgari coepit, Hincmarus eam loquendi rationem, damnavit, cujus vel argumentis, vel auctoritate plures ecclesiae permotae loquutionem in hunc modum correxerunt, *Te summa Deitas*, *unaque poscimus*.

236. Ita cecinit antiquitus ecclesia Romana, neque aliter unquam cecinisse constat, donec sub Urbano VIII. ut metri lex servaretur, leviter correctus est versus, *Te summa o Deitas*, *unaque poscimus*. Aliae ecclesiae, et monasteria primam lectionem retinuerunt, quae in breviario Cluniacensi quantumvis emendato eodem modo perseverat. Similem loquendi

monachorum Casinensium. Fere omnes isti Monachi post Hincmarum floruerunt, neque de his, qui praecesserunt certa duci potest conjectura, quod hymnum, *Sanctorum meritis* confecerint.

(1) Tom. 2. oper. Dissert. posthum. de vocibus substantia, essentia, persona etc.

formulam adhibuit Agobardus Lugdunensis Episcopus, qui eodem seculo cum Hincmaro floruerat, in hymno ad translationem Reliquiarum SS. Martyrum Cypriani, Sperati, Pantaleonis, cujus haec est conclusio, *O triplex honor, o triforme culmen, - O tres magnifici, piique Testes - Sit nobis triplici o favens precatu - Pollens unica Trinitas per aevum*. S. Thomas veterem etiam versum adoptavit, et in hymnum officii de SS. Corpore Christi transtulit, *Te Trina Deitas, unaque poscimus - Sic nos tu visita, sicut te colimus*. Quo lis omnis prorsus dirempta est, cum hymni S. Thomae et maxima scriptoris auctoritate, et universae ecclesiae Romanae eos recitantis approbatione nullum dubitandi locum relinquant. A Sedulio neglectam fuisse carminis legem, ne obscure Trinitatis myterium exprimeret, animadvertit V. Beda de arte metrica: *Sedulius in clausula carminis, cujus supra memini, cum dixisset*: GLORIA MAGNA PATRI SEMPER, TIBI GLORIA NATE, *subdit*: CUM SANCTO SPIRITU GLORIA MAGNA PATRI. *Spiritus enim primam syllabam habet longam ... Sed poeta ut gloriam sanctae, et individuae Trinitatis clara voce decantaret, neglexit regulam grammaticae dispositionis*.

237. Quae omnia latius exposui, ut liqueat, quanta cura, ac diligentia adhibenda sit in SS. Trinitatis mysterio versibus comprehendendo, ac nequis formulas loquendi Patribus, et antiquitati ignotas usurpet; tum etiam, ut fidem *num*.38. datam liberarem, qua de hymno glorificationis longiorem orationem me adhibiturum esse spopondi. Ceterum hymnorum clausula plerumque unitatem essentiae, trinitatemque personarum sive singillatim, sive universe expressarum complectitur, paremque, et jugem honorem praedicat. Interdum vero sola Trinitas sine distincto nomine Unitatis essentiae, aliquando sola Deitas, sive natura divina sine Trinitatis commemoratione celebratur. Nec raro laus Christo dicitur, quin Pater, et Spiritus sanctus exprimantur. At in solemnitatibus B. Mariae Virginis illud usu receptum animadverto, quod

quod mentio virginalis partus fiat. Quarum rerum omnium cum passim obvia sint in breviario Romano exempla, inutili labore ea indicanda susciperem.

§. XXXII.

De auctoritate Episcoporum in hymnos in ecclesia cantari solitos.

238. Hactenus de regulis, quibus novi hymni cudi, aut antiqui recudi possint. Nonnihil modo dicendum est de auctoritate, qua hymni correcti, aut alii recentes in ecclesiis singularibus sint admittendi. Instituitur autem haec quaestio tum de hymnis in officio ecclesiastico recipiendis, tum de aliis sive latinis, sive vulgaribus in ecclesia decantandis. In correctione vero, vel additione hymnorum intra officium rursus distinguendum est inter Episcopos, in quorum dioecesibus receptae sunt Bullae summorum Pontificum correctionem breviarii praescribentium, et inter alios, in quorum dioecesibus non sunt receptae, ipsis Romanis Pontificibus scientibus, et tolerantibus; quam distinctionem affert doctissimus Pontifex Benedictus XIV. (1). In dioecesibus, quae breviarium Romanum correctum receperunt, nihil posse Episcopos addere, vel mutare sine Romani Pontificis approbatione pro certo haberi debet. Merito igitur laudatus Pontifex invehitur in quemdam Episcopum, qui aliter sentire videbatur. *Post haec*, inquit, *quo modo factum sit, ut in aliquibus ultra montes dioecesibus nova quotidie breviaria edantur, ignoratur* (a). *Non*

Dd

(1) De Serv. Dei Beatif. et Canon. lib. 4. part. 2. cap. 13. num. 6.

(a) Urbanus Robinet edidit anno 1744. breviarium ecclesiasticum clero propositum, quod a Cadurcensi, Cenomanensi, aliisque Galliarum Episcopis adoptatum fuit, necnon breviarium Rothomagense IV. voluminibus in 12., et epistolam hoc titulo: *Lettre d' un Ecclesiastique a un Curè, ou l' on expose le plan d' un nouveau Breviaire*. De reformandis horis canonicis, et de novis breviariis extant quoque epistolae Claudii Joly, et Philippi Mezzangui, qui tamen notior est red-

multis ab hinc annis in Galliis editus est ab Episcopo liber, cujus nomini parco, de jure, et potestate Episcoporum ordinandi officia divina intra fines suae dioecesis juxta omnium seculorum traditionem a Christo Jesu ad nos usque transmissam.

239. Videtur hic esse liber Petri Joannis Persin seculo elapso Episcopi S. Pontii, qui editus est sine loci, annive designatione hoc titulo: *Du droit, e du pouvoir des Evêques de regler les offices divins dans leurs Dioceses suivant la tradition de tous les siecles*. Pergit Pontifex, et audaciae accusat tum sententiam Grancolae, tum praecipue assertionem Joannis Pontas, qui (1) novorum breviariorum editionem, et reformationem ab Episcopis faciendam esse refert. Allegat praeterea doctrinam Vanespenii (2), qui quamquam teneat, breviariorum, aliorumque librorum ad divinum officium spectantium examen, et correctionem ad Episcopos pertinere, asserit tamen in Belgicis ecclesiis, aliisque, in quibus receptum est breviarium Romanum, Bullam S. Pii V. esse attendendam, et si aliquid judicatur addendum, mutandum, vel detrahendum, id esse a sede Apostolica postulandum. Major difficultas occurrit circa illas dioeceses, in quibus Bullae Romanorum Pontificum breviarium correctum praefinientes non fuerunt receptae, quarum Episcopis jus statuendi, et reformandi preces ecclesiasticas nonnulli concedunt.

240. *Porro*, ait Pontifex idem Benedictus XIV. num. 7., *an haec sufficiant, aliorum judicium sit. Quod autem videtur asseri posse est, tutius esse, ut etiam Episcopi, qui putant, se post Bullam Pii V. posse aliquid addere, vel immutare in breviario, aut novum breviarium edere, praevium Sedis Apostolicae judicium requirant*. Absit, ut quod sapientissimus Pontifex aliorum judicio reliquit, ausim ego definire; prudentissimum vero ejus consilium summis laudibus extollendum, atque

ditus ob vulgatum Catechismum Romae censoria nota inustum. Plura in eandem rem affert Diarium ecclesiasticum Dinovartii.

(1) In Dictionar. Cas. Consc, tom.2. in verb. *festum* cas.5.

(2) Jur. Eccles. part. 1. tit. 16. c.9., et tit.22. cap.7. n.19. et seqq.

ab omnibus observandum existimo. Nonnulla ego istiusmodi breviaria (a) pervolutavi, ac multa reperi in eis, quae approbatione, et laude digna mihi visa sunt; non idcirco tamen breviarii Romani me taedet, immo pluris hoc habere coepi, ex quo diversa alia perlegi, ac nescio quo pacto partes illae, quae in ceteris potissimum eminent, aut ex breviario Romano desumptae sunt, aut ad hujus similitudinem effictae.

241. Jam de aliis hymnis tum latinis (b), tum vulgaribus, qui extra divinum officium in ecclesiis succinuntur, quid juris sit Episcopis, erunt fortasse, qui scire cupiant, neque ab hac Dissertatione alienum puto in eos etiam hymnos inquirerere. In ecclesiis Germaniae etiam nobilissimis cantica quaedam, sive hymnos ex Germanico simul et Latino idiomate an-

(a) Audiatur ex Abbate Desfontaines *Osservations sur les escrits modernes tom.7. p.12.* judicium de quibusdam breviariis Gallicis. *Cet excellent Breviaire* (novum Parisinum) *est le plus perfait qui ait encore paru, quoique non exempt de defauts... Les Auteurs du Breviaire de Rouen on fait paroitre plus de critique, par rapport aux Legendes, et ceux du Breviaire de Lisieux plus de discernement par rapport aux Canons.* Dinovartius in Diario ecclesiastico *tom.24. Augusto 1766.* breviarium Pictaviense Parisiensi praefert: *tom.66. p.118.*, et *1266.*, et rursus *p.* 1272. plures observationes super novis breviariis exhibet; *tom.74. pag.70.* adducit epistolam super novis litaniis, et hymnis Deiparae.

(b) Dinovartius in Diario Ecclesiastico *tom. 25. Octob. 1766.* ex breviario Pictaviensi quasdam preces in die Circumcisionis ante completorium recitandas proponit ad gratias Deo referendas, et in eis hymnum, quem ad regulas superius traditas reformat, cujus hoc initium, *Lapsus est annus, redit annus alter.* Perelegans etiam est, suisque numeris omnibus expletus hymnus in honorem Principis Apostolorum, *Si vis patronum quaerere*, quem ad ejus sepulchrum appensum saepe legimus. SS. D. N. Pius VI. plures indulgentias hunc hymnum recitantibus concessit, ut Fideles beatum Petrum maxima veneratione, pioque animi sensu prosequantur, quo ipse summopere inflammatur. Quod eximium exemplar qui attendat, majestatem, et pietatem bene convenire, et in una sede morari sine ulla dubitatione consentiet, contrariasque impie philosophantium argumentationes irridebit.

no circiter 1390. in consuetudinem venisse narrat Oudinus (1).

242. Ex hymnis hujusmodi Latino-Germanicis quatuor pro Nativitate Domini a Lutheranis conservati sunt, qui auctorem habent Petrum Dresdensem, ut refert Placcius (2). Idem *num.* 1922. tradiderat, plures hymnos Germanicos a Luthero fuisse compositos. Tractatus ediderunt de recentiorum cantionum Germanicarum usu, et auctoribus Georgius Goetzius, Johannes Ben Carpzovius, Georgius Henricus Goezius, praecipue Johannes Christophorus Olearius in *Bibliotheca Hymnopoeorum*, Georgius Serpilius Godfridus Ludovici de *Hymnis, et Hymnopoeis Hennebergicis* cum Joannis Averani ad eum Epistola (*a*). Promiserat etiam Joannes Joachimus Molleri delicias hymnologicas, et theatrum hymnologicum; quos omnes auctores indicat Joannes Albertus Fabricius (3). Inter Catholicos viguit, vigetque etiamnum in quibusdam regionibus consuetudo decantandi in solemnioribus festis Nativitatis, et SS. Corporis Domini hymnos vulgares, et nonnunquam jocosos. In Italia, atque adeo Romae, dum in Tabernaculo reponitur Sacramentum, a Presbytero, et a po-

(1) De Script. Eccles. Seculo 8., tom. 1. col. 1787.

(2) Biblioth. Anonymorum, et Pseudonymorum num. 1638. et seq.

(*a*) De recentium Judaeorum hymnis confer Jo: Christophorum Wolphium Biblioth. Hebr. pag. 181., 208. et seq., de Arabum cantionibus rhythmicis in Moscheis Petrum Bellonum *lib.* 2. *observat. cap.* 32.. Antiquam Cantabrorum consuetudinem refert Strabo *lib.* 3. *p.* 165. edit. Paris. 1620.. *Cantabricae dementiae id quoque fertur exemplum, quosdam eorum captos, et in crucem suffixos Paeanem cecinisse*; quod potius dicerem *hymnos cecinisse* ex graeco Strabonis ἐπαιώνιζον. Si Cantabrica lingua nullam subiit mutationem, et, qua nunc utitur poesi, eadem olim usa est, exemplum versuum extremis syllabis consonantium inde repetere possumus: hoc enim pacto nunc carmina sua pangunt Cantabri. Sed quis certo id asserere audeat, antiquis documentis penitus deficientibus? De Americae Hymnis nihil opus est dicere; nam multa, eaque satis mira passim narrant quaedam Historiae recentes.

(3) In Bibliogr. antiq. cap. 11. num. 13.

pulo versiculi quidam pii recinuntur. Nihominus prostant Pontificum constitutiones, et sac. rit. Congregationis decreta, quibus id vetari videtur.

243. Decretum S. R. Congregationis 21. Martii 1609. habet: *In festo SS. Corporis Christi non convenit cantare cantiones vulgares*. Alexander VII. in constitutione, *Piae solicitudinis* 23. Aprilis 1657., *Novae, aut inusitatae orationes praesertim in Missa non recitentur*. Benedictus XIV. in constit., *Inter omnigenas* 2. Febr. 1744.. *Omnibus, et singulis utriusque cleri superioribus almae Urbis prohibetur, ne in eorum ecclesiis, dum officia divina celebrantur, vel SS. Eucharistiae Sacramentum manet expositum, quidquid cantari permittant praeter ea verba, quae a breviario, vel missali Romano in officio de proprio, vel de communi pro currenti cujusque diei festo, vel Sancti solemnitate praescribuntur, vel quae saltem a S. Scriptura, aut SS. Patribus desumpta sint, quae tamen prius a S. Rituum Congregatione specialiter approbentur, exclusis modulis illis, qui Choreas, et prophanam potius, quam ecclesiasticam melodiam imitantur*.

244. Haec, aliaque consentientia decreta diligenter explicat P. Joannes Michael Cavalieri (1), quem, utpote harum rerum experientissimum, audire, et sequi possumus. Omissis ergo aliis, ea, quae ad nostrum institutum faciunt, seligam. *Ex motetis tamen*, inquit num. 5., *non semel nonnulla audivi, quae a particulari persona erant pie, et erudite composita, et decantabantur, praevia nulla approbatione sacrae Congregationis. An id recte? De hoc jam diximus tom. 1. cap. 41. n. 5.; id enim videtur permittere ecclesiarum praxis, Doctorum auctoritas, et tolerantia Praelatorum, unde in hac parte Constitutio Alexandrina non videtur obligare, utpote quae non fuit utentium moribus recepta; Benedictinae vero Constitutiones orationes dumtaxat tangunt, cujusmodi reapse non sunt moteta, sed magis breves cantiones quaedam, quae ad majorem solemnitatem decantantur. Praelati, ad quos spectat Divinorum cura, ipsi*

(1) In Sac. Rituum Decreta tom. 4. c. 9. Decreto 171. p. 342., et seq.

videant, quid permittere possint ... ne audientes ad lasciviam potius, quam ad devotionem excitentur, ut cavetur in cap. Cantantes 92.. Ex his colligi licet, cantiunculas, quae in Hispania appellantur *Villancicos*, quaeque in celebrioribus solemnitatibus inter divina officia cantari aliquando consueverunt, non esse omnino reprobandas, dummodo Episcopi, ad quos *Divinorum cura spectat*, eas approbent, et in ecclesia cantari permittant.

245. Vehementer tamen dubito, an olim haec approbatio fuerit expetita, cum in mentem subeunt quaedam cantilenae non multis ab hinc annis in Hispania auditae, immo in poetis Hispanis passim occurrentes, quae ad Natalem diem Domini nostri Jesu Christi celebrandum erant compositae, quibus si non ad lasciviam audientes, ad risum certe data opera excitabantur; sive Episcopi conniverent, sive in ecclesiis Exemptorum (*a*) hic abusus permitteretur. Quamquam quae ecclesia satis exempta esse potest, ut Episcopi non invigilent, nequid in ea indecorum committatur? Sed cum nova quaedam lux, et splendor multis aliis rebus in Hispania hisce proximis annis accesserit, ut et audio, et incredibiliter gaudeo, fortasse aut jam reformata est ea hymnodia vulgaris jocosa, aut, quod opto, augurorque, brevi reformabitur. Contra cantilenas italicas, quae dum Eucharistiae Sacramentum reconditur, concinuntur, paulo severior est sententia Cavalieri num.6.. *Se modo nobis offert brevis cantilena illa a modernis Missionariis inventa, et a quibusdam ecclesiis jam in usu indu-*

(*a*) In Diario ecclesiastico Dinovartii Mense Novem. 1766. legitur: *Lettre sur l'abus de la Musique dans les Communautes Religieuses*. In ea Epistola plures abusus hujus generis reprehenduntur, subjiciturque haec nota, *Un Scandale bien frappant est de voir des affiches au coin des rues de Paris, pour annoncer que pendant la Semaine Sainte il y avra dans tel convent de belles voix qui chanteront en musique les Leçons, e le Miserere a l'office des tenebres*. De cantionibus Hispanis *Villancicos* consuli potest Feijous tom. 1. Theat. Disc. XIV. n. 48., ubi stylum earum damnat.

eta, videlicet: *Lodato ogni momento - sia il santissimo Sagramento*; aut: *Vi adoro ogni momento - O vivo Pan del Ciel - Gran Sagramento*; vel: *Sia lodato ogni momento - Gesù Figliuol di Dio, e di Maria - nel Sagramento*; *et de ea excitatur quaestio, utrum in tali circumstantia ab ecclesiarum Praesulibus permitti possit. ut decantetur... Comprehendi videtur in constitutionibus Benedicti XIV., in quarum una recitari inhibet novas, aut inusitatas orationes; et in altera in sacris ritibus ex orationibus, quales sunt praedictae Cantilenae, non admittit nisi eas, quae in ecclesia receptae sunt.*

246. Parum sibi constare hic auctor videtur, dum has cantiunculas ait esse orationes, quod de *Motetis* negat. Fortasse quo tempore ille scribebat, usus harum cantilenarum, quas damnat, nondum satis fuerat confirmatus. Modo vero cum in fere omnibus ecclesiis Romae id fiat, videntibus, et consentientibus Superioribus, tam piam totius populi canentis suo idiomate consuetudinem sine temeritatis nota nemo reprehenderet. Quod de hymnis extra divinum officium usitatis, cantionibusque vulgaribus dictum sit satis (*a*).

(*a*) Antiquissimum est apud Hispanos genus poeseos vulgaris sacrae, valdeque usitatum, uti colligi potest ex *Bibliot. nova Nicolai Antonii in Indice Materiarum Classe 21. Titul. Poemata, poematia, carmina vulgaris* Hispanae *linguae sacra, et moralia*. Ad meas quoque manus pervenit libellus *in* 12. characteribus gothicis editus 1555. sine loci nota inscriptus: *Cantares mysteriosos del Viejo, y Nuevo Testamento nunca antes impressos*. Continet hymnos vulgares ex veteri, novoque Testamento, Vitisque Sanctorum. Ignotus est mihi auctor. Ludovicus Legionensis, praestantissimus ille non minus Poeta, quam Theologus, causam piorum poetarum agit in praefatione ad III. Librum suorum Carminum edition. Mediolan. 1631. qui pia poemata continet; *y nadie*, inquit, *deve tener por nuevos, o por agenos de la Sagrada Escritura los Versos, por que antes le son muy proprios, y tan antiguos, que desde el principio de la Iglesia hasta oy los han usado en ella muchos hombres grandes en letras y en santidad, que nombrara aqui si no temiera ser muy prolijo*. Nicolaus Antonius *Bibliot. vet. part. 2. pag.* 178. notat, Ferdinando Perez de Guzman in quodam Ms. Codice Bibliot. Hispal. tribui: *Hymnos rimados a Loores*

§. XXXIII.

Exponitur, quid in Hispanico Hymnario sit reformanduum.

247. Nunc ut ad hymnologiam ecclesiastici officii redeam, ac disputationem meam tandem aliquando concludam, superest, ut breviter indicem, quae in ecclesiasticis hymnis proprii officii Hispanici emendanda, mutanda, et addenda esse crediderim. Cum enim ab omni hominum memoria praestantissimi viri pro cujusque temporis captu hymnis novis compingendis, aut antiquis castigandis decorem cultus divini promovere contenderint, ut hactenus est demonstratum, nullius ego justam reprehensionem incurram, si istiusmodi hymnorum emendationem congrue in Hispania suscipiendam esse affirma-

Divinos al muy noble, y discreto Alvar Garcia de S. Maria. Non dubito, quin ii sint hymni, quos Alfonsus de Cartagena, Antistes Burgensis, frater Alvari Garcia, commemorat in opere: *Oracional de Fernand Peres*, ubi in prologo ita Ferdinandum Perez de Guzman alloquitur: *Pero agora acordades passar a lo divino, e devoto, que a todo lo humano transcende, scriviendo por vuestra suave metrificacion hymnos, e oraciones, e otras contemplaciones pertenescientes a consideracion del culto divino de què yo algo ley, e vi leer, e loar al Rey de gloriosa memoria, que de pocos dias aca de nos se partio.* Hunc librum aliter inscriptum apud alios memini, sed titulum posui editionis antiquissimae, cujus est initium: *Tractado que se llama el Oracional de Fernand Peres, porque contiene respuestas a algunas Questiones, que fizo el noble Cavallero Fernand Peres de Guzman al Rev. P. virtuoso Perlado D. Alfonso de Cartajena de buena memoria Obispo de Burgos, tocantes a la fiel, e devota Oracion.* in fine: *En la muy noble, e leal Cibdad de Murcia por manos de los honrados Gabriel Loys Arinyo Notario, e Maestre Lope de la Roca Impressores de Libros lunes a 26. dias de Marzo año de mil e CCCCLXXXVII. años.* Volumen est in fol., Characteres ad Gothicos aliquantum accedunt, sed majori ex parte sunt Romani. His addam hymnum lingua lusitanica a S. Francisco Xaverio compositum, quem latinum metro iambico dimetro fecit Petrus Possinus *lib. 2. Epist. p.94. Epist.2.*

firmavero, et aliquem meum in utilissimum hoc opus conatum exhibuero. Nec mihi quisquam objiciat Pausaniae dictum, (1) recentiores hymnos elegantiores esse, antiquiores simpliciores, ac plus auctoritatis, et religionis habere. Etenim ferendum id esset, aut laudandum etiam, si antiquiores hymni simplices tantum essent, non vero vitiosi, et corrupti. Alioquin reprehensioni obnoxii forent tot pietate, ac doctrina celeberrimi viri, qui preces ecclesiasticas hominum incuria, ac temporum vetustate vitiatas in ordinem redigere, et emendare studuerunt (*a*).

248. Eugenius II. Toletanus circa annum 646. *Cantus passivis usibus vitiatos correxit*, ut scripsit S. Ildefonsus *de scriptor. eccles.*. S. Julianus seculo 8. Toletanus pariter Antistes *Officium divinum vetustatis incuria vitiatum emendavit, atque complevit*, ut narrat Felix ejus successor in illius vita. Officia propria Toletanae dioeceseos saepe reformata, et emendatiora prodierunt, ut anno 1613. ab Archiepiscopo Cardinali Bernardo de Sandoval, et Roxas; anno 1682. ab Emo Cardinali Ludovico Emmanuele Portocarrero Archiepiscopo. In officiis ipsis ecclesiasticis Romanis quot, qualesque reformationes adhibitae sunt a tempore S. Gregorii Magni? Is, ut asserit Paulus Diaconus (2), *Gelasianum Codicem de Missarum solemniis multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla vero superadjiciens pro exponendis evangelicis lectionibus in unius Libri volumine coarctavit*. Neque vero ad eam perfectionem breviarium Romanum adhuc pervenit, ut de nova ejus reformatione non cogitetur, quod testatur Benedictus XIV. (3). *Post haec autem*, inquit, *ad breviarium Romanum a S. Pio V., aliisque*

E e

(1) Apud Fabric. in Bibliograph. antiq. cap. 11. num. 13.

(*a*) Plato *lib. 7. de legibus* hymnos novos permittit, sed monet, poetam ea, quae scripserit, cuiquam privato ostendere non debere, *antequam constituti hac de re judices, et legum latores ea viderint, approbarintque*.

(2) In ipsius vita lib. 2. n. 17.

(3) De Beatif. et Canon. lib. 4. part. 2. cap. 13 num. 7.

Romanis Pontificibus correctum redeundo saepe citatus Grancolas cap.15. repetit, illud merito ceteris omnibus esse praeferendum, et quaedam subjicit, quae mutanda censeret, ut videlicet nonnullae lectiones emendarentur, nimius festorum numerus minueretur, vel saltem eorum commemoratio sola praescriberetur in feriali officio. An autem haec, vel alia facienda sint, examinandum erit, cum arduum negotium corrigendi, et reformandi breviarium Romanum assumetur.

249. Ex quibus, et aliis omnibus uberius supra expositis ad hymnorum Hispaniensium correctionem tentandam novitatis nota antiquorum temporum, et ecclesiae Romanae, aliarumque usu, et auctoritate depulsa est; et ab audacia me longissime abesse consentiet, qui animadvertat, speciem correctionis hymnorum me edere constituisse, non quod facultatem lyricae poeseos mihi arrogem, aut ullo in pretio meos hymnos habendos esse persuasum habeam, sed ut exemplo meo ad eandem rem experiendam aliorum industriam, ingeniumque provocem. Aliam quamdam difficultatem a suis Gallis objectam removere conatus est Carolus Guyetus *Praefat. in Hymnos correct.*, quam ego, cum mihi res sit cum Hispanis, tuto possem praeterire. Sed tamen hoc ille ajebat respondens suis: *Sumptus alii praetexunt in choralibus edendis, comparandisve libris... De sumptibus vero non nisi perperam queraris, quibus ut parceret Pontifex* (Urbanus VIII.) *veteres libros, quamdiu per integritatem usui esse poterunt, haudquamquam ablegandos edixit; at cum iis detritis novi comparandi erunt, plurisne constabunt postremae, ejusque cultioris editionis, quam obsoletae, minusque castigatae?* Quinam igitur hymni Hispanici reformatione indigeant, facile perspicitur, si regulis, quae §.XXXI. explicatae sunt, conferantur hymni corrigendi. Praeterea ut planius facerem, depravatos esse plures hymnos in officio proprio Sanctorum Hispanorum, quibus vitiis singuli laborarent, in *Hymnodia correcta* aperui, propterea quod etsi hominibus in hoc genere versatis superfluum id esset, non deerunt tamen, qui errores, nisi perspicue de-

monstrentur, non animadvertant. Atque utinam nulli sint futuri, qui tanta demonstratione nondum convicti hymnos, quibus assueverunt, emendatione non indigere mordicus tueantur. Tamen liberum cuique relinquo sentire, quod maluerit de synaloephis, et elisionibus submovendis, quandoquidem in breviario Romano licet non frequenter occurrunt.

250. Quoniam vero quibusdam novis hymnis *Hymnodiam Hispanicam* auxi, an id fieri oporteat, quaeri potest. Siquidem plurimi sapientissimi homines in officiis propriis Sanctorum hymnos proprios facile admittendos esse negant. Audiendus est Benedictus Pontifex XIV. sententiam, et verba Cardinalis Bellarmini allegans, et ex eis veterem sensum Sac. rituum Congregationis colligens (1). *Verum quod attinet ad praesens institutum, utcumque sit de exemplis, quae in contrarium afferri possent, Sacrae Rituum Congregationis olim sensus fuit, ne peculiares fierent concessiones, teste Ven. Dei Servo Cardinali Bellarmino in Epistola* 112. *scripta ad Gasparem Archiepiscopum Arelatensem, in qua haec habet pag.* 248.: *Non solere Congregationem approbare officia propria, exceptis lectionibus secundi nocturni. Approbata sunt quidem aliquando officia propria etiam quoad antiphonas, hymnos, orationes, responsoria, et alia: sed quoniam nimis multiplicantur hujusmodi officia propria, decrevit Congregatio, deinceps non approbare nisi lectiones proprias secundi nocturni, quae sunt de vita, et rebus gestis Sanctorum, de quibus tunc celebratur officium.*

251. Fatendum est, non semper in hoc sensu, et decreto S. Congregationem stetisse, cum multi hymni in breviario Romano ex eo tempore sint inserti. Nec dubitare licet, quin aequissimum sit, hymnos, atque alias officii partes proprias pro Sanctis Patronis concedi, et reapse frequenter concedantur; quemadmodum eodem jure Religiosae familiae officia propria Sanctorum Fundatorum a Congregatione approbari exorant. Huc fere pertinet prima rubrica breviarii: *Officium*

(1) Lib. 4. de Serv. Dei Beatif. et Canon. part. 2. cap. 10. num. 2.

fit Duplex . . . In festo Patroni unius , vel plurium alicujus loci, vel Titularis Ecclesiae ; et in festis Sanctorum , qui apud quasdam Ecclesias , Religiones , vel Congregationes consueverunt solemniter celebrari cum officiis propriis a Sede Apostolica approbatis , aut ex ejusdem Sedis auctoritate receptis , vel recipiendis . Clarius , distinctiusque in eandem sententiam disputat Guyetus (1) : *Hinc est , quod in omnibus fere breviariis , aut codicibus dioecesum propriis habentur officia propria Patronorum praecipuorum, immo et pleraeque Ecclesiae circa particulares suos Patronos , seu titulares id etiam juris usu sibi vindicant .* Et rursus (2): *Si officiorum propriorum nomine intelligas orationem dumtaxat , et lectiones , opportunum satis est , eas singulis festis propriis adhiberi , dummodo probatae sint , ac legitimae . Si vero historiam integram accipis , hoc est antiphonas , responsoria* etc. , *usus recentior obtinuit , ut nonnisi raro extra Patronorum festa officia habeantur .*

252. Nominatim de hymnis loquitur (3) . *Hymni proprii haberi non solent , nisi in festis propriis Patronorum .* Cujus rei ratio efficax est , quam affert Theophylus Raynaudus in opere , quod inscribitur : *Tituli cultus Sanctorum specialis , Puncto II. . Justum plane est ,* inquit , *tutelam hujusmodi beneficiis in cives universos exoratis testatam speciali cultu repenso ab omnibus civibus tamquam fiduciario obsequio agnosci .* Peculiarem cultum , et venerationem esse iis Sanctis exhibendam , quibuscum patria nobis communis est , in *Homilia de S. Gordio Martyre* persuadere nititur S. Basilius mascula illa sua , et in similitudinibus praesertim felicissima eloquentia , quam agnoscas , licet , vel ex his solis verbis : *Fuit hic Martyr beatissimus civis noster Caesariensis , ex quo non mirum , si nostrae mentis affectus ad eum potissimum dirigitur , quod profecto ad verum , ac domesticum hujus facit ornamentum . Nam sicut arbores , quae bona ferunt poma , propriae bonitatis laudem nutrienti*

(1) Lib. 3. cap. 1. q. 2.
(2) Quaest. 3. ejusd. Lib. 3. cap. 11. quaest. 9.
(3) Cap. 5. ejusdem Lib. 3.

tribuunt humo ; sic iste ex nostrae urbis prodiens utero , ad summumque gloriae culmen evectus , patriae , quae eum produxit , atque aluit , domesticorum pietatis fructuum jucunditatem largitus est . Boni sunt quidem fructus etiam externi , modo sapore delectent , et nutrire possint : at longe gratiores externis sunt nostrates , ac vernaculi , qui nobis gloriam quamdam ob propinquitatem conferre praeter jucunditatem videntur . Benedictus XIV. (1) ex Guyeto recenset alios titulos , sive rationes , proter quas officia propria pro quibusdam determinatis ecclesiis concedi consueverunt , scilicet inventionem , aut translationem corporum sanctorum , aut reliquiarum , insignia beneficia Sanctorum ope impetrata , prodigia caelestium apparitionum ; quibus ipse addit egregia quaedam Sanctorum facinora , aut charismata , quibus eorum sanctitas illustrata est . De inventione reliquiarum primum agit , et exemplum desumit ex officio concesso in honorem Sanguinis Jesu Christi , qui Mantuae inventus est . De quo plura congerit *loc. cit. cap.* 10. disputans etiam de commemoratione pretiosi Sanguinis Jesu Christi in civitate Brugis , ubi asservari dicitur . Hymni in officio sacrosancti Sanguinis Christi , quod in statu Veneto , et alibi agitur , stylum recentem sapiunt : primus sapphicus recte est conditus , alter trochaicus , et tertius iambicus dimeter pluribus prosodiae vitiis scatent . Longe excellit hymnus iambicus dimeter , quem pro ecclesia Brugensi Joannes Ludovicus Vives composuit , ut opinatur Georgius Cassander , cui libenter assentiar , Hispanis quamvis tacentibus , quos graviora alia de Vive fugerunt (*a*) . Denique causam conces-

(1) Loc. cit. cap. 7. num. 1., et 2.

(*a*) Nicolaus Antonius , et alii quondam , et nuper Vincentius Ximeno Bibliothecae Valentinae diligens auctor , Valentinus ipse , Andabatarum more quaesierunt , neque invenerunt annum obitus Vivis , quem ego indagavi ex ejus sepulchri inscriptione apud Franciscum Svveertium in *selectis Christiani orbis deliciis* inter Brugenses inscriptiones exarata , quam in gratiam Valentinorum describere non gravabor . *D. O. M. Joanni Ludovico Vivi Valentino , omnibus virtutum ornamentis , omnique disciplinar. genere , ut ampliss. ipsius litterarum monumentis testatum est ;*

sionis officii proprii, quae plures complectitur, designat Guyetus *cap.cit.*: *Altera causa, ob quam praestat haberi officia propria in festis propriis, est ipsa Sanctorum celebritas, quae eo major esse videtur, quo eorum laudes, non mutuatis aliunde, aut vulgaribus, sed germanis, et innatis praeconiis efferuntur*.

253. Profecto cum omnibus anteactis seculis sanctissimi homines viguerint, qui priorum temporum hymnis novos alios pro rei opportunitate addiderint, cur hac nostra tempestate, et secuturis deinceps seculis ecclesiasticae musae usquequaque silere jubebuntur? Non ita quidem in veteri Testamento observatum est, ubi praeter cantica Isaiae, Ezechiae, Ieremiae, Ionae, Habacuc, Azariae, aliaque diversa diversis temporibus, prout res postulabat, edita, Iudith in suo cantico post Holofernis caput abscissum aperte omnes invitat ad hymnum novum Deo canendum *c.16.v.2.*. *Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum novum*; et vers. 15., *Hymnum cantemus Domino: hymnum novum cantemus Deo notro*. Quapropter contemnendae sunt quorumdam voces, qui hymnos, aliasque officii partes *de communi* magnis efferunt laudibus non alio respicientes, nisi ut de trita memoriter recitandi via decedere aliquantisper ne cogantur. Quorum sensa jam

clariss. et Margaretae Valdaurae rarae pudicitiae, omnibusque animi dotibus marito simillimae, sexusque feminei ornamento, utrisque ut animo et corpore semper conjunctiss. ita hic simul terrae traditis. Nicolaus, et Maria Valdaura Sorori, et ejus Marito B.M. moestiss. Poss. vixit Joannes Annos XLVIII. M.II. mortuus Brugis prid. non. Maji, anno M.D.XL. Margareta vixit an. XLVIII. M.III. D.IX. obiit prid. Idus Octobris anno M. D. LVII. Licebitne mihi Ciceronis verba de Archimedis sepulchro a se reperto, et Syracusanis indicato huc transferre? *Ita*, ait lib.4. Tusculan., *nobilissima Graeciae civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset*. Licebitne, inquam, mihi similiter gloriari? Non enim vidi editionem Valentinam operum Vivis, quam inchoatam esse, nondum absolutam audio, neque scio, an novus Editor id habuerit compertum, et ante me evulgaverit.

pridem detexit Cardinalis Quignonius in *praefatione* ad breviarium (*a*), in quo omnes psalmos singulis septimanis legendos praescripserat. *Illud ante omnia visum est nobis in consuetudinem revocare, ut scriptura sacra maxime omnium toto anno, et omnes psalmi singulis septimanis legerentur... Atque utinam tam robusti essemus, ut totum etiam vetus testamentum in anno perlegere non gravaremur... Sicut ergo laboriosum in hoc breviario videbitur pleraque omnia ex libro legi, cum multa in alio, quae propter frequentem repetitionem ediscuntur, memoriter pronuncientur, compenset cum hoc labore cognitionem sacrae Scripturae, quae sic in dies augescit, et intentionem animi, quam Deus ante omnia in precantibus requirit, (hanc enim majorem legentibus, quam memoriter proferentibus adesse necesse est) et hujusmodi laborem non solum fructuosum, sed etiam salutarem judicabit.*

254. His ego rationibus ductus eminentiores quosdam Hispaniae Sanctos, qui hoc honore carebant, hymnis propriis celebrandos esse extimavi, magnopere exoptans, ut universae Hispaniarum Ecclesiae, quandoquidem in eis pro aliis minoris sane nominis festis hymni proprii decantantur, simile decus, cultumque peculiarem proceribus ipsis, quibus fidem catholicam acceptam, conservatam, auctamque referre debent, nolint invidere, vel certe hanc solemniorem celebri-

(*a*) Cardinalis Franciscus Quignones in hac praefatione ad suum breviarium trium lectionum iterum editum, ac recognitum ingenue fatetur, se in eo conficiendo ab amicis, familiaribus, doctisque Viris, adjutum. Genesius Sepulveda, elegantissimus ejus seculi scriptor *in Epistola* 100. ait, Didacum Neyla suppetias Cardinali Quignonio contulisse. Vasaeus *in Chron. Hispan.* ulterius progressus affirmat, Breviarium jussu Quignonii a Neyla fuisse concinnatum. Hujus auctoritate cl. Xaverius Llampillas *tom.* 2. *part.* 2. *Apologetici Speciminis pag.* 34. „ E'indubilato, inquit, „ che D. Diego Neila ebbe la maggior parte nel formare detto Breviario „. Ac fortasse ita revera accidit; sed doctrina Quignonius ea erat, ut per se potuerit breviarii opus maxima ex parte perficere; et Vasaeum narrationem exaggerasse non difficulter credam. Qua de re uberius in Appendice secunda.

tatem sibi adjudicent particulares illae Ecclesiae, quae eorum Sanctorum patrocinio gaudent, et gloriantur. De quibus plura sum in ipsa *Hymnodia* singillatim dicturus. Video tamen fore aliquos, qui me, dum errores aliorum corrigo, atque novos hymnos efficio, labi saepe, et errare, neque datas regulas servare animadvertant, idque turpe esse clament. Quibus breviter est respondendum. Errata quaedam in hymnis antiquis crassiora me deprehendisse, nemo unus erit, qui neget. Ea emendare, et effugere opera, et studio, quam maxime potui, conatus sum; an id fuerim assecutus, alii viderint. Siquis interea nova peccata, in quae ego inciderim, corrigere voluerit, idque eo animo aggrediatur, ut hymni Hispanici praestantiores evadant, nae ille mecum faciet, gaudioque magno afficiar, quod *functus vice cotis* non solum regulis, sed ipsis quoque erroribus hoc opus adjuverim. Sin autem libidine quadam exercendi censoriam virgam in aliorum opera, a qua me omnino alienum esse profiteor, praeque me fero, mea vitia aliquis patefaciat, nihilominus, dum erudiar, aequo animo patiar. Non enim laborem hunc defugere debui, quamvis reprehensoribus eum obnoxium esse non ignorem. Et ut fatear, quod res est, cum meam operam in quibusdam hymnis non displicuisse Exteris intellexissem, periculum facere juvit, an Civibus quoque meis in eo genere placere, aut etiam prodesse aliquatenus possem. Et quocumque demum alea cecidisset, honestiorem, et jucundiorem hanc occupationem esse arbitratus sum, quam si ad ingratum aliquod negotium, aut ad otium, quod negotio quovis ingratius est, animum applicarem.



HYMNO-

HYMNODIA
OFFICII PROPRII HISPANICI
AD LATINITATIS, METRIQUE LEGES, ET AD CANTUS RATIONEM REVOCATA, HYMNISQUE PLURIMIS AUCTA.



Die 8. *Decembris. In festo Conceptionis B. Mariae Virginis Hispaniarum, et Indiarum Patronae* (*a*).

Ad vesp.= Qualis aurorae facies, rubente
Dum polo surgit, tenebrasque pellit,
Nuncians laeto meliora mundo
Munera lucis.
Qualis it caelo tacito minorum
Luna stellarum comitante coetu,
Pulchrior cunctis tamen ipsa gaudet
Vincere noctem.

Ff

(*a*) Quamvis in pervetustis breviariis Ecclesiarum Hispanarum officium Conceptionis B. M. Virginis reperiatur, nescio tamen, an in eorum aliquo hymni proprii fuerint adhibiti. Verum non in eo celebritatis gradu, ad quem nunc pervenit, olim erat hoc festum constitutum, ideoque nihil mirum videri debet, si hymni proprii defuerint. Nuper legi *in Memoriali litter. Matritens. Decemb.* 1784. *pag.* 53. prodiisse hispanicam officii proprii immaculatae Conceptionis versionem. *Officio proprio de la fiesta de la inmaculada Concepcion de la Virgen Maria. Madrid, en la Imprenta Real.* 1784. *in* 8. Interpres in prologo admonet, versionem hymnorum desumptam esse ex hymnis carmine Hispano a quodam Religioso Ordinis Mercedariorum redditis, et luci publicae commissis 1766. Apud Petrum de Alva *in Militia Conceptionis* indicatur inter alia officia *officium immaculate Conceptionis traductum hispano sermonae. Limae.* 1639. *in* 8.



Aureis ut sol radiis coruscans
Circuit totum revolutus orbem,
Astra pallescunt, superoque victa
Lumine cedunt.

Turbat ut densis acies maniplis
Hostium moestos animos, pericli
Conscios, auget bene constitutus
Ordo timorem.

Plures revelationes de solemni immaculatae Conceptionis festo celebrando narrantur in breviario antiquissimo, in quo post Kalendarium notatur: *Psalterii Ordo juxta ritum, quem nunc Romana servat Ecclesia*. Post Psalterium: *Ordo Breviarii juxta ritum Romanae Curiae*. In fine: *Hujus Operis corrector extitit Georgius de Spathariis. Presbyterorum minimus: impressor vero Nicolaus Jenson Gallicus: hac nostra tempestate impressorum princeps: quod quidem opus impressum in florentissima Urbe Venetiarum est. Anno Domini MCCCCLXXVIII. Sisto IV. Pont. Max. Romae Petri sedem regente. Andrea Vendramino inclyto Principe Venetiis principante*. Editio est elegantissima, litteris versicoloribus, aureis, rubris, caeruleis, croceis decorata. Paginae non numerantur. Liber in folio, et in membrana extat in Bibliotheca Altierana. In prima revelatione praescribitur in die Conceptionis idem officium recitandum, ac in die Nativitatis Deiparae, *excepto quod nomen Nativitatis mutabitur in nomen Conceptionis*. Carolus Guyetus in Hymnis Gallicanarum Ecclesiarum correctis unum exhibet ex breviario Nivernensi pro festo Conceptionis B. M. Virginis *pag. 13. post Heortologiam*. In breviario Parisiensi anno 1736. recognito hoc festum celebratur hymnis propriis, quorum auctor *littera C.* praefixa indicatur. Quod si in aliis Ecclesiis hic honos Conceptioni immaculatae Deiparae tribuitur, cur in Ecclesiis Hispaniarum non erit tribuendus? eo vel maxime quia in cultu B. Mariae Virgini sine labe conceptae praestando Hispania facile reliqua omnia regna antecellit, cum eam in Patronam Hispaniarum, et Indiarum elegerit. Vellem equidem altius originem hujus celebritatis in Hispania repetere, et quod plurimi asseruerunt, posse confirmare, scilicet S. Ildefonsum hujus festi fuisse institutorem. Certe Trithemius conceptis verbis id asserit *de scriptor. ecclesiast.*. *Beatus Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus constituit, ut celebraretur solemnitas B. Mariae ante Natalem Domini, quae jam obtinuit, ut per universam Ecclesiam in honore piissimae Conceptionis illius celebretur sexto*

Sic fugat noctem, tenebrasque vincit
Virgo, sic fulget roseo nitore,
Sic et inferni stetit una contra
Tela Tyranni.
Christe, quem Virgo peperit, Paterque,
Et sacrum Flamen, Deus unus, audi,
Quas preces plaudens tibi fundit omne
Orbis in aevum.

F f 2

idus Decembris. Gravior videri posset auctoritas Vitae S. Ildefonsi, quam ex urbe Catalaunensi ad Episcopum Laudunensem detulit Hermanus monachus S. Bernardo aequalis. Is dirigens S. Ildefonsi libros ita Episcopum alloquitur: *Cum vero eos in urbe Catalaunensi forte reperissem, et vobis renunciassem, protinus pergamenum comparatum mihi tradidistis, meque ad praefatam urbem propter eos transcribendos direxistis. Scripsi ergo primo Vitam ejusdem Ildefonsi, deinde praefatos ejus libros subjunxi* etc.. In hac ergo Vita, quae falso S. Juliano Toletano Antistiti affingitur, haec leguntur: *Unde etiam festum Conceptionis S. Mariae, qua scilicet ipsa concepta est, celebrari constituit, et ejus constitutione per totam Hispaniam solemniter colitur VI. idus Decembris*. His obesse poterat Concilium Londinense anno 1328. celebratum, quod Conceptionis festum S. Anselmo tamquam institutori tribuit: sed huic difficultati nota marginis Mabillonii *tom. 2. Acta Sanct. pag.* 521. occurrit, explicans verba Concilii de festi in Anglia institutione. Ceterum dum sedulo animadverto, in officio Mozarabico Hispano antiquo nullum hujus solemnitatis vestigium apparere, vereor, ne falsa sint haec omnia. Ac potuit certe oriri ambiguitas, et error ex institutione festi Annunciationis die 18. *Decembris*, quae nunc dicitur *Expectatio Partus*. Siquidem hoc festum plura olim habuit nomina, ut ad eam diem dicemus. In Kalendario Hieronymiano Lucensi Florentinii scribitur: *Annunciatio S. Mariae de Conceptione*. Kalendarium Romanum vetus, quod Genebrardus sub initium commentariorum in psalmos Davidicos adscribit, ita Annunciationis festum profert: *Mariae Conceptio, et filii Dei Annunciatio*. Credibile igitur est, aliquos, cum legissent, festum Conceptionis a S. Ildefonso fuisse ordinatum, intellexisse de Conceptione, qua ipsa concepta est, non de altera, qua concepit de Spiritu sancto. Propterea Graeci festum immaculatae Conceptionis in suo Menologio vocant *Conceptionem Annae Dei, et Domini nostri aviae*. Persuasum itaque habeo, vitam S. Ildefonsi, quam Ma-

Ad mat. = Ater infami coluber veneno
Luminis primas vitiavit auras,
Tum nefas ausus vetitum ruinam
Traxit Adamus.
Inde mors instans homini, nec unum
Prodiit morbi genus, et quod illa
Pejus est, fraudum cumulus sub alto
Corde resedit.

billonius producit, fuisse tunc primum conscriptam, aut saltem interpolatam, cum effervescentibus controversiis de hoc Conceptionis festo inducendo piae sententiae defensores antiquitatem illius, quam maximam possent, quaererent. Salazarius in locupletissimo tractatu de immaculata Conceptione *c.*35. narrationem Trithemii falsitatis arguit, ...amque historiam ipse eruit, eruditorumque judicio relinquit, quam deinde alii facilius admiserunt. Allegat Bernardinum de Bustos in officio Conceptionis a Sixto IV. approbato narrantem de Beato Gundislavo Archiepiscopo Tolosano, quod *ordinavit festum Conceptionis per totam Hispaniam solemniter celebrari*. Adjungit testimonium Pelbarti a Themesvvar *lib.* 4. *Stellarii part.* 1. *art.* 3., qui memorat, B. Ildefonso, quem *Archiepiscopum Tolosanum* appellat, Deiparam se conspiciendam praebuisse, *Commisitque eidem*, inquit, *ut celebraret annuatim festum Conceptionis suae*. Ex quo colligit Salazarius, unum, eundemque fuisse Archiepiscopum Tolosanum, qui in Hispania festum Conceptionis induxerit, quem *Gundisalvum* Bernardinus de Bustos nominat, et Pelbartus *Ildefonsum*. Aetatem Gundisalvi (nam id nominis praefert) statuendam esse opinatur Salazarius paulo post S. Ildefonsi Toletani obitum, et ante Maurorum irruptionem in Hispaniam, queriturque, Tolosates in hujus Beati sui Gundisalvi gesta, et vitam hactenus diligenter non inquisivisse. Nemo non videt, quibus nexibus contexta sit haec errorum catena. Aliquis memoriae prodidit, S. Ildefonsum Toletanum Antistitem festum Conceptionis Deiparae (scilicet Annunciationis) celebrandum proposuisse die 18. Decembris. Alius ambiguo nomine delusus addidit, S. Ildefonsum ad diem VI. idus Decembris instituisse festum Conceptionis, qua nempe B. Virgo Maria sine macula concepta est. Alius ex Ildefonso Toletano fecit Ildefonsum Tolosanum Archiepiscopum. Nec defuit postremo, qui pro Ildefonso Gundisalvum scripserit. Fabulam odoratus est Trombellius, quem nuper e vivis ereptum Litterati Itali dolent, qui in Vita Virginis *Part.* 2. *Dissert.* 13.

Quis tot aerumnas, tot amara posset
Damna diffusi reparare luctus,
Ni Deus carnem subiisset alta
Missus ab arce?
Virgo promissum genitura Numen
Attulit culpae sine labe certum
Nuncium victi sceleris, caputque
Contudit Hydrae.

*sect.*1. *quaest.* 2. *num.* 20. haec habet: *Suspicabatur pius vir haec conficta esse a quopiam minime perito viro, qui id Gundisalvo tribuerit, quod de Ildefonso veteres tradidere*. Sed rerum nostrarum ignorantia alteri scopulo ille adhaesit hanc annotationem subjungens. *Tolosae nomine hic indicatam puto urbem in Guipuzcoae provincia prope Orium flumen ad radices Pyrenaeorum positam, olim Iturissam, non Tolosam in Galliis, cujus Episcopus nullam habuit in Hispania auctoritatem*. Nam si Archiepiscopus Tolosanus in Galliis intelligi nequit festum Conceptionis ordinasse, quia nullam habuit in Hispania auctoritatem, multo minus nomine Archiepiscopi Tolosani indicari potest Praesul Tolosae Guipuzcoae, quae nunquam Archiepiscopum, aut Episcopum habuit, ut perspicitur in Catalogis omnium Episcopatuum, qui unquam, uspiamve extiterunt. Jam vero sicut incertum est, aut etiam falsum, quod de prima institutione festi Conceptionis in Hispania circumfertur, ita manifesto liquet, postremis his temporibus nusquam sumptuosius, quam in Ecclesiis Hispaniarum, hanc solemnitatem celebrari, cujus religiosum cultum incredibiliter auxit egregia pietas Caroli III., quem Deus sospitet, insigni Ordine Equitum sub titulo, et patrocinio immaculatae Conceptionis instituto. Antequam hanc notationem e manibus dimitto, monendum censeo, Salazarium, cujus opus de Conceptione Deiparae in hac controversia solet a plerisque laudari, esse Ferdinandum Chirinos de Salazar S. J., aemulum illum (sic traditum accepi) alterius infausti laudatoris Mariae Virginis Joannis Baptistae Poza S. J.. Salazarius cognomen Hispanum *Chirinos*, quo inter scriptores Hispanos a Nic. Antonio recensetur, latino more reddidit *Quirinus*; ex quo lapsus est illmus Michael a S.Josepho Ordinis Discalc. SS.Trinitatis in sua eruditissima Bibliographia *Vol.4.pag.95.Art.Salazar Ferdinandus. Dictus est*, inquit, *Ferdinandus Quirinus de Salazar. Cur scriptor noster vel apud Exteros satis clari nominis locum non invenerit in Bibliotheca nova Hispana celeberrimi Nicolai Antonii, cu-*

Ad laud. = Te Deus longis speculatus annis,
Dum creat summo bona cuncta Verbo,
Hujus elegit genitrix ut esses
Candida Virgo.
Aliger caeli chorus affluentis
Gratiae donum stupuit, rebelles
Angeli nigro tremuere clausi
Carceris antro.
Te pius late dominans Iberus,
Qua patet tellus, maculae prioris
Praedicat puram, meritoque festum
Auget honore.
Huc ades, Mater pietatis, auro
Purior puro, scelerisque primi
Noxios fructus removens tuorum
Annue votis.

us prior tomus longe post ejusdem Commentariorum editionem anno scilicet 1672. Romae prodiit, nolumus divinare: sed tamen agnoscimus meliorem sortem obtigisse Ferdinando alteri de Salazar, ignoto prorsus homini, nisi eadem Bibliotheca illius meminisset. Atqui in Bibliotheca nova Nic. Antonii *tom.* 1. *pag.* 284. *et seq.* Ferdinando Chirinos de Salazar elogium multo honorificentius, et locupletius, quam in Bibliographia critica, texitur, et inter alia opus defensionis pro immaculata Deiparae Virginis Conceptione, in Bibliographia doctissimi Episcopi praetermissum, a Nic. Antonio dicitur, *nulli eorum, quae tenera in Deiparam Virginem perpetuae Charitatis affectio expressit, inferius*.



Die 9. Decembris. In festo S. Leocadiae Virginis, et Martyris, Patronae Toletanae (a).

Ad vesp.= Quid portenta volunt, quem Leocadia
Laeto Virgo refert pectore nuncium,
Dum formosa videri
Effert e tumulo caput?
Curas pervigiles, scriptaque Praesulis
Alphonsi celebrat, virginitas quibus
Propugnata Mariae
Victis emicat hostibus.
Caelesti monitu discat Iberia,
Quae praescripta fuit grata necessitas,
Ut defendat honores
Matris Virginis inclytos.
Gens festos agitet laetitiae dies
Exultans animis, et pia cantica
Clara voce merenti
Certet pendere Martyri.

(a) In breviario Toletano Lugduni anno 1551. edito, quod auctum, et emendatum, prodiit, et D. Ioanni Martinez Siliceo Archiepicopo Toletano fuit dicatum, festum S. Leocadiae celebratur duobus hymnis propriis, altero ad vesperas, altero ad matutinum. Hymnus ad vesperas incipit,

In festo Leocadiae,
Quod celebratur hodie,
Hymnum canamus gloriae
Regi caelesiis curiae.

Hic hymnus est rhythmicus sine lege carminis; sed magis exactam vulgaris rhythmi rationem servat hymnus ad matutinum, cujus haec est prima stropha,

Laetare TOLETUM
In hoc sacro festo
Cui TOTUM LAETUM
Precibus adesto.

Potuit hoc exordium acutum videri eo tempore, quo hymnus est compositus, et inter Arabas; si, ut refert Joannes Tamayo, et Salazar *in Martyrologio Hispano ad hanc diem 9. Decembris*, auctor horum hymnorum fuit sub Maurorum captivitate Cyprianus Archipresbyter Cordubensis, quod alii non credunt. In breviario Gothico

Servos, summe Deus, sanctaque Trinitas
Orantes humili pectore respice,
Dum testantur in aevum
Laudes, atque decus tuum.

Ad mat. = Florebant pietas, virginitas, genus,
Et mores dociles in Leocadia,
Cum Praeses ferus ira
Adversus fureret Deum.
Quid, vaesane, fidem velle refringere
Fundatam supero numine juverit,
Et quod more leonis
In Christi famulos ruas?
Si nescis, furias qualis in improbas
Virtus Christicolae militis irruat,
En innupta puella
Sedem sistitur ad tuam.
Quid nunc blanditiae, quid tumidae minae.
Poenarum facies mille quid, et necis
Illaetabilis horror,
Quid possunt animi truces?

Ad laud.

alius hymnus legitur in honorem S. Leocadiae, cujus hoc est initium,
Sanctissimae Leocadiae
Solemne festum prodiit,
Quae vana terrae despuens
Ad Regna caeli transiit.
Hunc a Montano Antistite Toletano fuisse compositum arbitratur idem Salazarius *loco citato*. Correctione hujusmodi omnes hymni indigent, ut legentibus perspicuum fiet, ac fortasse hac de causa omissi sunt in officio Ecclesiae Toletanae. Pinius in tractatu historico chronologico de Liturgia antiqua Hispanica *cap.9. num.* 114. de hymnis Mozarabicis hoc judicium profert. *Hymnorum contextus plurimis mendis admodum deformis est. Causam fugio quaerere*. Video, aut videre mihi videor, quidnam vir prudens fuerit suspicatus; sed ejus suspicionem ego etiam fugio quaerere. Medicinam his malis, quantum licuit, adhibuit Excmus DD. Archiepiscopus Lorenzana, editis Matriti anno 1775. missali, et breviario Gothico ad Mss. codices studio, et diligentia singulari correctis. In breviario hic S. Leoca-

A Laud = Christum certa sequi, carceris horridum
Antrum Virgo subit, cui pavor incubat
Ferratisque catenis,
Tormentisque nocentium.
Grates ipsa tamen Caelitibus canit
Effusas hilari corde, recogitans
Laudum carmen, et alto
Poscens robur ab aethere.
Inter vota, sonos inter amabiles
Mors horrore loci corripuit gradum,
Praevenitque profanas
Virgo carnificum manus.
E caeli nitidis aedibus advolans
Pronis Virgo preces auribus excipe,
Praesens sive videri,
Seu clam ferre paras opem.

Die 10. *Decembris*. *In festo S. Eulaliae Emeritensis V., et M., Ovetensis dioecesis Patronae* (*a*).

Ad vesp. = Summis Eulaliam tollite laudibus,
Cives Emeritae, plaudite Virgini,
Quae fusi pretio sanguinis arduum
Conscendit super aethera.

die hymnus, aliique Mozarabici, quos in posterum indicare continget, continentur. D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca antiqua conjicit, canticum, quod S. Ildefonsum in laudem S. Leocadiae fecisse Zixila testatur, esse hunc ipsum hymnum: ab ejus opinione dissentit Florezius *tom.* 3. *in Dissert.* §. 8. *pag.* 255., neque immerito, nam Zixila partem cantici in laudem S. Leocadiae exhibet, in qua apparet distinctio hymni a cantico, quod nec metro quidem erat alligatum.

(*a*) De S. Eulalia Emeritensi pulcher est hymnus Prudentii *Libro peri stephanon*, sive *de coronis hymno* 3., qui incipit, *Germine nobilis Eulalia*. Hoc genus carminis

Non priscae tumuit stirpis honoribus,
Sed constante fide clarior occupat
Aevo sub viridi martyrium pati
Laudandae necis appetens.
Nam vivens placide sedibus abditis,
Contemplansque Deum, Praesidis audiit
Insanam rabiem perdere plurimos
Miris Christiadas modis.
Ultro se tacito proripit a loco
Testatura fidem, perque silentium
Noctis, perque vepres irruit, ut feri
Tendat Judicis ad forum.
Adsis, summa Trias, votaque dirigas,
Te donante fides mentibus haereat,
Nostris regnet agris aurea faustitas,
Sint belli strepitus procul.

dicitur alcmanicum trimetrum hypercatalectum, constans tribus dactylis, et una syllaba. Idcirco idoneus non est Prudentii hymnus, ut inter eos, qui modo sunt in usu, reponatur, cum diversitas metri diversam quoque rationem cantus requirat. Mozarabes tamen eum cantant. In hymno, quem offero, asserui, S. Eulaliam non quaesitam ad necem properasse. Lesleus, cujus eruditae, elegantesque notae in missale Mozarabicum merito laudantur, contrarius est huic assertioni, et in notis ad missam S. Eulaliae Barcinonensis ad verbum *non quaesita* hoc annotat: *Hanc esse propriam laudem S. Eulaliae Barcinonensis testatur S. Eulogius Memorial. Sanct. lib. 1.: sic Justus, sic Eulalia Virgo Barcinonensis, sic Babylas Pontifex, multique alii se sponte obtulerunt, et coronati sunt. Historia S. Eulaliae Emeritensis proculdubio S. Eulogio nota erat, quae certe si se sponte passioni obtulisset, eam quoque in exemplum adduxisset*. Hanc opinionem prius expresserat Ambrosius Morales in scholiis ad *Memoriale S. Eulogii*. Sed quod doctissimorum virorum pace dixerim, alienum penitus id est a vera judicandi ratione. Prudentius in suo hymno pluribus strophis hanc narrationem de S. Eulalia Emeritensi contexuit: missalia Gothica Hispanum, et Gallicum de S. Eulalia Emeritensi idem, quod canit Prudentius, commemorant. Quis autem tam luculento Prudentii testimonio opponat silentium S. Eulogii, qui fere quinque secula post Prudentium vixit? Celeberrima porro est memoria S. Eulaliae Eme-

Ad mat.= Quae te barbaries, quis furor impius
Atroci stimulo vexat, ut incolas
Oppressos adigas fictilibus sacrum
Cultum Numinibus dare?
Haec Virgo repetens intonat auribus
Praetoris; stupet hic, fert animum tamen
Artes per varias, seu prece, seu minis
Pectus magnanimum domet.
Incassum minitans terrifice fremit,
Nec fraudes teneris illecebris juvant,
Nullis Eulaliae cor vehementium
Verborum patet ictibus.
Hinc stridet crepitus, duraque verberum
Vis, saevus geminat vulnera carnifex,
Rivis sanguineis secta tenerrimae
Undant membra Puellulae.

Gg 2

ritensis apud S. Isidorum in Chronico *aera* 491., Fortunatum *lib.*8. *carm.*4., Gregorium Turonensem *lib.*1. *de gloria Martyrum cap.*91., auctorem vitae S. Fructuosi Antistitis Bracarensis supparem eidem Fructuoso. Codex Veronensis plusquam millenarius Josephi Blanchinii, in quo Ordo officii Gothici describitur, Eulaliae Emeritensis meminit, Barcinonensem penitus tacet. Cl. Matthaeus Aymerich in opere, *Nomina, et Acta Episcoporum Barcinonensium*, *Diatribae Parte* 3. §. 9. in errorem inductus est putans in eo codice mentionem fieri S. Eulaliae Barcinonensis, quod apud Cennium hoc nomen legatur, sed characteribus diversis, et ex officio alio Mozarabico desumptum. Joseph Blanchinius *t.* 1. *oper.* V. Cardinalis Thomasii Libellum Orationum ex codice Veronensi inseruit, et in *Annotat.* 9. *ad pag.* 18. animadvertit in margine, *Codex Veronensis solam Emeritensem* (Eulaliam) *commemorat, ut Prudentius*. Blanchinius pro Emeritensi citat etiam Aldelhelmum *Lib. de Gloria Virginitatis*; qui tamen *cap.*25. S. Eulaliae exemplum profert, sed Emeritensem non appellat. Eundem Aldelhelmi locum pro Emeritensi Florezius allegat *tomo X. Hisp. Sacr. cap.* 25.. Vix autem apud antiquiores Eulaliae Barcinonensis nomen reperias, si officium Mozarabicum, et S. Eulogium excipias. Itaque aut utraque ante judicem

Ad laud.= Haec tormenta ferens promeritas canit
Laudes grata Deo; sic reliquas subit
Poenas, sic lateri complicitas faces,
Flammarumque vorat globos.
Extremo fugiens oris ab halitu
Sursum caeruleum raptus in aera
Ad promissa volat praemia candidi
Instar spiritus alitis.
Incestis oculis cura vigil Dei
Artus virgineos abstulit, undique
Immissis nivibus; non solito metu
Lictores celerant fugam.

non quaesita constitit, aut si altertutra, haec fuit S. Eulalia Emeritensis, cujus Acta, et narrationem Prudentii aliquis imprudenter S.Eulaliae Barcinonensi accomodaverit. Nam quod alii suspicantur, non nisi unicam fuisse Eulaliam, minus probo. Lucius Andreas Resendius cum lectiones Sanctorum, qui in dioecesi Eborensi recoluntur, esset in ordinem redacturus, Eulaliam Emeritensem lectionibus propriis in nostram sententiam exaratis decoravit, Eulaliam Barcinonensem lectionibus communibus contentam esse jussit. *Cui divae* (inquit in Epistola ad Bartholomaeum Quebedo loquens de S.Eulalia Barcinonensi) *lectiones ideo non apposui, quia quae de illa circumferuntur, fere ex Emeritensi Eulalia desumpta sunt ... De Emeritensi extant et Acta, et sacer ille Prudentius. De altera viderint cives Barcinonenses, et solertius investigent*. Sed ut redeam ad officium S. Eulaliae Emeritensis, nescio quis, invitis sane omnibus musis, hymnum sapphicum elaboravit, qui seculo praeterito proximo cum reliquis partibus officii proprii approbatus primum est pro Ecclesia Ovetensi, ac paulo post extensus ad omnes ecclesias Hispaniae. Eum omittere penitus in animum induxeram, propterea quod facilius novum condere me posse credidi, quam veterem ad justam formam reducere. Quidam Religiosus, vir doctus, non probabat, quod Virgo tertium decimum annum jam agens *tenerrima Puellula* a me dicatur; oblitus fortasse, quod Catullus scripserit *Epigram*.48.:*Rivales socii Puellularum*, et *in Nuptiis Julii, Tu fero juveni in manus - Floridam ipse Puellulam - Matris e gremio suae - Dedis* etc.; ac iterum, *Mitte brachiolum teres - Praetextate puellulae*, et rursus, *Collocate Puellulam*. Si haec Catulliana displiceant, advocabo sacrum illum poetam Pruden-

Non sic Virgo tamen vota precantium
Devotis animis edita respuit;
Testes, quas populus concipit Asturum;
Testes Emeritae preces.

In eodem festo S. Eulaliae. Hymnus antiquus correctus (a).

Ad vesp.= Virginis laudes canimus pudicae,
Mille quae sertis redimita frontem
Duplices palmas meruit referre
Sanguine partas.
1. Sede festinans fugit e paterna,
Nec timet noctem, pavet aut tenebras,
2. Lux tamen caeli rutilat, viamque
3. Monstrat eunti.
4. Ut gradu cursum celeri peregit,
Judicis durum stetit ad tribunal,
5. Gentium Divos, simulacra caeca,
6. Surdaque temnens.
7. Impius Judex animum Puellae
8. Tentat aggressus prece captiosa,
9. Et jubet vanis adolere templis
10. Thurea dona.

tium in hymno S. Agnetis *Peri stephanon* 14. *Primis in annis forte Puellulam*. Mitto, quod apud scriptores ecclesiasticos *puella* pro *virgine* etiam adulta, etiam vetula, accipi solet. *Aevo sub viridi* pro viridi aetate idem Religiosus reprobabat: sed tot sunt exempla mihi faventia, ut si ea promerem, in re minime dubia testibus me uti minime necessariis aliquis objiceret. Verum cum metro usus fuerim in hymno praefixo, quod non omnibus fortasse placebit, quia ab usitato hymno discrepat, antiquum edere constitui, quantum potui, emendatum.

(*a*) Versus, numeris notati, sunt ii, qui pro aliis expunctis substituuntur, ceteri ex hymno antiquo, qui corrigitur, sunt decerpti. Contigit autem aliquando, ut cum unus tantum versus correctione indigeret, duo, vel plures novi debue-

11. Illa fallaces, tenerasque voces
12. Respuens nullis precibus movetur,
13. Spumeis ponti velut alta rupes
Fluctibus obstat.
Sit decus Patri, genitaeque Proli,
Et tibi compar utriusque virtus
Spiritus semper, Deus unus, omni
Temporis aevo.

Ad mat.= Infremit Praetor, rabieque frendet,
14. Carceres, virgas minitans, et ignes,
15. Nec minus fortis furiis resistit
16. Virgo tyranni
17. Membra dum flagris laniantur uncis,
18. Verberum plagas numerans cruentas
19. Gaudet, et Christi celebrat sonora
20. Voce triumphos.

rint induci. Haec emendandi ratio, et distinctio in aliis hymnis deinceps corrigendis erit adhibenda; quod semel animadvertisse sufficiat. Demum versus, quos delendos censui, suo praefixo ordine sunt sequentes,

1. *Testa festina egreditur paterna.*
2. *Praevia sed luce aperit rubeta*
3. *Caelicus ordo.*
4. *Intrat et passu Emeritam veloci.*
5. *Arguens caecas venerare gentes*
6. *Numina vana.*
7. *Dulcibus verbis, studiisque tentat*
8. *Praetor emollire animum Puellae,*
9. *Offerat saltem pia thura Divis*
10. *Caesari placens.*
11. *Illa fallaces renuit loquelas.*
12. *Nulla promissa alliciunt, iniquis*
13. *Pernegat sensus, velut alta rupes.*
14. *Verbera intentat, moveant Puellam.*
15. *Cuncta frustra: fortior et resistit*
16. *Ipsa Tyranno.*
17. *Ungulae carnes laniant cruentae.*
18. *Virgo sed plagas numerans biulcas*
19. *Gaudet, et Christi celebrat triumphos*
20. *Voce sonora.*
21. *Nominis magni alma tui trophaea*
22. *Maxime Christe.*
23. *Inquit: at Praetor furiis prehensus*
24. *Balneat fervente oleo mamillas*

Praestat inscriptos apices notare
Purpura tinctos, quibus exarantur
21. Nobiles palmae Crucis, et trophaea
22. Splendida Christi.
23. Haec ait: major tumet ira corde
24. Judicis; fervens oleum mamillis
25. Jussit infundi, tenerumque corpus
26. Calce peruri.
27. At nihil plumbum liquidum, nihilque
28. Calcis ardores nocuere, magnum
29. Temperant aestum, placidumque miscent
30. Numina frigus.

Ad lau. 31. Tunc faces atro volitante fumo
32. Ad latus flagrant geminum ligatae
33. Virginis, flammas vorat illa pleno
34. Oris hiatu.

25. *Calce tum rivis fervidis aquarum*
26. *Corpus adurit.*
27. *Attamen calce, ex liquidove plumbo.*
28. *Nulla nec parva Eulaliam favilla*
29. *Laedit, experta omnia temperata*
30. *Virgo decora.*
31. *Lampades postremo Virgini ligatae*
32. *Applicat, quae ignem caput occupantem*
33. *Transfert in pectus, hianteque ore*
34. *Hausit aperto.*
35. *Donat haec pura Attalicos amictus*
36. *Artubus almis.*
37. *Virgo, quae es firma Emeritae columna,*
38. *Astures fortes faveas benigna.*
39. *Audias, quod nos ferimus libenter*
40. *Supplices votum, recipe: et secunda*
41. *Tempora indulge, ut tibi personemus*
42. *Carmina sancta*

In his versibus facile quivis per se deprehendet elisiones ex quibus difficilis, et ingratus cantus redditur, ut liquet ex *Dissertatione praevia num.* 203.. Praeterea cum in sapphico carmine caesura post secundum pedem elegantiam, et jucunditatem afferat, duriusculi evadunt plures ex his versibus, in quibus ea caesura desideratur, ut legenti manifestum fiet. Ad latinitatem vero, et ad metrum quod

Spiritus formam recipit columbae,
Quae volans caelum penetrat coruscum,
Contremit lictor fugiens, relicto
Corpore solo.
Membra tam saeve lacerata nuda
Contegit caelum nive decidente,
35. Ne sacrum corpus temerent profanae
36. Lumina gentis.
37. Virgo, quae caeli regione gaudes,
38. Austurum votis faveas benigna,
Qui tibi semper referant Patronae
Omnia laeta.
39. Audias, quae nos humiles precamur
40. Supplici cultu, tribuasque vires,
41. Ut tuas laeti resonemus almo
42. Carmine laudes.

attinet, 4. versus peccat, quia in *veloci* primam syllabam brevem facit; 5., quia utitur active verbo *veneror*; 10., quia in *Caesari* ultimam syllabam brevem, in *placens* primam longam efficit; 24., quia verbum *balneat* barbarum adhibet; 25., quia in *fervidis* primam syllabam brevem facit; 31., quia una syllaba longior est, cum tertius pes, qui dactylus esse debet, constet ex quatuor syllabis, tribus primis longis, et ultima brevi, scilicet, *tremo Virgi*; 33., in *transfert* ultima syllaba tamquam brevi utitur; in *pectus* ultimam producit, in *biante* secundam breviat, tertiam producit, conjunctionem *que* aut non elidit sequente vocali, aut si elidit, brevior est una syllaba; 38., utitur verbo *faveas* cum accusandi casu, nisi legas, *foveas*. Addo sententiam 2. versus primae strophae ad vesperas, *Mille quae sertis redimita frontem* non omnibus fortasse esse placituram, cum extra rem videatur caput Virginis tot sertis onerare. Sed cum latini sermonis, carminis, et cantus ratio rite in eo versu procedat, eum mutatum nolui. Simplicius tamen, ac verius diceretur, *Quae sacro frontem redimita serto*.

Die

Die 11. *Decembris* . *In festo* S. *Damasi* (*a*).

Ad vesp.= Inter choros caelestium
Dicatur almo carmine,
Qui mente rexit provida
Ovile Christi Damasus.
E Sede Petri fulminans
Disjecit errores procul,
Compressit et prudentia
Motus frementis haeresis.
Sublime magni Praesulis
Doctrina pectus imbuit,
Petita limpidissimo
E fonte sacrae paginae.
Extruxit hic Ecclesias
Ornans decore plurimo,
Ut Martyrum splendescerent
Cultu sepulchra debito.
Praescripta legum condidit,
Et sanctiones utiles,
Ut emineret sanctitas
In Christianis coetibus.
Praeibat exemplo suo

(*a*) Romanum Pontificem Damasum, quem jure suum vocare possunt Hispani non solum cum breviario, sed etiam contra Criticos, postquam eum Hispaniae vindicavit eruditissimus Franciscus Perez Bayer, non Romanum, sed Hispanum fuisse probans, plaudentibus multis quoque Italis, Pontificem, inquam, de universa Ecclesia Catholica optime meritum quid est causae, cur peculiari quodam obsequio Hispani non venerentur? Eos ut excitem, immo ut praeclari Pontificis honori ecclesiastico pro virili parte consulam, praemisso hymno eum laudandum suscepi. Rationes, quibus evincitur, S. Damasum natione Hispanum fuisse, nihil attinet hoc loco obtrudere, cum eas nitide, et nervose laudatus Bayerius in celeberrima sua Dissertatione exposuerit, iterumque cl. Xaverius Lampillas

Virtute praestans fulgida,
Quos instruebat regulis,
Hos excitabat moribus.
Ex arce summa, Pontifex,
Tuos Iberos adjuva,
Ut assequantur gloriae
Desiderata praemia.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, cumque Spiritu
In sempiterna secula.

Die 18. Decembris. In festo Expectationis B. Mariae Virginis (a).

Ad vesp. = Propinquat hora, Virgine
Natum Deum videbimus,
Ibera tellus gaudeat,
Magnis resultans vocibus.
Festum Mariae cultui
Hoc Ildefonsus dedicat,
Hispanus ultro suscipit,
Pluresque mox Ecclesiae.

in sua locupletissima Hispanorum apologia in medium protulerit. In hymno produxi primum A in *Damasus* necessitate metri.

(a) Originem in Hispania a S. Ildefonso habuit festum Expectationis, et inde ad multas Ecclesias extensum est, de quo videri potest Tamayus in Martyrologio ad hanc diem, et Mabillon. in *Actis SS. Benedict.* t. 2. ann. 667., Raynaud. in *O. Parasceevastica*. Idcirco ratio institutionis hujus festi postulat, ut Hispani in ejus officio aliquem hymnum concinant, quo Majorum pietatem, et cultum singularem erga SS. Virginem in memoriam revocent. Asseritur in hymno, S. Ildefonsum ordinasse hoc festum, quia ita tradunt auctores antiquissimi, vel quod S. Ildefonsus jam Praesul Toletanus majorem solemnitatem instituto antea festo adjecerit, vel quod officium ecclesiasticum ejus diei ordinaverit, vel denique quod auctor fuerit Patribus

Precemur ergo supplices,
Redemptor ut nos visitet,
Rorate caeli desuper,
E nubibus Justus pluat.
O lumen aeternum Patris,
O dux Adonai, maxime
Denfensor, o Jesseia
Virente radix germine.
O clavis, et Davidicae
Sublime sceptrum regiae,
O sol sub ortu, gentium
O rector, o Emmanuel
Veni, tuae ne differas
Salutis indulgentiam,
Antiqua mundi crimina
Novo resolve foedere.

Hh 2

Concilii X. Toletani instituendi hoc festum sub titulo Annunciationis, quod olim in quibusdam Hispaniae Ecclesiis die 25. Martii celebrabatur. Concilium vero praedictum voluit deinceps celebrari die 18. Decembris. S. Ildefonsus erat eo tempore Abbas Agalliensis, et Concilio VIII. Toletano inter alios Abbates subscriptus legitur. Olim diversa nomina hoc festum sortitum est; dicebatur enim *Conceptio Christi*, *Annunciatio Christi*, *Annunciatio Dominica*, *Initium Redemptionis*, *Annunciatio Christi in Virgine*, *Annunciatio B. Mariae*, *Denunciatio B. Mariae*, *Passio Christi*. In Isidoriano codice Blanchinii plusquam millenario ita annotatur, *De Annunciatione B. Mariae, in qua Verbum caro factum est*. Benedictus Pontifex XIV. *lib. de festis B. M. Virginis* asserit, Hispanos, cum Ordinem Romanum recepissent, ex eoque festum Annunciationis die 25. Martii celebrarent, loco hujus solemnitatis translatae subrogasse festum Expectationis partus. Exinde vocabulum Expectationis tamquam hujus diei proprium habitum fuit; et quod ajunt Hispani *Nuestra Señora de la O*, ut explicat Petrus de Ribadeneira ad hanc diem, originem duxit ex antiphonis *littera O.* praemissa insignitis, quae hac die inchoantur, et magnis vocibus decantantur. Id accidere non potuit nisi post officii Romani ordinem in Hispaniis susceptum. Nam in officio ecclesiastico Mozarabico nullum vestigium appa-

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito
In seculorum secula.

Die 30. Decembris. In festo Translationis S. Jacobi Apostoli Hispaniarum Patroni. Hymnus antiquus ad commodiorem modulationem redactus (a).

Ad vesp. 1. Vindex Iberi nominis,
2. Jacobe, terror hostium,
Tonitrui quem filium
Dei vocavit Filius.
3. Huc lucidis a sedibus
Converte dexter lumina,
Audique laeti debitas
Grates tibi quas solvimus.
Grates refert Hispania,
Felix tuo quae nomine
Te gloriatur jugiter
Dignata sacris ossibus.
4. Tu caeca nox, et impia
Nos cum teneret vanitas,
Lucem salutis primitus
Oris Iberis impetras.
Tu bella cum nos cingerent,

ret hujusmodi antiphonarum. Festum Expectationis partus B. M. Virginis, ejusque officium Gregorius XIII. anno 1573. approbavit. Ex indulto Clementis X. extensum est ad Belgium, anno 1695. ad totum dominium Venetum propagatum est, et ex decreto Benedicti XIII. ad statum Pontificium.

(a) Franciscus Bencius, oratoria, et poetica facultate clarus, auctor est utriusque hymni ad vesperas, et laudes, qui inter reliqua ejus poemata, et hymnos legitur *lib.* 2. *p.* 107. voluminis inscripti: *Francisci Bencii S. J. Carminum Libri quatuor. Romae apud Jacobum Tornerium* 1590. *in* 8. Elegantissimi sunt hi duo hymni; sed cum in hoc carminum genere tanta sit ele-

5. Es visus inter agmina
6. Mucrone late fulminans
7. Equoque Mauros sternere.
Freti tuo nos pignore
Largum tuo te munere
Rogamus, omnes ut tuae
Spe protegas praesentiae.
Jesu tibi sit gloria
Qui natus es de Virgine
8. Cum Patre, cumque Spiritu
In sempiterna secula.

gantia adhibenda, quanta cum modulis musicis cohaereat, propterea ut cantui consulerem, aliquos versus subrogavi pro his, qui omissi sunt.

1. *Defensor alme Hispaniae*
2. *Jacobe, vindex hostium.*
3. *Huc caeli ab altis sedibus.*
4. *Tu caeca nox atque impia.*
5. *Es visus ipso in praelio*
6. *Equoque et ense acerrimus*
7. *Mauros furentes sternere.*
8. *Cum Patre, et almo Spiritu*
9. *Nobis ades, dum dicimus*
10. *Laudes Patrono Hispaniae.*
11. *Quod testis usque interfuit*
12. *Quando in paternis aedibus.*
13. *Est excitata ab inferis.*
14. *Thaboris alto in vertice*
15. *Seu monte olivis consito.*

Hi omnes versus, licet optimi, propter vocalium concursum, qui cantui incommodat, expuncti sunt. Festum Translationis S. Jacobi antiquissimum est in Hispania, ut ex vetustissimis breviariis praesertim Compostellanis, et Toletanis apparet. In Toletano Silicei *pag.* 271. sunt sequentes hymni.

Ad Vesperas.

Adest dies laetiae,
Beatus in quo Jacobus
Terris datur Hispaniae
Dux, et Patronus inclytus etc.

Ad Matutinum.

Gaude felix Hispania.
Laetis exultans mentibus
Tui Ducis solemnia
Laetis cantando laudibus etc.

Qui hymni, ex antiquioribus breviariis desumpti, legi possunt integri in martyrologio Hispano Salazarii ad diem 30. Decembris. Idem Salazarius alios ejusdem Translationis historicos hymnos excripsit ex breviario antiquo Ms. monasterii S. Cucuphatis, quod vocant *de Valles* in Catalonia, ad diem 22. Februarii. Verum fabulosae narrationes, anilesque historiae in eis hymnis exponuntur, in quibus inducitur Rex Gallaeciae excipiens corpus B. Apostoli navi delatum, cum tota Hispania Romano Imperio esset subjecta, repetiturque origo consuetudinis, quam habent Pere-



Ad laudes. Jesu salus mortalium,
9. Ades; Patrono dicimus
10. Hispaniarum carmina,
Tuam canentes gloriam.
Laudandus hic est unice,
Quod primus in certamine
Apostolis ex omnibus
Pro te profudit sanguinem.
Tui beatus plurimis
Notis amoris maximi,
11. Quod usque testis adfuit
Reconditis mysteriis.
Seu vi potentis dexterae
Surgit Jairi filia,
12. Cum Patris est in aedibus
13. Ad lucis auram reddita.
Seu vultus, ut sol, splendidus,

grini Compostellani, gestandi conchilia ex facto, quod ultima stropha hymni ad vesperas commemorat.

Cunctis mare cernentibus,
Natus Regis submergitur;
Sed a profundis ducitur
Totus plenus conchilibus.

Insigni erat ingenio, multaque eruditione praeditus Joannes Tamayo Salazar, sed turpiter hallucinatus est, nequid gravius dicam, dum sine judicio, ac delectu omnia documenta vetusta, aut quae vetusta viderentur, ultro excipiebat, cumque pleraque exsibilare oportuisset, malebat acumen, omnesque nervos intendere, ut difficultates pullulantes, si fieri posset, evelleret, et cum veritate historica conciliaret. Quod si hic, aliique ejusdem aetatis Hispani, quantam diligentiam, et ingenium in eruendis, illustrandisque monumentis antiquis, tantam prudentiam, et judicium adhibuissent, nihil deesset Hispaniae, cur aliis nationibus in hoc eruditionis genere invideret, neque *Chronicon Dextri*, aliique commentitii codices tantas tragoedias excitassent. Aethiopem lavasse hominibus nostris visus est Aymerichius, dum P. Hieronymum Roman de la Higuera a manifesta impostoris nota defendere conatus est *oper. cit.*. Dominicus Vallarsius Veronensis *in not. ad cap.* 132. *lib. S. Hieronymi de Viris illustr. edit. Veron.* 1735.

Et vestis, ut nix, candida
14. Thaboris alto vertice
Signum tuae dant gloriae.
15. Seu cum Parenti supplicas,
Angoris est index tui
Sudor tuo de corpore
Ceu gutta manans sanguinis.

Die 21. *Januarii. In festo SS. Fructuosi Episcopi, Augurii, et Eulogii Diaconorum Martyrum* (a).

Ad vesperas. Deus supernam gratiam
Nostris refundat cordibus,
Laudemus ut solemniter
Trium coronas Martyrum.
Dux Fructuosus impiger
Praesul Levitas excitat,
Ament ut una consequi
Fuso cruore lauream.

aequius iudicat de Chronico Dextri: *Hujusmodi historiae antiquum exemplar nactus ego sum in Ambrosiana Mediolanensi Bibliotheca, sed de operis germanitate non judico.* Ego vero neque de *codicis antiquitate* facile judicarem. Sed ut ad rem redeam, uti in aliis partibus officii ecclesiastici, ita in hymnis concinnandis in primis elaborandum est, nequid asseratur, quod fabulam sapiat, aut a veritate historica abhorreat.

(a) Cavendum maxime est, ne antiqui illi Martyres, ac Sancti Confessores, qui magno in honore olim sunt habiti, veterem cultum amittant, et quodammodo aliis recentioribus cedant. Acta trium horum Martyrum non solum in Ecclesiis Hispaniae, sed in exteris quoque legebantur: et in eorum laudem extat Sermo S. Augustini, qui est 101. *de Diversis.* Prudentius eosdem laudavit facundo hymno quinto *Peristephanon* a *Felix Tarraco Fructuose vestris*, metri genere, quale in breviario Romano non usurpatur; ejus tamen sensa ut plurimum expressi. Iterum hoc loco Prudentius relabitur in eam opinionem, quam nostra tempestate male sonare dixi §. *XXIII. Dissertationis num.* 130. *in nota.*
Olim tempus erit ruente mundo,



Post carceris molestias,
Quas pertulerunt fortiter,
Tyrannus invictos viros
Decernit igni tradere.
Ecclesiae jejunium
Negant rogari frangere,
Et mortis ad victoriam
Armantur abstinentia.
Se sponte poenis apparant,
Et irretorto lumine
Tuentur ardentem rogum,
Ex quo petent caelestia.
Ignis pepercit artubus,
Et sola rupit vincula,
Ut expedirent brachia,
Crucisque more tollerent.
Sed ne periret gloria,
Mentes solutae corporum
A mole versus aethera
Claro feruntur lumine.
Ut te canamus jugiter,
Fac nos, suprema Trinitas,
Vitare flammas vindices,
Cum mortis hora venerit.

Quum te Tarraco Fructuosus acri
Solvet supplicio, tegens ab igni,
Fors dignabitur et meis medelam
Tormentis dare, prosperante Christo,
Dulces Hendecasyllabos revolvens.
Rhabanus Maurus in Martyrologio perperam hunc S. Fructuosum auctorem Regulae Monachorum dicit. Festum horum Martyrum in fere omnibus antiquis Hispaniae breviariis celebratur. Mozarabes recitant hymnum Prudentii. Eorum Reliquiae partim apud Ligures non procul a Portu Delphini, partim in diversis Hispaniae locis publicae venerationi expositae sunt. De poculo, quod S. Fructuoso ad martyrium properanti a Christianis propinatum est, quaestionem excitat, et explicat Salazarius in Martyrologio.

Die

Die 22. Januarii. In festo S. Vincentii Martyris (a).

Ad vesp.= Partas horrifico supplicii modo
Palmas, atque decus Martyris inclyti
Festivo resonent carmine pectora,
Exultantia gaudio.
Cesserunt furiae, cessit atrocitas
Illaudata feri Judicis, ignium,
Vincenti, rabies fugit, abest procul
Caedis triste periculum.
Truduntur rapidis secula seculis,
Et cursu revolant irrevocabili,
Stat, semperque sacris stabit honoribus
Laus immobilior tua.
Te, lucente polo donec eant dies,
Laudabunt homines, plausibus aethere
Responsabit ovans coetus, et aurea
Nunquam plectra silentia. Ii

(a) Invicti Martyris Vincentii anniversarium diem cur sine hymnis propriis abire permitterem? At ejus festum, inquies, solum ritum semiduplicis habet. Isthuc ibam. Cum plurimi Sancti in officiis Hispanicis majorem solemnitatem obtineant, qui nec indigetes sunt, neque celebritate nominis cum nostro Vincentio comparandi, quid causae est, quamobrem is non alio cultu donetur, nisi quem universa Ecclesia concessit? Saltem Exteros nonnullos imitemur: in breviariis Constantiensi, Nivernensi, et Parisiensi hymnus S. Vincentii antiquus erat, quem correxit Guyetus: *Quantus ardor in Levita - Quanta vis Vincentii?* In officio proprio Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis Gallicanae tres de eodem Sancto Martyre habentur hymni recenti stylo exarati. Florezius *tom.* 8. *pag.* 185. S. Vincentium officio proprio majoris dignitatis in Hispania celebrandum esse persuadere nititur. Magnopere laudauda est egregia opera, et industria celeberrimi Bayerii nuper ad praefecturam Bibliothecae Regiae Hispanae summo omnium plausu eruditionis, et singularis doctrinae ergo evecti, quod SS. Damasum, et Laurentium Hispanis acerrime vindicaverit. Sed interea S. Vincentium, fortitudine, et exantlatis suppliciis nulli secundum, de quo nulla unquam fuit controversia, his venerationis signis prosequi oportet, quibus praestantissimum quemque. Ceterum tametsi ad majorem ritum

Summa laude Pater, Natus et unicus,
Dicatur pariter Nexus amabilis,
Indivisa manens Numine Trinitas
Nunc, olim, sine termino.

Ad matut. Delassata senis lingua Valerii
Quae proferre nequit, dogmata nuncians
Certo Martyrio non timido pede
It Vincentius obviam.
Sectus sanguineo verbere traditur
Mactandus fidibus discruciantibus;
Intensis variat carnificis furor
Instrumenta doloribus.
Prunis suppositis, crateque ferrea
Vim perferre diu cogitur igneam,
Quam solum valeat sancta repellere
Ardens pectore charitas.

S. Vincentius non eveheretur, tamen novum non esset, si hymnos proprios haberet, quos sub eodem ritu semiduplicis in breviario Romano habet S. Hermenegildus. Hymno metrico rhythmico S. Vincentium Martyrem celebravit Robertus Hanyvel in sua Hymnodia: hoc honore eundem Sanctum prosequuntur Monachi Cluniacenses, qui hymnum recitant a Santolio Victorino compositum. Dubitaveram, an hunc Santolii hymnum huc transferrem, meumque praetermitterem: sed satius visum deinde fuit, ut illo indicato, in eadem ego palaestra laborarem, quod ratio operis, et meum erga Martyrem accensum studium exigebat. Celeberrimum fuit olim nomen S. Vincentii Martyris, in cujus laudem S. Augustinus plures habet sententias. *Quae hodie*, inquit sermone 276., *regio, quaeve Provincia ulla, quousque Romanum, vel Christianum nomen extenditur, natalem non gaudet celebrare Vincentii?* Prudentius quoque hymno satis longo, et pulcherrimo Acta S. Vincentii cecinit; hunc hymnum recitant Mozarabes, additis octo strophis in principio, quarum primus versus est, *Adest miranda passio*. Joseph Blanchinius in notis ad suum codicem Veronensem Ordinis Isidoriani existimat, totum hymnum esse Prudentii, licet octo primae strophae in operibus illius non legantur. Nae Blanchinius hoc suo judicio ostendit, se aut in Prudentio, aut in poesi parum esse versatum, qui versus fere nulla metri lege decurrentes ausit affingere Prudentio. Quippe

Uncis viva caro scinditur ungulis;
Candentes renovant vulnera laminae,
Dejectum piceis in specubus premunt
Testae corpus aculeis.
Vis audire novum supplicii genus?
Sic fessum thalamo purpureo locant
Inter delicias, sertaque florea,
Nec constantia frangitur.

Ad laud. = Heros suppliciis victor in omnibus,
Elusis fatui Judicis artibus,
Lecti blanditias deserit avolans
Trans fulgentia sidera.
Caelum prodigiis, corpus ut integrum
Projectum mediis perstet agris, favet,
Custos corvus adest, nec volucres, neque
Accedunt avidae ferae.
Judex aequoreis fluctibus imperat
Mergi, Relliquiis ne pateat locus;
Incassum, placide nam refluentibus
Stans undis super enatat.
Adsis o famulis rite precantibus,
Vincenti, radium luminis impetra,
Ne cedat pietas fracta periculis,
Succumbatque laboribus.
Id nostro maneat corde reconditum,
Quod tormenta brevi praetereuntia
Aeternae pariunt praemia gloriae,
Permansuraque gaudia.

Prudentius praeter quasdam voces ex accentu graeco, aut ex tunc vigenti consuetudine aliter pronunciatas, prosodiae regulas religiose servavit, ac nihil est absurdius, quam eum auctorem credere octo stropharum continenter fluentium, in quibus paucos reperias versus ad carminis rationem exactos. De Reliquiis Martyris consule Bolland..

Die 23. *Januarii. In festo S. Ildefonsi Archiepiscopi Toletani Confessoris* (*a*).

Ad vesp.= Inter virgineos caelicolum choros
Nimbo purpureo vecta per aera
Templum maxima Virgo
Majestate replet sua.
Gens devota sacris ingrediens locum,
Ut fulgere vident insolitum jubar,
Mirantur stupefacti,
Et retro referunt pedem.
Adscitus propius non trepido gradu
Ildefonsus adit; munere Virginis,
Aspectuque beatus
Miscetur Superum choris.
Defensoris honos ut vigeat diu,
Complectens humeros ipsa Dei Parens
Cincumducit amictum,
Quo Praesul celebret sacra.
O felix pietas! o decus inclytum!
Quod fasti memores laudibus evehant,
Quod non obruat ullis
Aetas invida seculis.

(*a*) In breviario Cardinalis Quignones insertum erat officium S. Ildefonsi, quod in breviario jussu S. Pii V. correcto loco motum est: id cur ita contigerit, divinare non ausim. Equidem vidi breviarium Romanum *de Camera* nuncupatum, quod fuerat ex libris Illmi Coccini S. Rotae Auditoris, Venetiis impressum 1550., in quo officium S. Ildefonsi ad hanc diem reperitur cum tribus lectionibus propriis desumptis ex breviario Quignoniano. In Breviario Toletano *anni* 1505., itemque in altero posteriori Silicei *anni* 1551. in festo S. Ildefonsi canebatur rhythmus, cujus primam stropham exhibeo, *Celsi Confessoris - Festum venerandum - Nobis ut est moris - Adest celebrandum.* Deinceps cum in omnibus Hispaniarum regnis sub ritu duplici minori officium S. Ildefonsi recitaretur, sub finem seculi 17. a Sacr.

Ovetum manibus Virgineis datam
Vestem servat adhuc, et recolit pie,
Quae sit pignus amoris,
Virtutem simul excitans.
Laus aeterna Patri, laus quoque Filio,
Par individuo gloria Flamini,
Et divina canatur
Virtus in tribus unica.

Ad mat.= Spes mundi fragiles, vanaque praemia
Et patris repulit blandiloquas preces
Ildefonsus, amori
Divino penitus vacans.
At non celsa caput montis in arduo
Occultare potest vertice civitas,
Sic nec tanta latere
Virtus evaluit diu.

Rit. Congregatione petita fuit extensio sub ritu duplici primae classis cum octava pro omnibus Hispaniarum ecclesiis, et sub ritu duplici pro universa Ecclesia. Sacra Congregatio *die* 19. *Januarii* 1697. concessit extensionem sub ritu duplici sine octava ad omnes Hispaniarum ecclesias, et sub ritu semiduplici de praecepto ad Ecclesiam universam. Sed cum Relator causae Cardinalis Colloredus difficultates quasdam proposuisset circa verba, quibus S. Leocadia fertur S. Praesulem collaudasse, et in eam sententiam inclinasset, ut negaret, fuisse a S. Leocadia prolata haec verba, *O Ildefonse per te vivit Domina mea, quae Caeli culmina tenet*; Sacra Congregatio *die* 6. *Decembris* 1698. censuit, ea verba, licet in lectionibus Toletanis propter vigentem inibi traditionem legerentur, non esse inserenda lectionibus pro universa Ecclesia recitandis. Subinde *anno* 1723. iterum eadem petitio instaurata est, dum Promotoris fidei munere fungeretur Benedictus XIV., qui haec omnia fuse narrat *in opere de Beatif., et Canon. SS. lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 25. *et seqq.*. Is cum difficultates ab Emo Colloredo excitatas renovasset, ac promovisset, Sacra Congregatio *die* 25. *Maji* 1726. lectiones S. Ildefonsi, in quibus illa verba S. Leocadiae tribuuntur, per Cardinalem Belluga porrectas, recitari posse concessit in omnibus regnis Catholico

Quis cantu referat, quantus in haeresim
Armata minitans prodierit manu,
Ut lugubre gementem
Deturbarit ad inferos?
Non oblita boni moris Iberia,
Exemplique tenax Virginis omnia
Ornamenta Mariae
Totis viribus asserit.

Ad laud.= Te quondam pietas, teque fides duce
In nostris residens floruit urbibus,
Te pellente, refugit
Ildefonse procul scelus.
Tu par caelitibus colloquio frui
Divino meritus, vita foret licet
Tunc mortalis, in ipsa
Terra visus es Angelus.
Nunc alte quoniam siderea domo
Exceptus liquido nectare pasceris,
Audi nostra, bonosque
Perduc vota sub exitus.

Regi subjectis sub ritu duplici 2. classis cum octava, in reliquis respondit, *Dilata*. Quamquam vero in praecedenti hymno de apparitione S. Leocadiae nihil fuerit nominatim dictum, actum tamen de ea est in hymno S. Leocadiae *ad diem 9. Decembris*; in quo laus a S. Leocadia S. Ildefonso data pro B. M. Virginitate propugnata exprimitur, quae narratio extra controversiam est, ut assentitur ipse Card. Colloredus in Voto Sac. Rit. Congregationi exhibito, quidquid sit de certis definitisque verbis, quibus usa fuisse dicatur S. Leocadia. Commemoratur tamen in hoc hymno altera apparitio, qua S. Praesulem B. Virgo Maria alloqui dignata est, eique vestem sacram dono dare. Haec apparitio neque in dubium quidem revocata est, dum in Sac. Rit. Congregatione expensae, approbataeque sunt lectiones, ac de ea meminit Martyrologium Romanum ad hanc diem. Tantum virum, tamque egregium Deiparae defensorem, innumeris aliorum laudibus ornatum, nolui sine hymno praeterire; cujus festum ut in universa Ecclesia ageretur, vehementer optarem, etiamsi verba S. Leo-

Fac, regnis vigeat sparsa patentibus
Inconcussa fides, almaque charitas,
Hispanoque nocentes
Cedant orbe cupidines.

Die 28. Januarii. In festo S. Juliani Episcopi, et Confessoris (a).

Ad vesperas. Christe, certa spes salutis,
Et Redemptor omnium,
Luce nos reple benignus,
Ut precantes fervide
Sacra festa Juliani
Personemus carmine,
Luminis dias ad oras
Cum puer comparuit,
Fulgor ore qui micabat
Visus est ab omnibus,
Quantus esset mox futurus,
Evidenter indicans.
Crevit inde causa major
Congruentis ominis,
Fonte dum sacro lavatur,
Angelus fert Praesulis
Signa non obscura, nomen
Juliani nuncians.

cadiae, si opus esset, lectionibus expungerentur. Dolendum vero est, quod Sac. Rituum Congregatio in Decreto edito 25. *Maji* 1725. officium, et titulum Doctoris non concesserit, prout fuerat expetitum. Vide Bened. XIV. *loc. cit. cap.* 12. *n.* 1., *et seqq.*

(*a*) Breviarium Antonii Nebrissensis opera correctum, et excusum anno 1515. hymnos sapphicos exhibet ad vesperas, ad matutinum, et ad laudes officii S. Juliani, castigationi tamen obnoxios, ut ex primo versu colligi potest, *Vocibus claris pie jubilemus*. Plures alios hymnos in eodem festo ad omnes, et singulas horas profert Salazarius *in Martyrologio Hispano ad hanc diem* ex Mss. codicibus P. Hieronymi Roman dela Higuera, quas sordes satius est non attinge-

Splendido quid non favore
Speret altrix civitas?
Spem tamen vicere mores
Consequentes aurei,
Vita plena sanctitatis
Inter acta litteras.
Sit decus Patri, simulque
Filio, par gloria
Pneumati sancto, Deique
Simplicem substantiam
Subditus collaudet orbis
Seculorum seculis.

Ad matut.= Ad sacras Episcopales
Julianus infulas
Cogitur subire nolens
Omnibus volentibus,
Luce fulget inde mira,
Fax velut clarissima.
Currit ad virtutis altum
Culmen arcta semita,
Pectus ardet intus alma
Charitate Numinis,
Emicat propinquus ignis
Charitate proximi.
Quos fames, vel quos egestas
Rebus urget asperis,
Carceris quos vexat horror,
Quos premit sors invida,
Hos fovens, et hos, et illos
Omnibus satisfacit.

Pau-

re. Quamquam non probo Bollandianorum de Salazario censuram ad diem 28. April. in festo S. Prudentii: *Convictus est apud nos Tamayus multiplici experimento pro sinceris antiquorum scriptorum ecgraphis venditare vitas arbitrio suo interpolatas... nisi quis suspicari malit,*

Pauperum Pater vocatus
Redditus Ecclesiae
Erogabat affluenter
In necessitatibus,
Ut sibi deesset ante
Cuilibet quam subdito.

Ad laudes. Eminens accepta caelo
Juliani charitas
Comprobatur impetratis
Saepius miraculis,
Queis Deus plebem redemit
Ad preces Antistitis.
Affuit vis magna frugum
Missa caeli munere,
Cum lues saeviret atrox
Protinus disparuit;
Quod genus non ille morbi
Dispulit divinitus?
Nec minus receptus astris,
Annuens rogantibus
Mille damna, mille poenas,
Mille mortes sustulit,
Concha plaudit, et sepulchri
Gaudet urna nobili.
Juliane, magna nostrae
Nationis gloria,
Adjuva tuos Iberos
Faustitate plurima,
Floreant, Deumque laudent
Corde, voce, sensibus.

ipsum Tamayum esse auctorem istorum carminum; quae junior compegit, nihilo tunc poeta melior, quam postea historicus accuratus, et fidelis.

Die 5. *Februarii, In festo S. Philippi a Jesu Martyris, Patroni Mexici. Hymnus antiquus ad cantus regulas revocatus* (*a*).

Ad vesperas. Salve triumphalis pugil,
1. Orbis novi lux maxima,
Qui morte fecisti tua
Beatiorem patriam.
Athleta princeps Mexici
Trophaea celsa Martyrum,
Dignamque caelo lauream
Tu primus infers patriae.
Quidquid juventus fervida
Peccaverat licentia,
Libenter in mortem ruens
2. Cruore victor expias.

(*a*) Caesenae anno 1780. tertio editum fuit Didaci Josephi Abad carmen de Deo hoc titulo, *Didaci Josephi Abadii Mexicani de Deo, Deoque Homine Heroica*. Praefixum est specimen vitae auctoris, qui non longe ante decesserat Bononiae. In hac vita legi, eum perfecisse *duplicem hymnum inclyto Martyri, ac Patrono Mexicano D. Philippo a Jesu e S. Francisci Familia, qui apud Japones pro Christi fide effuso sanguine felicissima adhuc matre superstite in Beatorum numerum relatus est, in ejus, ut ajunt, Officio nuperrime a S. Sede approbato insertum, aeternumque in ecclesiastica historia Abadii monumentum*. Ejus igitur sunt hymni, quos proposui, aeque pii, et venusti, ac nobile carmen *de Deo, Deoque Homine*. Synaloepham in hymno ad vesperas ter admisit in his versibus, quos sustuli.
1. *Decus novi orbis maximum*.
2. *Sancta expiasti victima*.
3. *Nostra eluamus crimina*.
Negant Lexicographi, et quod gravius est, negant veteres Grammatici, inveniri *Primoris* in nominativo singulari. His morigerari si velis, versum secundum strophae tertiae ad matutinum in hunc modum reformabis: *Praecedis ultro signifer*. Mollior etiam flueret primus versus strophae 4. ad vesperas sic redditus, *Fac, ut tui nos aemuli*. Clausulam doxologiae, quae in laudato Vitae specimine praetermissa est, communem esse suspicatus sum. S. Martyrem Philippum a Jesu Martyrologio Romano ad hanc diem Benedictus XIV. adscripsit cum ceteris sociis Mar-

Tui fac ut nos aemuli
  Dolore cordis intimo
  Jugique poenitentia
  Sordes lavemus criminum.

3. Virtus, honor, laus, gloria
  Deo Patri cum Filio,
  Sancto simul Paraclito
  In sempiterna secula.


Ad matut. = Philippe Martyr inclyte
  Jesu fidelis assecla,
  Quem praetulisti nomine
  Ad usque vis mortem sequi

Confossus hasta triplici,
  Fusoque rorans sanguine
  Distentus expirans cruce
  Jesu refers imaginem

Sodalium tu Martyrum
  Primoris is et signifer,
  Agmenque ducens caelitum
  Prior profundis sanguinem

Kk 2

tyribus Japonensibus, ut ipse testatur in litteris Apostolicis de nova Martyrologii Romani Editione §. VIII.. *Die quinta Februarii addita a nobis est Commemoratio viginti sex Martyrum Japonensium; e quorum numero tres ad Societatem Jesu pertinent; sex, nimirum tres Sacerdotes, totidemque Laici ad Ordinem S. Francisci; qui vero supersunt reliqui, secularibus accensendi*. Notatu quoque dignum est, quod idem Pontifex de his Martyribus narrat Lib. I. cap. 30. n. 1. de Beat., et Canon. Sanctor.. *Post institutam*, inquit, *Sacrorum Rituum Congregationem nonnullae Martyrum Causae fuerunt in ea propositae, atque expeditae, quarum prima fuit viginti trium Martyrum Japonensium ex Ordine S. Francisci, ac trium e Societate Jesu*. Breve Beatificationis horum Martyrum editum est in *Actis Bollandianis tom.* 1. *Februarii p.* 740.. Relatio Auditorum Rotae in *Appendice* 2. *ad lib.* 3. *Benedicti XIV.* affert nomina horum Martyrum, ac sexto loco S. Philippi. *Fr. Philippus de Jesu, alias de las Casas, Ch*[illegible]*;*



Audi precantum civium
Voces, piasque lacrymas,
Ductorque noster sedibus
Tu nos beatis insere.

Die 8. Februarii. In festo S. Joannis de Matta Confessoris. Hymni antiqui, sublato vocalium concursu (a).

1. Tu Redemptoris quoque nomen ingens
2. Obtines vitae merito Joannes,
Dum catenarum misere gravatos
Pondere solvis.
3. Sic jubent caeli manifesta signa,
4. Sacra dum supplex peragis, videndum
5. Praebuit sese veniens ab alto
6. Angelus axe.
7. Pulcher aspectu, niveaque veste,
8. Caerulo crux, et rubeo colore
Mixta de collo fluitans honestum
Pectus obibat.
Rursus apparet bicolore cervus
Nobilis nostrae labaro salutis;
Rursus et caelum monet obsequentem
Condere prolem.

oriundus ex Civitate Mexici in nova Hispania, cujus pater, et mater erant Hispani.

(a) S. Joannes de Matta primus, ac praecipuus Fundator Ordinis SS. Trinitatis, et Redemp. Capt. non immerito locum hunc sibi vendicat; cum Falcone in Provincia natus fuerit, quo tempore ea sub Hispanorum ditione tenebatur, et cultus publicus ab immemorabili tempore eidem cum S. Felice de Valois praestitus Hispanorum eiusdem Ordinis industria, et diligentia fuerit declaratus. De quo consuli potest Bullarium Ordinis a P. Nicolao a Virgine, Theologo insigni, Pampilone ante paucos annos impressum. Benedictus XIV. *de Beat. lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 12. refert, in breviario antiquo ecclesiae Meldensis hymnum proprium SS. Joannis de Matta, et Felicis de Valois reperiri, in alio etiam *antiquissi-*

Condit, et magni socius laboris
Additur Felix, Triadique summae
Ordinem sacrat, triplicique signo
Ornat Alumnos.
Africae Regum pretio favorem
Frangit oblato, revocans ab orci
9. Faucibus multos, patriasque laetos
Reddit ad oras.
Te, Deus simplex, pariterque trine,
10. Vincla dissolvas animi, rogamus,
Liberam forma tibi servitutem,
Christe Redemptor.

Ad laud.= Jesu, Redemptor omnium,
Magnes, amorque cordium,
Nos a catenis liberans,
Ac servitute tartari.
Tibi Joannes sedulam
Ut servitutem dedicet,
Thracum levare vinculis
Captiva certat agmina.
Flammis amoris aestuat,
Quas non retardant aequora,
Ardore Christi percitus
Plagas remotas advolat.

mo breviario pro regnis Angliae, Scotiae, et Hiberniae lectiones proprias eorumdem. Editas in quodam Folio vidi *Commemorationes ex Anglicanae Provinciae Breviario Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum anno* 1432. *impresso pro SS. Joanne, et Felice. Romae ex Typ. R.C.A.* 1649.. Scire aveo, quibus typis illud breviarium *anno* 1432. fuerit impressum, vel potius, quoniam nulla tunc erat Typographia, quisnam alius annus erit subrogandus. Petrus de Alva in *Militia Conceptionis pag.* 250. allegat breviarium Ordinis SS. Trinitatis *impressum anno* 1545. *in* 4.. Marianus a S. Stanislao *Lib.* 2. *cap,* 10. *Hypomnematis Provinciae Polonae* transcribit hymnos SS. Joannis, et Felicis ex officio typis edito Salmanticae *anno* 1581.

O vera Christi charitas,
11. Succende pectus Filiis,
Ut Patris exemplo sui
Redemptiones augeant.
Nos vinculis, quae cordibus
Inferre tentat satanas,
Ut claudat ad caelum viam,
Jesu Redemptor, exime.
Concede, sancta Trinitas,
Cui consecravit ordinem
Suum, Joannes, triplicis
Amare voti compedes.
12. Patri, Patrisque Filio,
13. Qui nos redemit sanguine,
Tibique, sancte Spiritus,
Sit laus in omne seculum.

Die 3. Martii. In festo SS. Martyrum Hemeterii, et Celedonii.
Hymnus antiquus correctus (a).

Ad vesperas. Scripta sunt caelo duorum
Martyrum vocabula,
Aureis quae Christus illic

per Michaelem Serranum de Vargas. In breviariis recentibus hujus Ordinis alii sunt hymni, in quibus nihil est, quod in metro, aut elegantia emendes; sed ut elisiones fugerem, hos versus mutavi:

1. *Te Redemptoris celebri Joannes*
2. *Nomine aeternum quoque dicet aetas.*
3. *Laudat hoc ipsum Deus, atque apertis*
4. *Firmat ostentis: operanti ad aras*
5. *Angelus sese tribuit videndum*
6. *Missus ab axe.*
7. *Membra cui vestis nivibus tegebat*
8. *Purior; Crux caeruleo rubroque.*
9. *Faucibus multos, patriasque abactos.*
10. *Vincula ut solvas animi, rogamus.*
11. *Succende alumnis pectora.*
12. *Patri, et Parentis unico,*
13. *Qui nos redemit, Filio.*

(a) Hic hymnus excerptus est ex hymno I. Prudentii longiori in libro *Peri stephanon*; qui etsi nitidissimus sit, mutandos tamen

Annotavit litteris ,
Sanguinis notis et idem
Scripta terris tradidit.
1. Pollet hoc Ibera tellus
2. Invidenda stemmate:
Hic locus dignus tenendis
Ossibus visus Deo ,
Qui beatorum pudicus
Esset hospes corporum.
Hic calentes hausit undas
Caede tinctas duplici ;
Illitas cruore sancto
Nunc arenas incolae
Confrequentant obsecrantes
Voce, votis, munere.

existimavi hos versus, quos suo ordine annotabo ;

1. *Pollet hoc felix per orbem*
2. *Terra Ibera stemmate.*
3. *Forte tunc atrox secundos*
4. *Ire ad aram jusserat,*
5. *Idolis litare nigris,*
6. *Mammonae dicabimur?*
7. *Gravibus ambit circlis.*
8. *Praemicando ostenderent.*
9. *Fulgor auri absconditur,*
10. *Subvehuntur usque in astra,*
11. *Ac stupore oppalluit.*

Praeter versus, qui ob elisionem excluduntur, delevi versum 3., quia deest sensus in adverbio temporis *tunc*, quod in hymno Prudentii ad versus praecedentes in hoc hymno praetermissos relatum recte procedit. In 5. versu fit brevis secunda syllaba in *Idolis*, idemque accidit in *mammonae* in versu 6. Saepe Prudentius in vocabulis Graecolatinis, in quibus accentus a quantitate discordat, corripit syllabam longam, ut in *mathesis*, *poesis*, *phrenesis*, quia apud Graecos hae voces acuuntur in antepenultima. Observatum id jam est a Joanne Baptista Ricciolio in Prosodia Bononiensi reformata, *part.8. de accentu cap. 5. regula 4. Fatetur enim*, ait, *Gretserus*, *et nos saepe advertimus*, *accentum in Graecolatinis vocabulis decepisse poetas aliquos*, *et ansam in quantitate peccandi obtulisse. Sic quia graece scribitur*, *et pronunciatur* εἴδωλον , *et* Ἀνίκητος , *quamvis penultima sit longa*, *tamen Tertullianus*, *contra Marcionem*, Idola vana sequi, turbam sibi fingere Divum. Atque pio suscepit Anicetus ordine sortem. *Ausonius quoque accentu graeco delusus in nomine TRIGONOS*, *et TETRAGO-*

Nemo puras hic rogando
Frustra congessit preces,
Laetus hinc tersis revertit
Supplicator fletibus,
Omne quod justum poposcit
Impetratum sentiens.
Sempiterna sit beatae
Trinitati gloria,
Aequa Patri, Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius, trinique nomen
Laudet universitas.

Ad mat.= 3. Saeviens olim secundos
Israelis posteros
Ductor aulae mundialis
4. Thus cremare jusserat
5. Numinum vanas ad aras,
Esse Christi defugas.

Hic

NOS *penultimam male corripuit*. Rectius diceretur, Prudentium, aliosque veteres non fuisse deceptos, aut ignorasse veram quantitatem syllabarum, sed voluisse suorum temporum consuetudini obsequi. Septimus versus in breviariis, et officiis propriis scribitur, *Gravibus ambit circlis*. Sed editiones correctae apud Bollandianos *ad hanc diem*, et aliae habent, *Circulis*, sine contractione. Neque vero ratio metri constat, si legatur *Circlis*, cum penultima brevis esse debeat. At de prima voce *Gravibus* quid erit dicendum? Nam primus pes trochaeus est in hoc carminum genere, duabus syllabis prima longa, altera brevi constans, et vox *Gravibus* tres syllabas breves continet. Responderi potest, Prudentium pro trochaeo posuisse pedem comparem tribrachym tribus syllabis brevibus constantem. Etenim computatis duabus syllabis, altera longa, quae est duorum temporum, altera brevi unius temporis, totidem temporum est pes trochaeus, ac tribrachys. Verum id licuerit Prudentio; sed in cantu ecclesiastico versus una syllaba longior non levem creat difficultatem, et inde effectum est, ut in breviariis neglecta carminis ratione appositum fuerit, *Gravibus ambit circlis*. Juverit etiam animadvertere, quas-

Hic duorum chara fratrum
Concalescunt pectora,
Fida quos per omne tempus
Junxerat sodalitas:
Stant parati, ferre quidquid
Sors tulisset ultima.
Seu foret praebenda cervix
Ad bipennem publicam
Verberum post vim crepantum,
Post catastas igneas,
Sive pardis offerendum
Pectus, aut leonibus.

L I

dam esse in hoc hymno voces, quae ab aurea, argenteaque latinitate abhorrent, nempe, *confrequentant, mundialis, defugas, praemicando*, *oppalluit*: quarum aliquas intactas reliqui, quia ipsius Prudentii, aliorumque ejusdem notae scriptorum auctoritate possunt sustineri, alias sustuli, ut vocalium concursum defugerem. In breviario Mozarabico primae editionis scribitur: *Ac stupore palluit*, quod melius, ac latinius est, quam *Ac stupore oppalluit*. In nonnullis etiam Prudentii editionibus legitur, *palluit*. Secunda syllaba in *frustra* corripitur a Prudentio, quae melius tamen esset producenda. Quod siquis in his quoque mutationem aliquam desideret, exemplo permotus quorumdam Galliae hymnographorum, et censorum recentium, facile castigari possunt hi versus:

1. *Confrequentant obsecrantes*
2. *Frustra congessit preces*
3. *Ductor aulae mundialis*
4. *Esse Christi defugas*.

Quorum loco:

1. *Supplicum ritu frequentant*
2. *Contulit frustra preces*
3. *Militum Dux infidelis*
4. *Esse Christi perfugas*.

Quae omnia intelligi debent, si hymnus ad rationem trochaici trimetri puri, ac legitimi sit revocandus. Nam si in versu alterno, sive euripidio primus pes spondaeus admittatur, tunc duo illi versus, *Mammonae dicabimur*, et, *Frustra congessit preces* nulli mutationi sunt obnoxii. Confer *Dissertationem praeviam* §.XXXI.*num*.223.. Prudentius fere ubique servat hanc regulam, ut locis imparibus solum trochaeum ponat. In hymno autem *Cathemerinon 9. pro omni hora* semel spondaeum quinto loco admisit, *Psallat altitudo Caeli, psallant omnes Angeli*. Nam quod sequentem versum aliqui legunt, *Quidquid est virtutis usquam, psal-*

Nosne Christo procreati
6. Daemoni litabimus,
Et Dei formam gerentes
Serviemus seculo ?
Absit ut caelestis ignis
Se tenebris misceat.
Haec loquentes obruuntur
Mille poenis Martyres,
Nexibus manus utrasque
Flexus involvit rigor,
Et chalybs attrita colla
7. Cingit arctis circulis.

lant in laudem Dei, in probatis editionibus corrigitur *psallant*, et subrogatur *psallat*. Reperi etiam in eodem hymno spondaeum tertio loco: *Sol refugit, et lugubri sordidus ferrugine*. Sed potius credam correptum a Prudentio primum *V* in *Lugubri*, quam tertia sede receptum spondaeum: nam Prudentii aevo in quibusdam syllabis quantitas mutata erat, ut multis exemplis ex ejus, et aequalium, aut posteriorum poetarum carminibus posset confirmari; quamquam non deerant aliqui delicatiores, qui imitationem meliorum poetarum etiam in syllabarum quantitate affectarent. Major quidem pars hominum pronunciationem in multis nominibus variaverat, et fere ad prima Reipublicae tempora, et ad Plautinos numeros reverterat. Romani hymnorum Correctores *in Praefatione* quaedam, quae meliora fieri potuissent, a se intacta esse relicta profitentur, *Vt*, inquiunt, *ille versus ad primam*: NOCTEMQUE SORS REDUXERIT, *verti poterat in hunc alterum elegantiorem*, ET ASTRA NOX REDUXERIT. *Et pro illo feriae V. ad laudes*, PUROSQUE NOS PRÆSTET SIBI, PURASQUE MENTES AMBIAT, *rotundior erat, et suavior versus*. *Item*, MAGNÆ DEUS POTENTIÆ, *cur non potius, et verius*, SUMMÆ DEUS POTENTIÆ? *Illud etiam*, NASCENDO FORMAM SUMPSERIS, *nitidius erat hoc pacto*, NASCENS FIGURAM SUMPSERIS. *Vt enim* SORS *frequentius invenitur pro casu, fortunave*; *ita* NASCENDO *frequentius producitur, quam corripitur apud poetas: haec, inquam, et alia sexcenta, quamvis elegantiora, rejecimus, abstergere conati labeculas, non semper omnem elegantiae florem accersere*. Nihilominus multi hos Correctores arguunt, quod in hymnis antiquiorum quaedam nulla coacti necessitate immutaverint. Ricciolius *part. VII. prosod. cap. 6.*

Ad laudes. Illa laus occulta non est,
Nec senescit tempore,
Missa quod sursum per auras
Evolarunt munera,
Quae viam patere caeli
8. Denotarent lumine.
Illius fidem figurans
Nube fertur annulus,
Hic sui dat pignus oris,
Ut ferunt, orarium,
Quae superno rapta flatu
Lucis intrant intimum.

reg. 2. laudat hymnum Prudentii, qui canitur ad laudes feriae IV., *Nox et tenebrae, et nubila*, cujus est versus: *Tu lux eoi sideris*. *Prima enim*, ait, *in* EOI *communis est, esto Urbanus VIII. considerans plerumque longam esse, reposuerit, Tu vera lux caelestium*. Ac fortasse Urbanus VIII. ipse per se hanc mutationem invexit, nam in prima editione hymnorum emendatorum anno 1629. versus legitur, ut in Prudentio: *Tu lux eoi sideris*. Ludovicum Cavallum suscepisse demonstrandum, has hymnorum correctiones patere posse novae per Pontifices correctioni retuli ex Theophilo Raynaudo *Dissertat.* §. *XXVII. num.* 154; sed ex Theophilo colligi potest, illum in primis reprobasse quasdam reformationes in hymnis S.Ambrosii, Prudentii, aliorumque hujus notae, quorum auctoritas modernorum opinionibus, et regulis est praeponenda. De voce *Orarium* nihil attinet dicere, cum ea sit antiquo Ecclesiastico usu consecrata, quamquam non ubique pro eadem re accipitur, neque satis liquet, quodnam genus, aut partem vestis sacrae candidae significet. Annotator editionis ad usum Delphini ait, Orarium accipi pro limbo, qui apponitur margini, et extremitati alicujus vestimenti ornatus causa, item pro peplo, aut operculo capitis, sed proprie significare sudarium, quo os abstergitur. Hoc sensu opinor a Prudentio usurpari, cum de militibus agat, quibus non apparet causa, cur vestem aliquam ecclesiasticam ad manus fuisse existimemus: hanc interpretationem praeferunt Bollandiani. Postremo loco adverto, videri Prudentium hunc hymnum effecisse, ut anniversario die SS. Martyrum ab universo populo caneretur, quod ex ultimis versibus conjicere possumus;

State nunc, hymnite matres

Per poli liquentis axem
9. Fulgor auri conditur,
Ac diu visum sequacem
Textilis candor fugit,
10. Permeant ad usque caelum,
Nec videntur amplius.
Vidit hoc conventus adstans,
Ipse vidit carnifex,
Et manum repressit haerens,
11. Ac stupore palluit.
Sed tamen peregit ictum,
Ne periret gloria.

Pro receptis parvulis,
Conjugum salute laeta
Vox maritarum strepat,
Sit dies haec festa nobis
Sit sacratum gaudium.

Apud Bollandianos, et in Martyrologio Hispano Salazarii *ad hanc diem* aliter habetur primus ex his versibus, *State nunc hymnistae matres*. Mendose, ut colligitur ex editionibus correctis, et postulat carminis lex, quae tertio oco trochaeum exigit. Non ergo Prudentius matres hymnistas appellat, sed eas hortatur *hymnire*, sive hymnum dicere in laudem SS. Martyrum. Vossius *lib.3. de Vitiis Sermon.cap.14. pag.* 447. contendit legendum, *Hymnistae*; quia, *sede quidem tertia*, inquit, *requirebatur trochaeus: sed aevo Prudentii jam Æ vulgo sonabat, ut E breve*. Contrarius ei est Beda *de Metris*, qui explicans regulas trochaici carminis adjungit. *In quo aliquando et tertio loco prioris versiculi spondaeum reperies, ut, Factor caeli, terrae factor: Verbis purgat lepiae morbos*. Si enim Æ vulgo sonabat ut E breve, cur Beda in *Terrae*, et *Leprae* spondaeum, et non potius trochaeum agnovit. Atqui Beda diversos poetarum in varianda syllabarum quantitate usus diligentissime notavit; et in hymno, ex quo eos versus depromit, qui est; *Hymnum dicat turba fratrum*, alii occurrunt tertio loco indubitati spondaei, quos exempli loco seligere poterat, velut: *Virginis receptus membris Gabriele nuncio - Turba ex omni discumbenti jugem laudem pertulit - Spiritum Dei perfectum Trinitatis vinculum*. Scio Prudentium saepe corripuisse Æ *in haeresis, aenigma, sphaera*; aliisque nominibus graecis, sed id ita factum ab eo puto, quia hujusmodi voces graecae illius aetate scribebantur, prout in quibusdam Prudentii editionibus observavi, sine diphthongo *heresis, enigma, sphera*, et E brevi proferebantur. In

Hoc bonum Salvator ipse,
Quo fruamur, praestitit,
Martyrum cum membra nostr
Consecravit oppido:
Sospitent quae nunc colonos,
Quos Iberus alluit.

Die 13. *Martii. In festo S. Leandri Episcopi Hispalensis* (a).

Ad vesperas. Hymnum Leandro debitum,
Dum festa currunt annua,
Redempta gens Iberiae
Plaudente voce concinat.
Grates rependat Hispalis,
Et dulce solvat canticum,
Antistitis quae maximi
Honore gaudet inclyto.
Quod lux beata splenduit,
Et occupavit undique
Hispaniarum limites,
Longe fugatis nubibus.
Quod victa claro praelio
Tumultuosa concidit
Prostrata multis ictibus,
Et fugit amens haeresis.

casibus autem finitis in Æ nunquam hanc licentiam sibi arrogavit Prudentius, sed ubique Æ in fine casuum produxit. Lectioni nostrae favet hymnus S. Æmiliani 12.Nov. in officio Gothico: *Hymnite mecum consonante carmine, Narrate cuncta, praedicate, et psallite.*

(a) Clarissimum Praesulem Hispalensem Leandrum, cui potissimum secundum Deum conversionem ab Arianismo debet Hispania, nefas duxi sine hymno praetermittere, licet eum in nullo breviario hoc laudis genere decoratum repererim. Ejus officium cum sex lectionibus propriis vidi in breviario Romano *de Camera* 1550. Venetiis, sed inter *festa extravagantia.* Narrant Bollandiani Continuatores *ad hanc diem*, festum S. Leandri in breviario Romano olim insertum

Quod inde fluxit purior
  Fides, quod arsit charitas,
  Cultus Sacrorum floruit,
  Plenaque virtus copia.
Totum Leandri Praesulis
  Debetur alto muneri,
  Favore qui caelestium
  Aggressus est ingens opus.
Te pronus orbis, Trinitas,
  Adoret omni tempore,
  Et, ut precantes audias,
  Fac, ut precemur optima.

Ad matut. = Eccur Leander abdito
  Lates remotus angulo,
  Cur tanta se prudentia,
  Cur tanta virtus occulit?
Si fors honorum verticem
  Vitas, ut umbra corporis
  Illi sequentur impigre,
  Quaerent latentem protinus.
Quod si supremo Numini
  Vacare soli cogitas,
  Te cura tangat publica,
  Fidesque jam periclitans.

fuisse, quod ex Mss. codice Bibliothecae Vallicellanae colligunt. Enitendum esset maximopere, ut hic honos bene merentissimo Praesuli restitueretur. Tamayus de Salazar in *Martyrologio Hispanico ad diem 6. Aprilis* queritur, quod Commemoratio Translationis S. Leandri eo die in breviario Hispalensi *anni* 1528. celebrata, deinde omissa fuerit in breviario *anni* 1612.. Idem Salazarius festum S. Leandri *diei* 27. *Februarii* assignat, sed cum in Hispalensi breviario antiquo *dies* 13. *Martii* ei festo destinata fuerit, eadem dies pro omnibus Hispaniae ecclesiis opportunior visa est, quae seligeretur ad S. Leandrum celebrandum. Colebatur autem S. Leander in ecclesiis, et dioecesibus Hispalensi, et Carthaginiensi titulo, et officio

Viden, ferox ut undique
Assertor instat haeresis,
Qua Trinitatem simplicem
Negavit hostis impius?
Damnatus error ingruit
Impune terras pervolans,
Ni se quis ultro proferat,
Qui vim refraenet impetus.
His excitatus vocibus
Claustro Leander exiit,
Furentis ut retunderet
Infame telum dogmatis.

Ad laudes. Quid non Leandro Praesule
Sperare detur? Quae nigra
Nox solis hujus candido
Obstare possit lumini?
Hortatur, urget, praecipit,
Gentes remotas convenit,
Viasque tentat arduas,
Ut det salutem civibus.
Frustra furores objicit
Leovigildus, nam fidem
Alter cruore filius,
Et alter armis asseret.

Doctoris, quod a Sede Apostolica *die* 25. *Aprilis* 1722. ad totam Hispaniam, et regiones Regi Catholico subjectas extensum fuit. Confer Benedictum XIV. *de Beat. lib.* 4. *part.* 2. *cap. XI. num. fin.*. Advertendum est, de S. Gregorio Magno in ejus lectionibus breviarii Romani recitari: *Arianos in Hispania repressit . . . Gothos haeresim Arianam relinquere coegit*. Dubium quidem non est, quin S. Gregorius, cum primum audivit, Gothos ad fidem fuisse conversos, laetitia, et gaudio exultaverit, quod veteri suo amico Leandro significavit *Epist.* 41. *lib.* 4. *Indict. XI.*. *Explere loquendo nullatenus valeo gaudium meum, quod communem filium Recaredum gloriosissimum Regem ad Catholicam fidem integerrima agnovi devotione con-*

Felix refulsit denique
Fastis dies Ecclesiae
Notanda, cessit haeresis
Abominata publice.
Sese fideli cultui
Cum Rege, cumque regia,
Et cum Potentioribus
Hispana plebes subdidit.
Vocatus e caelestibus
Leander adsis orbibus,
Tuere robur impetrans,
Tuumque factum promove.

Die 18. Martii. In festo S. Gabrielis Archangeli. Hymnus officii proprii Hispalensis correctus (a).

Ad vesp. 1. Mentibus laetis resonemus omnes
2. Carmen argutis modulis, lyraque,
Inclytus quando Gabriel ab alto
Fulget Olympo.
Virginis summae Paranymphus ecce
Hinc adest nobis, simul Angelorum
Plurimis Christum venerans triumphis
Concio tota.

Prin-

versum. Hujus dum mihi per scripta vestra mores exprimitis, amare etiam, quem nescio, fecistis. Quamnam aliam partem in conversione Gothorum S.Gregorius habuerit, vetera historiarum, et conciliorum monumenta non explicant. Gothi haeresim in Concilio III. Toletano palam ejurarunt anno 589., S.Gregorius anno sequenti 590.ad Pontificatum evectus est.

(*a*) In breviario Toletano anni 1507. legitur hymnus S. Gabrielis hoc stylo, *Gabrielem veneremur - Summi Regis Nuncium*. In Compostellano antiquo, et Hispalensi anni 1539. alter hymnus recitabatur hujus generis, *Gabriel fulgidos inter consocios - Posseque validus ad actus varios - Laudetur hodie*. Hispalenses in breviario seculi proxime elapsi *anno 1659.* a breviario Benedictinorum Congregationis Vallisoletanae hymnum supra excriptum mutuati sunt, retentis tamen illis erroribus, quos

Principis laudes Gabrielis almi
3. Concinat noster chorus, ipse namque
4. Missus e caelo bona jussa portat
Omnipotentis.
Nuncia nobis Gabriel, precamur,
Pacis aeternae speciale munus,
Quo poli tandem teneamus aulam
Semper ovantes.
Praestet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum.

emendandos censui sublatis his versibus,

1. *Mentibus laetis jubilemus omnes*
2. *Plectra tangentes fidibus canoris.*
2. *Concinat noster chorus, ipse namque est*
4. *Magna qui mundo reserat secreta.*

Corripitur prima syllaba in *jubilemus*, et in *secreta*, cum longa sit utraque. Habent etiam hymnum proprium in matutino Benedictini Congregationis Vallisoletanae alio metro, non immuni tamen ab omni errore, ut cernitur in primo versu, *En noctis medium surgite propere*. Officium proprium Hispalense, hoc hymno praeterito, antiquum in Angelorum laudem compositum assumpsit, sed correctionem Romanam non adhibuit, adeoque in eo claudicant hi versus,

Rector humani generis, et auctor -
Nobis aeternum tribue benignus -
Pellat antiquum, volitet ab alto.

Actum agerem, si eum hymnum reformandum susciperem, cum a Romanis Correctoribus egregie fuerit emendatus in Apparitione S.Michaelis Archangeli *die* 8.*Maji*, et in Dedicatione ejusdem *die* 29. *Septembris* ad laudes. Sed ut appareat, quantum sibi licere in castigandis hymnis docti illi viri existimaverint, hymnum veterem, qualis in breviario Hispalensi ad laudes hujus festi invenitur, huc transferam.

Christe sanctorum decus Angelorum,
Rector humani generis, et auctor,
Nobis aeternum tribue benignus
Scandere Caelum.
Angelus fortis Gabriel, ut hostem
Pellat antiquum, volitet ab alto
Saepius templum veniens ad istud
Visere nostrum.
Hinc Dei nostri Genitrix Maria
Totus et nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul et beata
Concio tota.

Hunc hymnum cum hymno breviarii Romani correcto facile est cuivis conferre, et quantum sit inter utrumque discrimen, perpendere.

Die 4. Aprilis. In festo S. Isidori Archiepiscopi Hispalensis Confessoris, et Doctoris (a).

Ad vesp. = Musici voces Isidorus hymni
Flagitat; blandis numeris, modisque
Clareat nomen, resonent perenni
Carmina laude.
Prima turritam super astra frontem
Hispalis tollat, celebretque pompam,
Praesulis magni sacra sumptuoso
Munere complens.
Quis fidem doctis reserare chartis
Aptior, cuinam graviore fluxit
Vena doctrina, studiisque fervens
Pectus honestis?
Seu pios mores repetamus, atque
Integram dio sub amore vitam,
Quanta se virtus aperit, fidesque
Quanta renidet?
Non magis lampas rutilat, magisve
Ardet, aurato laqueare pendens,
Quam locat prudens pater, ut patenti
Luceat aede.

(a) Quod in hoc hymno *trino nomine Numen unum* dixerim, cuidam docto Theologo non placebat, quia ad Sabellianorum haeresim ea locutio poterat detorqueri. At cum haeresis Sabellianorum in eo posita esset, quod in Trinitate uni Personae tria nomina accommodarent, et aliunde non solum apud hymnographos recentes, verum etiam apud veteres ecclesiasticos poetas Trinitas his verbis explicetur, nulla justae reprehensionis ratio apparet. S. Paulinus in epigrammate inserto epistolae XII. ad Severum ita loquitur: *Una fides trino sub nomine quae colit unum - Unanimes trino suscipit introitu.* Et in *Natali nono* post medium; *Passus enim est unum trino sub nomine Regem*. Et in Anecdotis curante Joanne Aloysio Mingarellio: *Haec tria sunt Deus unus nomina semper;* pro quo in codice Muratorii lege-

Non apes quondam retulere vanum
Omen, infantis pueri labellis
Caelitus doctae fabricare dulci
Mella liquore.
Corde sincero, manibusque puris,
Quandiu cursus fluat aeviterni
Seculi, trino veneremur unum
Nomine Numen.

Ad mat. = Juverit sanctas iterare voces,
Queis procul cernens Isidorus aevum,
Damna praedixit ruitura nostris
Urbibus olim.
Audiat gratus, memorique condat
Mente submittens animos Iberus,
Instruit Praesul monitis, et aequam
Postulat aurem.
Si scelus laxis dominans habenis
Impium mentes trahat in furorem,
Ultor instabit Deus, et Gothorum
Eruet urbes.

batur: *Haee trina sunt Deus unus nomina semper*. Quod mendum perperam emendare conatus est Muratorius: *Haec trino Deus unus nomine semper*. S. Paulino consonat Prudentius in Psychomachia vers. 3. *Unum namque Deum colimus de nomine trino*. Neque immerito: nam si proprietatem vocabuli quaerimus, *nomen* de personis aptissime dicitur. *Nomen est*, ait Cicero de invent. p. 50. ed. Ald., *quod unicuique Personae datur, quo suo quaeque proprio, et certo vocabulo appelletur*. Hoc sensu accipitur *Nomen* in *Apocal. cap. 3. v. 4.*, *Habes pauca nomina in Sardis*. Et in *Actis Apost. cap. 1. v. 15.*, ubi Vulgata habet; *Erat autem turba hominum simul fere centum viginti*, graece scribitur ὄχλος ὀνομάτων: nempe *turba nominum*, quod latine pariter dici potuisset, sive etiam *turba personarum*. Nec tamen propterea corrigenda est lectio Vulgatae, *Turba hominum*, nam ad rem ipsam perinde est, sive hoc, sive alio modo dicatur. Exempla recentium poetarum omitto, quae in Martino Claro prasertim passim

Tristibus jam jam video ruinis
Proteri frugum per amoena campos,
Jamque festinant fera bellicosae
Agmina gentis.

Ad laud.= Si tamen quondam periniqua patrum
Facta conversi doleant nepotes,
Et Deum placent, meliora primis
Secula current.
Majus assurget decus, et micabunt
Bellicae juncta pietate laudes,
Inclytum latis resonabit oris
Nomen Iberum.
Haec pius vates: patuit secutis
Veritas rebus, juga saeva Mauri
Fregit Hispanus, nova vicit orbis
Regna reperti.
Pergat ut longos honor hic per annos
In dies auctus, populi rogantis
Promovens rectos Isidore sensus
Vota secundes.

occurrunt. Ex hymnario Mozarabico eandem locutionem *trino nomine* in annotatione ad diem 25. Julii aliud agens describam, *Et unum Deum sequens trino nomine*. Hunc ego hymnum praestantissimo Doctori Isidoro dedicatum confeceram, cum in alium longe elegantiorem, et ad omnes latinitatis, carminisque leges exactum incidi, qui extat in Officio proprio Hispalensi *anno* 1659. typis excuso: At vero cum hymnus Hispalensis pro ea potissimum dioecesi compositus fuerit, superiorem hymnum recentem; qui omnibus Hispaniae Ecclesiis promiscue convenit, hoc loco inserendum esse existimavi: antiquum autem Hispalensem libenter adjungo, paucis versibus mutatis, ut harmoniae consulam.

In eodem festo S. Isidori Hymnus officii Hispalensis numeris musicis accommodatus (a).

Ad vesp. = Gentis Hispanae Pater, atque Doctor,
Digna praeclari soboles Severi,
Digne Leandri, similisque sancta
Indole frater.
Dum tuas curat soror alma cunas,
1. Lucis examen veniens ab aura
Vidit infantis nitidis liquare
Mella labellis.
Dulce facundi fuit hoc leporis,
Atque doctrinae specimen supernae,
Qua pios pascis, stimulisque sontes
Pungis acutis.
Pungis infectum genus Arrianae
Pestis ultores minitantis ignes:
Nec furor Regum juvenis resistit
Fortibus ausis.
Praesul instauras fidei triumphum,
Perfidos ejus quoque perduelles
Pellis Hispanis pavidos ab oris
Fulmine linguae.

(a) Quatuor, ut vides, in his tribus hymnis sunt versus, quos euphoniae gratia mutavi.

1. *Lucida examen veniens ab aethra.*
2. *Esto ad aeternam Triadem precamur.*
3. *Paxque cum sancta probitate et aequi*
4. *Fama vetusta est.*

Nam quod in quarta stropha ad matutinum prima syllaba in *Isidore* producitnr contra, quam Ricciolius, aliique praescribunt, nihil moror: est nomen proprium, quod ex sententia Servii, Nicolai Ferretti, Georgii Valla pro libitu corripi, seu produci potest. Mihi quidem ea sententia non probatur, nolo tamen auctores contrarios erroris arguere. Apud veteres Graecos, et Latinos in *Isidorus* exemplum quantitatis non reperi: in *Isocrates* breve est *i*, in Isidius primum *i* pariter corripitur ab Ovidio *in Ibin.* Alii in *Isidorus* primum *i* producent, et etymologiam repetent ex *Isis*. Denique festum S. Isidori

O pater cleri, populique pastor,
Orphanis tutor, viduis levamen,
Virginum custos, monachis severae
Regula vitae.
Nunc in excelso residens olympo
Sidus o nostrae, columenque gentis,
Compari priscis fidei magistris
Luce refulges.
Sis memor chari gregis, et Patronus
2. Sis ad aeternam Triadem, precamur,
Cuncta cui dignas resonent per orbem
Secula laudes.

Ad mat.= Sol ab occasu roseos ad ortus,
Luce qui terras meliore lustrans
Noctis Hispanae nebulas, et atras
Discutis umbras:
Cujus exortu tenebrosus error,
Fraus, et inconstans furor, et profanus
Luxus, et vanae sitiens profugit
Ambitus aurae.

in omnibus Hispaniae breviariis, et cum hymnis quidem propriis, quales sequiora secula tulerunt, olim celebratum fuit, ut docet Tamayus in *Martyrologio Hispano ad hanc diem*. Inveniebatur praeterea in breviario Romano, quod Cardinalis Quignones auctoritate Pauli III. edidit; verum S.Pius V. cum plura alia, tum hoc officium S. Isidori in breviario restituto praetermisit, quamvis in breviario Romano *de Camera* Venetiis 1550. inter reliqua vetera reperiatur insertum. Bene autem habet, quod doctissimo, et sanctissimo viro Isidoro officium Doctoris sub ritu duplici ab universa ecclesia recitandum confirmavit Romanus Pontifex Innocentius XIII. die 25.Aprilis 1722., de quo consuli potest Benedictus XIV. *De beat. lib.* 4. *part.* 2. *cap. XI. num.* 15., qui ibidem ex Mariana, Bollandianis, et Nicolao Antonio commemorat, *Bonifacio VIII. Romano Pontifice deliberante de iis, qui Doctorum Ecclesiae nomine, et numero essent cohonestandi, fuisse, qui Ambrosio Isidorum praeferendum, aut quatuor certe aliis quintum adjiciendum judicarent*. Laudem, quam Tajoni Episcopo Cae-

Sed redit fas, et pietas revixit,
Et fides casto redimita cultu,
3. Pax, pudor, morum probitas, et aequi
Conscia virtus.
Hispalis clarum jubar Isidore,
Redde virtutes, vitiis repulsis,
Fac et ad priscos redeant caduca
Secula mores.
Haec rogat sacras tua gens ad aras,
Dum Deo vero pia vota fundunt,
Qui tibi festum peragunt ovantes
Baetis alumni.
Laus, honor, virtus tibi sit perennis,
Celsa Majestas hominum creatrix,
Quem Deum trinum celebrant, et unum
Rite fideles.

Ad laud.= Qui pater charos populos relinquis
Missus ad celsam Legionis urbem,
Quae tibi fido posuit Patrono
Regia templa?

saraugustano post Mabillonium tribuunt multi nostrates, et exteri, quod e SS. Patribus primus *sententias* collegerit, ad cujus exemplar Petrus Lombardus *sententiarum libros* conscripserit, Isidoro potius adjudicari velim. Nam quidquid sit, an sententiarum Magister *Libros sententiarum* Tajonis perlustraverit, minime dubito, quin Tajo ipse S. Isidorum secutus fuerit ducem. Conferantur sententiarum Libri Tajonis *Tomo* 31. *Hispaniae sacrae* cum tribus sententiarum Libris S. Isidori, et ovum ovo similius esse quivis negabit. In editione Librorum sententiarum S. Isidori cum emendationibus, et notis Garsiae Loaysae anno 1593. Taurini in 4. ad marginem indicantur loca S. Augustini, et S. Gregorii, ex quibus sententiae sunt depromptae, uti accidit in Libris Tajonis. In aliis Editionibus posterioribus id desidero, et suspicor, raram esse editionem illam Taurinensem, cum in elogio Garsiae Loaysae a Nicolao Antonio fuerit praetermissa. Extat Romae in Bibliotheca Alexandrina. Loaysa notat, S. Isidorum S. Gregorio maxime

An times hostem fidei rebellem ?
Barbarus fugit; liceat reverti,
Aut tuos saltem juvet inde missa
Luce fovere.
Civitas felix spoliis opimis
Corporis sacri tua mira pictis
Gesta percenset tabulis, tholisque
Munera Regum.
Quae tuo partis merito triumphis
Grata non uno retulere bello,
Namque te nostris et adesse castris
Fama canebat.
4. Huc ades fessis pater alme rebus,
Nosque commenda Triadi potenti,
Cujus in cunctas resonat perennis
Gloria gentes.

Die 5. *Aprilis* . *In festo S. Vincentii Confessoris* . *Hymnus officii Toletani*, *unico tantum versu correcto* (*a*).

Ad vesp.= Alme Vincenti, veneranda cujus
Haec dies valde colitur per orbem,
Quas tibi cantat chorus hic fidelis,
Accipe laudes.

En

visum fuisse, quod pariter de Tajone alii animadverterunt. Quidam etiam tituli eisdem fere verbis in utroque opere adscribuntur. Tajonis lib. 1. ita primos titulos exhibet. Cap. 1. *Quod Deus incommutabilis*, *summus*, *et aeternus existat*. Cap. II. *De immensitate*, *vel omnipotentia Dei*. Cap. III. *De eo quod invisibilis*, *vel incircumscriptus sit Deus*. In Isidoro autem lib. 1. cap. I. est: *Quod Deus summus*, *et incommutabilis sit*. Cap. II. *Quod immensus*, *et omnipotens sit Deus*. Cap. III. *Quod invisibilis sit Deus*. Florezius, aliique dubitant, fueritne Dux Carthaginis Severianus, pater S. Isidori, ac S. Leandri. Ex horum nominibus, quae Graeca sunt, et ex nominibus Fulgentii fratris, ac Florentinae sororis conjici potest, patrem eorum non fuisse natione Gothum, cum non sit verisimile, ut nulli ex filiis proprium suae gentis nomen imposuerit.

(*a*) Officia propria Toletana typis excusa *anno* 1720. hos hymnos exhibent in festo S. Vincentii de-

En adhuc matris recubans in alvo
Signa jam terris dare sanctitatis
Coeperas, natus nova lux fuisti
Splendida mundo.
Namque mox annis teneris peractis
Praedicatorum sitiens adisti
Ordinem, servans documenta patrum
Corde senili.
Tactus e caelis operam dedisti
Litteris sacris utriusque Legis,
Quas docens verae fidei replesti
Lumine mundum.
Angelus nobis celebris fuisti
Ille, qui caeli medium volabat,
Nuncians linguis, populisque cunctis
Judicis horam.
Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui super caeli solio coruscans
Totius mundi seriem gubernat
Trinus, et unus.

Ad mat.= Luce doctrinae rutilans serenae,
Ambitum terrae, pelagique lustrat
Semper ardenti resonando sacrum
Pectore verbum.

sumptos ex breviariis PP. Praedicatorum, nisi quod syllabas quasdam peccantes in ordinem redegerunt Toletani. Una tantum labecula ex veteri hymno permansit in versu notato, pro quo legitur, 1. *Una cum Mauris veteri relicto*. Male enim corripitur ultima syllaba in *Una* adverbio. Nescio tamen, qui factum fuerit, ut cum breviaria clarissimi Ordinis Praedicatorum saepius prodierint reformata, et correcta, ut praefert titulus anno 1573., anno 1615., et potissimum anno 1731. jussu Generalis Ripoll; adhuc anno 1750. hic hymnus fuerit typis editus cum hoc errore, aliisque in hymno Toletano emendatis. Quod autem ad musicum concentum attinet, omnia in hoc hymno rectissime pro[illegible]dunt. Quod siquis male sona[illegible]

Ore cum sancte populos doceret,
Dicta post signis variis probabat,
Languidis reddens cruce sanitatis
Robora membris.
Doemonum saevos reprimit furores,
Pellit et morbos Dominum preatus,
Mortuos mite revocans in auras
Lucis amoenas.
Cujus instructi monitis Hebraei,
1. Grexque Maurorum, veteri relicto
More, divinis renovantur undis
Mente fideli.

Ad laud.= Sidus extremae Venetensis orae,
Et Valentinae decus urbis almae,
Ordinis sacri fuit, atque secli
Gloria nostri.
Signa, quae multis patuere terris,
Hunc probant amplis meritis refertum,
Ac viris celsis fore comparandum
Temporis acti.
Inde post clarae monumenta vitae
Ad poli regnum, superasque sedes
Laetus ascendit capiens perennes
Victor honores.

tat: in quarta stropha ad vesperas hunc versum, *Tactus e caelis operam dedisti*; quia *tactus de caelo* dici solet, qui fulmine percussus est, et in quinta stropha ad vesperas deesse praepositionem *per* in hoc altero versu, *Ille, qui caeli medium volabat*; levi mutatione hi duo versus subrogari poterunt;
Numini parens operam dedisti.
Ille, qui caelo medio volabat.

Praedicti tres hymni S. Vincentii tribuuntur Martiali Auribello, Ordinis praedicatorum Generali vigesimonono apud Seraphinum Razzi in *Hymnario Dominicano lib.* 2., qui animadvertit, primas litteras singularum stropharum hymni ad vesperas efficere nomen *Martialis*, atque ita revera accidit in ipso hymno antiquo longiori, cujus est initium, *Mente jucunda*. etc.

Angelis septus, decoratus astris,
Doctor, et Virgo geminis coronis
Inter illustres animas refulget
Munere Christi.
Praestet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum.

Die 13. *Aprilis. In festo S. Hermenegildi Martyris. Hymnus ex officio proprio Hispalensi cantui accomodatus* (*a*).

Ad vesp.= Regis indigni generosa proles,
Hispalis clarum decus Hermegilde,
Rex, et invictae fidei triumpho
Inclyte Martyr.
Gentis inductam vitio profanae
Arrii labem monitis Leandri,
Tunc et Ingundae, pius eluisti
Sanguine fuso.

Quod Patres Ordinis Praedicatorum a numeris poeticis hymnorum non abhorruerint, liquet ex Echard *Script. Domin. tom.*2. *p.* 573., ubi de Carolo Pluchart narratur, officium festi *Compassionis B. Virginis* titulo *Recollectionis Dolorum* concinnasse, ac subjungitur; *Usum tamen non habuit in ordine istud officium, quod nec in hymnis prosodiae leges, et numeros servasset auctor, nec* etc.

(*a*) In Breviario *de Camera* Venetiis 1550. S. Hermenegidus, sive Ermenegildus inter *Extravagantes* recolitur cum officio novem lectionum. Bandinus in Catalogo codicum Mss. Bibliothecae Laurentianae tom. 1. pag. 339. recenset hymnum, *quem cantavit Gildus Rex pro anima patris sui, qui erat in inferno etc.* In Indice legitur, *Gildus* (*forte Hermenegildus*). Si de nostro S. Hermenegildo sit sermo, non solum anachronismum intolerabilem animadvertemus, sed etiam orationem superstitiosam, qualis ea est, sancto Martyri affingi minime patiemur. In Missali mixto Toletano anni 1551. praescribitur officium S. Hermenegildi. Quamquam Urbanus VIII., qui officium S. Martyris in Ecclesia universa sub ritu semiduplicis recitari concessit, hy-

Carceris squalor, nec acerba patris
Ira diversis metuenda poenis,
Nec ferox diram quatiens bipennem
Terruit ultor.
Nec tibi fluxo trabeata fastu
1. Fama, nec fulgor placuit coronae,
2. Vana caelestis sed amore regni
Sceptra relinquis.
Ergo Sanctorum potioris aulae
Cinctus incedis Procerum caterva
Martyr, hos fulgens melioris ornat
Purpura cultus.
O tuae gentis pater, atque custos,
3. Sint tibi semper tua regna curae,
4. Supplicum summo referas, precamur,
Vota Parenti.
Cui tuo crescens pietas trophaeo
Comparem Natum docet, et potentem
Spiritum, vivet quibus unus omni
Tempore cultus.

Ad mat.= Nocte sublustri prope lucis auras,
Quae resurgenti micat alma Christo,
Transitus sancti quoque perbeatus
Principis instat.

mnos etiam, qui in breviario Romano ad hanc diem canuntur, ipse composuerit, Hispalenses tamen hymnos supra excriptos recitare perrexerunt, ut apparet ex breviario, sive officio proprio Hispalensi alias citato anni 1659. Ad Vocalium concursum effugiendum omissi sunt sequentes versus.

1. *Gloria, et splendor placuit coronae.*

2. *Lubrica aeterni sed amore regni.*

3. *Sint tibi haec semper tua regna curae.*

4. *Nostraque ad summum referas precamur.*

5. *Ultro et ultricem subiit securim.*

6. *Truncus o felix radiatus alma.*

7. *Lampadum luce in mediis tenebris.*

8. *Ecquid immanes acuis secures.*

Venit a saevo genitore Mystes
Perfidus, sectae referens nefastae
Symbolum, digna sed eum repulsa
Rejicit heros.
Respuit regni miseras curules,
Praeferens regis diadema Christi,
5. Laetus ultricem subiit, jubente
Patre, securim.
6. Truncus o felix, rutilant ab alto
7. Cui faces missae, superantque noctem,
Laeta cui cantu chorus Angelorum
Justa dedere.
Sit tibi, spreta nece quae triumpho
Hermenegildum decoras perenni,
Trinitas unus Deus, una cunctis
Gloria seclis.

Ad lau. 8. Quid furis stricto truculente ferro?
9. An putas demens fidei potentem
Posse restingui recalentis ignem
Sanguine Nati?
Falleris, cedes litat ista Christo
Gente pro vestra, fideique frugem
Terra praeclaro dedit auctiorem
Tincta cruore.

9. *Impie? an speras fidei potentem.*
10. *Ille ad assertae Triadis tribunal.*
11. *Una per aevum est.*
Pro *Carceris squalor*, rectius esset *Vinculis captum*. Versus 2. strophae 1. legitur ita; *Hispalis clarum decus Hermenegilde*: quo pacto una syllaba longior esset. Existimo, auctorem usum fuisse contractione, ac posuisse *Hermegilde*. Sic Urbanus VIII. idem nomen contraxit, cum in hymno ad vesperas scripsit, HERMENGILDE *jubar*, *gloria Martyrum*. In nominibus propriis, quae a Barbaris accepimus; licuit, semperque licebit hac facultate variandi pro ratione diversorum metrorum uti, ac vocales pro arbitrio contrahere, seu producere. Quin etiam in Graecis, et Latinis nominibus propriis, cum aliter carmini

Arrii pulsis populus tenebris
Reddidit Christo meritos honores
Luce Leandri, meritis alumni
Hermenegildi.

10. Hic ad assertae Triadis tribunal
Vota gentilis pietatis offert
Pro fide supplex pius advocatus
Sospite semper.

Laudat et Patrem, genitaeque Prolis
Numen aeternum, pariterque sancti
Spiritus, quorum decus, et potestas
Una per aevum.

Die 16. *Aprilis*. *In festo S. Fructuosi Episcopi Bracarensis* (a).

Ad vesperas. Lux alma caeli vertice
Delapsa mentes impleat,
Ut Fructuosum debitis
Tollamus usque laudibus.

inseri nequeunt, libere licentia poetica est adhibenda, ac praecipue in hymnis ecclesiasticis. Non enim probo, quod Muretus, S. Hadrianum contra prosodiae regulas non ausus nominare, ita cecinit, *Non sic ille, bodie quem colimus, fuit, Qui nomen tumido traxit ab* HADRIA. Egregie Prudentius, cum in hanc difficultatem incidisset, ab ea se extricavit *Peri stephanon hymno* 4.


Quatuor posthinc superest Virorum
Nomen extolli, renuente metro;
Quos SATURNINOS *memorat vocatos*
Prisca vetustas.
Carminis leges amor aureorum
Nominum parvi facit, et loquendi
Cura de sanctis vitiosa non est,
Nec rudis unquam.
Plenus est artis modus annotatas
Nominum formas recitare Christo,
Quas tenet caeli liber, explicandus
Tempore justo.

(a) In officio proprio Hispaniensi locus datus non est S. Fructuoso Bracarensi Praesuli. Eum tamen celebrat ecclesia Bracarensis sub ritu duplici 1. classis; mirorque, cur in universa Hispania ejus festum non peragatur. Auctor illius vitae, qui ejusdem fere temporis fuit, Fructuosum cum S. Isidoro

Superna cui scientia
  Insedit alto pectore,
  Sensusque per reconditos
  Iter reclusit mysticum.
Perfectionis arduam
  Calcare certus semitam,
  Expertus est, quae ceteris
  Praecepta tuta traderet.
Sequuntur hunc laeti ducem,
  Quos solitudo detinet,
  Quae dulce per silentium
  Ad astra ducit spiritum.
Hispana claret natio
  Foecunda sanctis coetibus,
  Quos Fructuosus convocat,
  Morumque format regula.
Suas opes ultro locis
  Impendit his monasticis,
  Latens honores despicit
  De stirpe natus Regia.

Ad matut. = Stupenda per miracula,
et ad laud. = Favente summo Numine,
  Se Fructuosi sanctitas
  Ubique claram prodidit.

comparat; nam quemadmodum hic in omni disciplinarum genere excelluit, ita Fructuosus, alterum Ecclesiae Hispanicae lumen, in doctrina praesertim mystica enituit, cujus Regula inter alias monasticas extat. Scriptor vitae apud Mabillonium *Act. SS. Ben. ad an.* 670. natum innuit in tractu Vergendensi, seu Bergendensi, *Vierzo*. Tamayus in *Martyrologio ad hanc diem* Toletum natale solum Fructuosi fuisse contendit. Extruxit Monasterium Compluticum, Rufinianense *in excelsiorum montium finibus*, Visumense in confinibus tractus *Bergendensis*, et *Gallaeciae*, Pheonense, Monasterium S. Petri de montibus dioecesis Asturicensis, aliud, cui nomen de-



Calcavit undas aequoris,
Siccoque trajecit pede,
Navis periclum dispulit,
Et imperavit imbribus.
Cessere morbi protinus
Languentium de corpore,
Et ejus ipsae nutibus
Obtemperarunt belluae.
Quid plura? praeter ordinem
Abire saepe cogitur,
Nec usitatis legibus
Natura rerum subditur.
Manante fama latius
E montium recessibus,
Sedis coactus induit
Episcopalis infulas.
Non mutat alta dignitas
Mores status monastici,
Curas sed addit publicas,
Quibus suum pascat gregem.
Virtute clara fulgurans
Dedit salutis pascua,
Donec solutus corpore
Volavit ad caeli domos.
O qui laborum praemijs
Potiris inter Angelos,
Da Fructuose providam
Tuis opem gentilibus.

Sit

dit *Nono*, aliud in Castro Leonis, aliud in Insula Gaditana, aliud in alia Insula, aliud inter Monasterium Dumiense, et Bracaram, ac praeter haec plura alia, ut ait Mabillonius *loco citato*, qui diversos situs, ac nomina indagat, et exponit; sed cum eo conferendus est Florezius *in Hisp. sacr.*. Quocirca merito praeter alia antiqua breviaria festum S. Fructuosi annotatur in breviario Eborensi, Toletano,

Sit laus Patri, sit Filio,
Par laus Amori mutuo,
Trium canatur unitas
In aeviterna secula.

Die 28. Aprilis. In festo S. Prudentii Episcopi Turiasonensis. Hymnus antiquus emendatus (a).

Ad vesp.= Nulla pars vitae tibi laudis expers,
Cujus incensae pietatis ardor
1. Prodidit sese, micuitque primo
Flore juventae.
2. Lubrico cursu puerilis aevi
Nulla te fallax rapuit voluptas,
Casta nimirum superis calebant
Pectora flammis.
Mollis ut secli fugias pericla,
3. Horridae cautus petis antra sylvae,
Quo Deus secum vocat ad beatae
Otia vitae.
Pervigil seras ibi noctis horas
Transigis multa prece, nec diurnam
Sol ubi lucem retulit, precandi
Deficit ardor.
Aspero quamvis tenuata victu
Membra non parcis laniare flagris,
Sed Dei fervens amor est laborum
Dulce levamen.

O o

Hispalensi, et Compostellano. Ejus corpus ad Compostellam delatum magna ibi veneratione colitur.

(a) Hos S. Prudentii hymnos plenos esse venustatis, pulchros verbis, sententiis graves quis neget? Eos desumpsi ex hymnis Joannis Baptistae Sorazabal, qui hymnos breviarii Romani, et officii Hispanici versibus vulgaribus reddidit, et publici juris fecit Matriti 1777.. Praeter synaloephas nihil habui, quod corrigerem. Versum

Te Patrem cives celebrent superni,
Te parem summo Sobolem Parenti,
Teque, qui Patrem Genito perenni
Jungis amore.

Ad matut. — Longo satis jam tempore
4. Sylvae recessus incolis,
Tuaeque virtutis jubar
Solis refulsit Angelis.
Ut luceat mortalibus,
Prodire suadet charitas,
Quin ipse te vocat Deus,
5. Et intus afflans excitat.
6. His obsecutus vocibus
7. Urbis petis frequentiam,
Deique praeco fervidus
Acerba multa sustines.
Sed victa demum concidit
Peccantium protervia,
8. Et te monente, lacrymis
Admissa delent crimina.
Nunc nos ab alto respice
Tuas ad aras supplices,
Dignosque poenitentiae
Proferre fructus impetra.

ultimum strophae 4. ad matutinum ubi prima syllaba in *dolent* producebatur, puto male excusum, legendumque *delent*. Praetermissi ergo sunt sequentes versus.

1. *Prodidit sese, micuitque in ipso.*
2. *Ludrica exosum puerilis aevi.*
3. *Squalida horrentis petis antra sylvae.*
4. *Te sylvae, et antra detinent.*
5. *Afflatu et urget intimo.*
6. *Ergo obsecutus Numini.*
7. *Ex antro ad urbem demigras.*
8. *Teque increpante lacrymis.*
9. *Teque utrinsque Spiritus.*
10. *Atque inter pueros sedulus infimo.*
11. *Sese invita suo lumine prodidit.*
12. *Tu dulci eloquio saeva minantium.*
13. *Per te pax miseris reddita, ut iridis*

Hoc te, Pater piissime,
Hoc te, Redemptor optime,
9. Et utriusque Spiritus,
Vultu precamur cernuo.

Ad laud.= Fallacis metuens gaudia seculi,
Quae blandis animos illecebris trahunt,
Sylvarum latebras, notaque belluis,
Prudens, antra subiveras.
Rursus nunc alio cedere cogeris,
Ut vanae fugias praemia gloriae,
10. Et mixtus pueris, sedulus infimo
Templi munere fungeris.
Sed virtus referens lucis imaginem
11. Est invita suo lumine prodita,
Hinc Praesul merito lectus, et addita
Fulgens infula vertici.
Felices populi, quos tibi creditos
Exemplo praeiens vocibus admones,
Et praebens aliis, quae tibi denegas,
Quis sit patris amor, doces.
12. Tu verbis placidis saeva minantium
Componis sapiens jurgia civium,
13. Per te pax miseris redditur, iridis
14. Qualis luce serenitas.

14. *Pulchra luce serenitas.* His addo in *stropha 6.* ad laudes versu ultimo verbum *pertulit* pro loci, et rei gravitate non videri satis efficax, et congruentius dici posse, *Effraenis furor impulit*, pro *Demens pertulit impetus*. De S. Prudentio, ejusque cultu agit Salazarius *in Martyrologio*, quem Bollandiani *in Actis Sanctorum ad hanc diem cap.3. n.21., et 22.* tantum non judicant falsarium. Floruit S. Prudentius saltem ante annum 846., neque est confundendus, ut nonnulli faciunt cum Prudentio hymnographo, aut quod aliis videtur, cum Prudentio Tricassino Episcopo, cujus memini in *Dissertatione §. XXIII. num.* 129.. Prudentii Trecarum in Gallia Episcopi nonnulla opera Mss. adhuc latent in Bibliotheca Vaticana; de aliis vi-

Nobis nunc veniam posce precantibus,
Quos pacis toties foedera cum Deo
Heu! turpi nimium crimine frangere
Demens pertulit impetus.
Te, Prolem generas qui tibi comparem,
Te, per quem Genitor secula condidit,
Te Fons, unde fluunt munera gratiae,
Tellus, astraque personent.

Die 4. Maji. In officio proprio Hispalensi, et die 5. Maji in officio Toletano. In festo Coronae Domini nostri Jesu Christi. Hymnus correctus (*a*).

Ad vesperas. Lauda fidelis concio
Spinae trophaeum nobile,
Quae mortis arcet impetum,
Confertque vitae praemium.

deri potest D. Nicolaus Antonius in *Bibliotheca veteri Hispana*. Uberius ista, ut credere par est, disputabunt litterati fratres PP. Moedani in *Historia litteraria Hispaniae*, si tantum otii, ac vitae eis suppetat, ut ab initiis, in quibus jam diu haerent, progressi, saltem ad seculum 9., quo claruit Prudentius Galindo Trecarum Praesul, perveniant. In officiis Hispanicis ejus memoria non colitur, quo honore gaudet apud Trecenses die VI. Aprilis. *Tom. XII. Galliae Christ. col.* 491..


(*a*) In his duobus hymnis 5. *stropha* ad vesperas, et ad laudes desumpta est in officio Toletano ex tempore paschali ad normam correctionis Urbani VIII.. Hispalenses antiquos versus retinuerunt, *Quaesumus, Author omnium, - In hoc paschali gaudio - Ab omni mortis impetu - Tuum defende populum*. Celebratur autem hoc festum Coronae D. N. Jesu Christi in aliis breviariis antiquis Hispanicis, ut in Abulensi, in Zamorensi, in Caesaraugustano, in Oscensi, in quorum plerisque existunt hymni superius emendati, vel alii ejusdem generis. Opinor, in multis aliis Ecclesiis Hispaniarum festum S. Coronae officio proprio esse decoratum, cum in diversis earum Sacrariis spinas sacras 115. coli compertum habuerit Tamayus Salazar in *Martyrologio Hispano ad diem*

A noxio nos vulnere
Christus Redemptor liberat,
Cui lancinant innoxio
Spinae coronatum caput.
Aculeos miserrima
Pro gente Christus pertulit,
Et per coronam spineam
Dedit coronam gloriae.
Plaudat cohors fidelium,
Quod veprium ludibrio
Purgat Creator omnium
Spineta cordis horrida.
Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium,
A morte dira criminum
Vitae renatos libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui mortuus
Surrexit, ac Paraclito
In sempiterna secula.

10. *Aprilis*. Calvino irridenti multitudinem Spinarum respondet P. Joannes Ferrandus *Disquis. Reliq. lib.* 1. *cap.* 1. *sect.* 5. *pag.* 47. *Lugduni* 1647. plures ex spinis, venerationi fidelium expositis, esse tantum Dominicae Coronae spinis admotas, ad quarum *contactum edendorum miraculorum facultatem divinitus contraxerint*. Benedictus XIV. *de Beat. lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 14. *num.* 12. *et seqq.* erudite disputat, an Spinae Coronae Domini in Patronas Ecclesiarum eligi possint, multaque ex allegato Ferrando congerit; concludit tamen, opinionem negantem a Sac. Rit. Congregatione fuisse receptam, quia titulus particularis Patroni nec Christo, communi omnium apud Patrem advocato, convenit, neque instrumentis Passionis eadem ratione applicandus est. Jam hymni, quos castigatos dedi, adeo ab omnibus metri legibus abhorrebant, ut fere nullus versus conservari potuerit; ac crediderim, nullam ab auctore habitam fuisse carminis rationem, sed solius rhythmi. Ita autem se habent.

Ad Vesperas.

Lauda fidelis Concio
Spinae trophaeum inclytum.



Ad laudes. Christi coronam supplici
Cultu fideles praedicent,
Regis supremi laudibus
Devota solvant cantica.
Regem coronat omnium
Corona contumeliae,
Et nos vicissim maxima
Coronat ille gloria.
De spineis aculeis
Christo corona plectitur,
Sed hac ministris inferis
Mundi potestas tollitur.

Per quam perit perditio,
Vitaeque datur meritum.
Nos a puncturis liberat
Aeterni Patris Filius,
Dum spinis pungi tolerat,
Spinarum culpae nescius.
Cum spinarum aculeum
Christus pro nobis pertulit,
Per diadema spineum
Vitae coronam contulit.
Plaudat turba Fidelium,
Quod per spinae ludibrium
Purgat Creator omnium
Spineti nostri vitium.

Ad laudes.

Aeternae Christe gloriae
Devota laudum cantica
Fideles solvant hodie
Pro corona Dominica.
Coronat Regem hodie
Corona contumeliae,
Cujus nobis opprobrium
Coronam confert gloriae.
De spinarum aculeis
Christo corona plectitur,
Qua ministris Tartareis
Mundi potestas tollitur.
Corona Christi capitis
Sacro perfusa saguine
Solutis poenis debitis
Reos purgat a crimine

Ex omnibus istis versibus pauci casu, non arte, legitimum sonum habent. Reliqui omnes in carmine peccant, ac plures non semel, ut perpendenti liquebit. Secundum versum ultimae strophae ad vesperas, et ad laudes, *Et Filio qui a mortuis*, mutavi ob concursum vocalium. In officiis propriis ditionis Venetae *Secunda ex feriis sextis Martii* recitatur officium SS. Spineae Coronae D.N.Jesu Christi hymnis propriis ad vesperas, et ad laudes affabre elaboratis, in quibus egregia prae ceteris mihi videtur penultima stropha ad laudes, quam huc transfero, *Christi dolorum conscia - Salve corona gloriae, - Gemmis, et auro pulchrior - Vincens coronas siderum*. Hymnus ad

Corona sacri verticis,
Perfusa vivo sanguine,
Poenis solutis debitis
Purgat reos a crimine.

Die 14. *Maji*. *In festo SS. Martyrum Victoris, et Coronae pro dioecesi Compostellana* (*a*).

Ad vesp.= Victor infandos, variante poena,
Dum subit constans animo dolores,
Jamque festinat, volitatque circum
Tempora laurus.
Laudis in partem properans Corona
Proripit sese, praeeunte certo
Numinis ductu, jacit et fideli
Pectore voces.
Martyrem laudat, Dominumque caeli
Robur addentem, simul ad Tyrannum
Versa funestas animi ferocis
Exprobrat iras.
Fervido veri pia sensa cultus
Ore depromit, caput ingruenti
Objicit letho; fidei perurit
Flamma medullas.

vesperas officii Veneti extat etiam in breviario Parisino, ejusque auctor indicatur his litteris, H. Vabr. Ep.. Guyetus in fine suae Hymnodiae utrumque hymnum excripsit.

(*a*) Horum SS. Martyrum cultum, et venerationem in multis orbis regionibus propagatam esse admiratione quadam obstupefacti docent Bollandiani *ad hanc diem*, eosque sub ritu duplici in ecclesia, et dioecesi Compostellana coli testantur. Itaque hos hymnos, quos pro oppido Canepina dioecesis Civitatis Castellanae olim composueram, hoc loco inserendos censui. Ab Hispalensibus etiam eosdem SS. Martyres fuisse quondam celebratos, quamvis taceant Bollandistae, et Tamayus in *Martyrologio Hispano*, exploratum mihi est ex missali, cujus editionem hic describam. *Missale secundum ordinem alme ecclesie Hispalensis ad*

Te per aeternos veneremur annos ;
Trinitas, summo celebranda plausu ;
Te fide mentes, resonoque linguae
Carmine laudent.

Ad mat. = Inter haec cernit geminam volantum
Caelitum ferri manibus coronam ;
Ilicet clamat, sibi destinari,
Et tibi, Victor.
Non minis cedit, precibusque blandis,
Ac velut rupes pelago resistit,
Quam fremens circum maris aestuosi
Verberat unda.
Triste tormenti genus apparari
Imperat Judex : placuit furenti
Insolens caedes, nova luctuosae
Stragis imago.
Arborem flectens duplicem satelles,
Hinc et innixus trahit inde ramos,
Implicat nodos, et utraque nectit
Parte Coronam.

Ad

laudem et honorem sanctissime Trinitatis, feliciter incipit. Characteres sunt semigothici, in titulo rubri ; pp. 542. in fol., in fine : *Missale divinorum secundum consuetudinem alme ecclesie Hispalensis de mandato R̃mi ac Illm̃i Dñi Dñi Alfonsi Manrique presbyteri Cardinalis tituli basilice XII. Apostolorum, et ejusdem ecclesie Archiepiscopi atque in regnis cesaree Majestatis generalis Inquisitoris et prīs. fidei catholice : summo studio correctum : versum : et emendatum : quibusdamque festis aliisque permultis tēporis... utilissimis, denuo, additis (quod in prioribus defuerat) auctum. Impressum Hispali per Joannem* Varela *Salmanticensem. Ad instantiam Dñi licentiati Joannis Temiño Canonici Inquisitoris et vice presulis Hispalensis. Ita nequis alius imprimere possit sub excommunicationis pena ex facultate ab eodem R̃mo Dño Cardinali et Archiepiscopo obtenta. Anno Dñi M. D. XXXIIII. pridie nonas februarii.* Libenter, cum occassio offertur, veteres editiones librorum liturgicorum noto, quae ad historiam ecclesiasticam, vitasque Sanctorum illustrandas utilitatem

Ad laud.= Ut sua rami, sibi jam relicti,
Vi recesserunt, et utrinque scissum
Corpus est motu, crepuere fibris
Membra revulsis.
Evolans longe per inane sudum
Spiritus recto petit astra cursu,
Et Dei cernens jubar emicanti
Luce beatur.
Hic coronanti Domino rependens
Debitas grates, facilis vocari
Supplicum sanctis precibus benignam
Applicat aurem.
Ergo pro tantae meritis Patronae
Plurimae gentes pia vota gratae
Offerunt, festo redeunte fervent
Thura, precesque.

Die 15. Maji. In festo S. Isidori Agricolae Confessoris Matriti Patroni (a).

Ad vesp.= Regiis gazis homini negatum
Siderum celsas penetrare sedes,
Non Deus gemmis capitur, nec auro
Divite caelum.

aliquam possunt afferre. Quod ut agam in rarioribus editionibus Hispaniae, alia me ratio impellit, nempe quia Exteri, qui typographicam rem commentariis editis persecuti sunt, originem, et progressum typographiae Hispanae magna ex parte, aut omnino neglexerunt. Missale Hispalense relatum extat in Bibliotheca Barberina, et in eo *ad diem 14. Maji* Missa SS. Victoris, et Coronae; quorum tamen nullam memoriam reperio in officiis Hispalensibus excusis anno 1659.

(a) Officia ecclesiastica S. Isidori Agricolae composuere Fr. Joannes Gutierrez Ordinis Praedicatorum, et Doctor Gregorius Lopez Madera. Salazarius in Mar-

Pauper excultis Isidorus arvis
Evolans alte super et Potentes,
Et super Reges fruitur beatae
Munere lucis.
Laus brevem finem recipit, nec aequo
Corde praestatur, quibus alta regni
Sceptra terrenum regimen subacto
Orbe dederunt.
Inclyti Reges meritos honores
Jugiter solvunt humili colono,
Ampla se cujus precibus tueri
Regia gaudet.
Trinitas una Deitate simplex
Laudibus semper celebretur; ipsa
Praestet, ut laetum vigili colono
Pareat arvum.

Ad mat.= Lucis ad primos Isidorus ortus
Numen orabat, bona cuncta gnarus
A Deo solo repetenda, purae
Praemia vitae.
Cum seges praeter solitum veniret,
Ruris adjuncti stupuit colonus,
Saepe miratus, foret unde tanta
Copia frugum.
Hinc boves ferro stimulans, aratro
Visus est putrem coluisse terram
Angelus Custos operosa ruris
Munia supplens.

tyrol. Hisp. ad hanc diem excribit sex hymnos in laudem S. Isidori, quos, ut ait, olim ecclesia Maritensis recitabat, qui rhythmici sunt, et, ut ipse observat, *illorum temporum sapiunt ferruginem, immo farraginem plam licet incultam*. De hujus generis documentis Bollandiani *ad hanc diem* sermonem habentes Hieronymum Romanum de la Huguera S. J., ne falsarium dicant, mentis inopem judicant.

Cum siti fauces premerentur, undas
Arido campo dare jussa tellus,
Paruit dicto, subitusque fluxit
Gurges aquarum.

Ad laud.= Parte mercedis superante magnas
Pauperum turbas Isidore pascis,
Charitas caelo tua comprobatam
Se manifestat.
Nec modis cessas refovere miris,
Gloriae postquam frueris corona,
Quos salutari pietate cernis
Promere vota.
Vidit id prudens Deus, et sepultum
Corpus ut cives colerent frequentes,
Voce caelesti monuit, decora
Sede locarent.
Saepius rebus dubiis juvamen
Sensit Hispanus, prece luminosam
Visitans aram, renovansque festos
Thuris honores.

Die 15. *Maji*. *In festo SS. septem Praesulum Apostolicorum Torquati, et Sociorum Martyrum* (*a*).

Ad vesp.= Debitas caelo, Superisque laudes
Civis Hispanus referat, pioque
Gaudeat cantu celebrare tanti
Festa diei.

Joannes Gutierrez, a Nic. Antonio praatermissus, inter *Scriptores Dominicanos* recensetur.

(*a*) P. Henricus Florez *tom.* 3. *Hispaniae Sacrae Append.* 1. *num.* 1. ex officio Isidoriano Mozarabico hymnum veterem pro festo septem Apostolicorum producit ad Mss. codices emendatum, qui incipit, *Urbis Romuleae jam toga candida*. Sed pro antiquorum temporum more plerumque extra carminis le-

Virgines castae, puerique vitae
Integri dignas modulis canoris
Gratias solvant, resonet sub altis
Montibus Echo.
Unus e septem colitur beatis,
Attulit quorum celebrata virtus
Prima nascentis fidei per urbes
Semina nostras.
Splenduit lumen, procul umbra noctis
Horridae fugit, temerata fumo
Impii thuris cecidere latis
Fana ruinis.
Gloria laudum veneretur orbis
Ter sacrum nomen Triadis supernae,
Dum fluunt surde revoluta nullo
Secula fine.

Ad mat.= Praesules septem Petrus institutos
Misit; Hispanas petiere terras,
Prima Jacobi (memorat vetustas)
Acta secuti.
Forte mendaces venerata Divos
Impium festum celebrabat Accis,
Cum Dei servos videt inter audax
Turba venire.
Motus ignota specie virorum
Protinus ritu populus ferarum,
Quae tulit casus, rapit arma dextra,
Urget, et arcet.

ges, et aliquando extra latinitatis regulas vagatur. Auctorem ejus esse S. Isidorum aliqui asserunt, non alia tamen, ut arbitror, ratione, quam quod in officio Isidoriano reperitur, quam levissimam esse nemo iverit inficias. Recens officii Hispanici usus obtinuit, ut de his Sanctis Martyribus festum singillatim celebretur, nimirum *die* 1. *Februarii* de S. Caecilio, *die* 13. *Maji* de S. Secundo, *die* 15.

Sic datam caelo removet salutem
Inscius, sic se trahit ad periclum,
Sic gravi casu ruit, et rapaci
Volvitur unda.
Namque praegressos ubi vidit amens,
Ponte conscenso violentus instat,
Corruit (mirum!) resoluta firmi
Machina pontis.

Ad laud. = Stragis aspectu, miseroque visu
Pontis eversi, reliqui stupentes
Abstinent cursu, quatiente maesto
Corda pavore.
Plurimi lucis venientis ultro
Sentiunt donum; praeit hosce ductrix
Nobilis, Christo posuisse gaudens
Femina templum.
Inde sortiti regionis oras,
Quam colat, Praesul sibi quisque terram
Accipit, clara meruere donec
Morte coronam.
Quam fidem primi docuere patres,
Servat irrupta serie nepotum
Grex pius; posthac ut in omne servet,
Quaesumus, aevum.

Maji, aut aliis diebus non impeditis de S. Torquato, de S. Indaletio, et de S. Euphrasio Dioecesis Giennensis Patrono. De reliquis duobus Ctesiphonte, et Hesychio Officium proprium nullum est. Hymnos ad hanc diem distuli, quia in ea communis eorum omnium festivitas olim colebatur, et trium officia in eadem indicantur, differenda tamen ad primam diem non impeditam, suoque ordine distribuenda. Sunt autem ita dispositi hymni, ut singulis festis applicentur; si tamen in communi omnium eorum festo essent concinendi, primus versus tertiae strophae ad vesperas in hunc modum esset reformandus, *Martyrum septem canimus triumphos*.



Die 23. Maji. In festo Apparitionis S. Jacobi Apostoli, et Hispaniarum Patroni. Hymnus antiquus ad cantus rationem redactus (a).

Ad vesperas. Vindex Iberi nominis
Jacobe, terror hostium,
Tonitrui quem filium
Dei vocavit Filius.
Huc lucidis a sedibus
Converte dexter lumina,
Audique laeti debitas
Grates tibi quas solvimus.
Grates refert Hispania,
Felix tuo quae nomine,
Ductuque perstat libera,
Vitatque gentis dedecus.
Tu cum jaceret barbaris
Cedens, et impar hostibus,
Praesens inexpugnabile
Robur dabas Ramirio.
Tu bella cum nos cingerent,
Es visus inter agmina
1. Equo triumphans ensifer
Mauros furentes sternere.
Per te redemptae Virgines
Laudis rependunt cantica,
2. Et nos tributo liberi
Hymni tributum pendimus.

(a) Magna ex parte hic hymnus descriptus, et reformatus est *die* 30. *Decembris* in festo Translationis S. Jacobi, proindeque recoli hoc loco possunt, quae illic sunt annotata. Praeterea alii versus ad evitandam elisionem expuncti sunt, videlicet,
1. *Equoque et ense acerrimus,*
2. *Nosque a tributo liberi.*
3. *Et Filio, qui a mortuis.*
4. *Et nunc et omne in seculum.*

Deo Patri sit gloria
3. Et Filio, qui mortuus
Surrexit, ac Paraclito
4. Et nunc, et omni seculo.

Eodem die 23. Maji. Hymnus antiquus leviter correctus (a).

Ad laud.= Jacobum celebret fortis Iberia,
Jacobum meritis tollat honoribus,
Per quem barbarici nescia foederis
Victrix imperat hostibus.
Vectigal trucibus pendere flebile
Urgetur Dominis imperiosius,
Centenasque lupis sponte rapacibus
Lectas sistere Virgines.
Aversata nefas arma ferocior
Poscit, mox Arabem fida Ramirio
It contra, numero sed nimis impari
Virtus cedere cogitur.

(a) Vix adducor, ut credam hujus hymni auctorem ultimam stropham composuisse, cujus tertius versus ceteris hymni partibus minime respondet, ut constabit perlectis versibus omissis.

1. *Lunatasque acies, agmina barbara.*
2. *Instatque attonitis undique pavidos.*
3. *Esto Exercituum non superabili.*
4. *Ductori, ac Domino jugis honor Patri.*
5. *Cum Prole unigena, almoque Pneumate.*

In hoc ultimo versu praeterquam quod ultima vocalis in *Unigena* esset elidenda, et, si elidatur, deest una vocalis, pes dactylus componitur ex *almoque*, quod perabsurdum est. Excidit etiam hymnographo, ut primam syllabam in *pavidos* produceret, pro quo nomine *territos* substitui. Non dubito autem, quin auctor hujus hymni sit recentior, cum festum Apparitionis S. Jacobi, ejusque officium proprium decreto Sac. Rit. Congregationis *die 27. Julii* 1750. fuerit approbatum, neque in breviariis ante id tempus evulgatis hujusmodi hymnus apparuerit. Multos, quibus id notum esse debuit, narrare audivi, Joachimum Lariz, qui non multis ab hinc annis Bononiae decessit, cum philosophicis studiis

Quid sperare datur? Promicat aethero
Proles horrifici clara tonitrui,
1. Lunatosque globos, agmina barbara
Sacro lumine disjicit.
Ardens in medios fertur acinaces,
2. Hostes ense premens undique territos
Maurorum cuneos rumpit, et integra
Victor proterit agmina.
3. Laus exercituum sit Domino Patri,
4. Sit virtus Genito, par quoque Flamini:
5. Cantetur Deitas in tribus unica
Per labentia secula.

Die 30. *Maji*. *In festo S. Ferdinandi Regis Hispaniae Confessoris* (*a*).

Ad vesp. = Quale cum caelum tonat, atque densae
Fulgurant nubes, ruit, et vagatur
Fulmen in partes varias, agente
Numinis ira.
Arcium prodest nihil alta moles
Turbinem contra, volucresque flammas,
Missus e caelo ruit ultor ignis,
Summaque tangit.

Compostellae adolescentulus operam navaret, hymnos, totumque hujus festi officium adornasse; fuisseque deinde aliquem, qui sibi licere crediderit, nonnulla verba mutare. Certe virtutes, quae in hymno emicant, et unum vel alterum vitium animadversum, ab uno, eodemque auctore prodiisse nemo credet; et sicut alteri cuivis vitia, ita virtutes Larizio libentissime attribuam. Hunc ego novi hominem latinissime scientem, et loquentem, qui si, ut erat disertus, ad scribendum aggressus esset, alterum Perpinianum numeraret Hispania.

(*a*) Cultus sanctissimi Regis Ferdinandi fere per universam Hispaniam, quod mirere, antea neglectus, seculo superiori renovatus est, et brevi auctus incredibiliter. Tamayus in sex tomis magni voluminis *Martyrologii Hispani* lo-

Non secus circum metuenda ducens
Arma Fernandus premit acer hostes,
Personant late loca militari
Pulsa fragore.
Quid ducem contra validum phalanges
Perfidi Mauri potuere? quanta
Strage vexillum volitans, crucisque
Tessera vicit?
Agminum ductor, Deus unus, una
In tribus virtus, tibi corda semper
Gloriam cantent, tibi nostra soli
Arma triumphent.

Ad mat. = Non decus vanum, vel iniqua laudis
Aura Fernandum, neque caecus ardor
Impium Maurum merita domare
Caede coegit.
Charitas movit patriae, fidesque
Cordis accensis animata flammis
Pulchra virtutum comitante longo
Ordine virtus.
Sub jugo Maurae ditionis olim
Hispalis longum gemuisse docta,
Pristinae demum reparavit altos
Legis honores.
Inde vicinas eadem beavit
Faustitas urbes, pietas revixit,
Et salus, et pax, et ubique moris
Cultus honesti.

cum non dedit Regi glorioso Ferdinando ob egregias virtutes antiquitus *Sancto* cognominato. Clemens X. cultum confirmavit, officium, et missam *anno* 1671. decrevit; lectiones proprias Sac. Rit. Congregatio *anno* 1675. approbavit; acta egregie illustrarunt Bollandiani. Diem emortualem S. Ferdinandi fuisse 31. Maji, non

Ad laud.= Bella gesturus pia Ferdinandus
Non timet fatum, dubiamve sortem,
Spem fovet certam Superum benigna
Luce vocatus.
Ferreos nexus ratis acta venti
Impetu frangit; stupet, atque vinci
Baetis exultat, placidasque volvit
Mollius undas.
Ipsa victrices veneranda Virgo
Anteit turmas, ope cujus urget
Rex pius bellum, superatque pugna
Victor in omni.
Vicit et mortem, super astra namque,
Et super caelos anima recepta,
Integrum corpus sine tabe gratos
Spirat odores.

Die 17. Julii. In festo SS. Justae, et Ruffinae sororum Virginum, et Martyrum Hispalensium. Hymnus antiquus ad leges modulationis revocatus (a).

Ad vesperas. Salvete clarae Virgines,
Tutela praesens patriae,
Virtutis, et constantiae
Exemplar admirabile.
Non vos calybs rigentibus
Dum nectit artus annulis,
Nec laminis candentibus
Catasta terret ignea.

30. aliqui contendunt, rationibus quidem probabilibus, non tamen omnino certis.


(a) Dulcissimi sunt hi SS. Justae, et Ruffinae hymni; ut dulciores tamen, cantuique aptiores reddantur, mutati sunt versus sequentes,
1. *Caeli sublistis atria.*
2. *Te, dux corona Martyrum.*

Nec confragosa rupium
Calcata nudis plantulis
Fregere vos dispendia,
Sed hinc fides fit acrior.
Dëinde victo seculo
1. Caeli subistis atria,
Ruffina fuso sanguine,
Et Justa digna nomine.
Rosisque purpurantibus
Confessionis inclytae
Intexuistis candida
Integritatis lilia.
Ergo triumphi nobilis
Sacris revinctae laureis,
Palmas refertis duplices
Agnum sequentes praevium.
2. Te Christe ductor Martyrum
3. Cum Patre, cumque Spiritu
In Trinitate simplici
Aeterna laudent secula.

Ad matut. = Quid saeve tortor ungulis
Judexque fractis Virginum
Plusquam virilis indolis
Miraris indolentiam.
Virtutis hoc altissimae
Agnosce munus, perfide,
Firmissimam constantiam
Quae debili dat sexui.

3. *Cum Patre Christe, et Spiritu*
4. *Saevire in artus fictiles.*
5. *Mercesque earum testeas,*
6. *Pro gente Patrem, et Filium*
7. *Et Spiritum Paraclitum*
8. *Qui regnat omne in seculum.*
9. *Sponso vocante ad nuptias.*
10. *Christo immolatae victimae.*

Ex his versibus primum expunxi, quia longior est una syllaba, ut



4. Merces earum testeas,
5. Molles et artus frangere,
Sed non potestis conditas
In his faces extinguere,
Quas ardor almi luminis
Accendit, et dulcissimus
Sponsus cadentes excipit
Christus bravium Martyrum.
Et nunc precantur sedule
6. Pro gente Numen unicum
7. In Trinitate simplici
8. Per omne regnans seculum.

Ad laudes. Adeste sacrae Virgines,
Quas cura fecit pervigil,
9. Dum sponsus urget nuptias,
Claras referre lampades.
Jam nigra noctis orbita
Ad mane clarum vertitur,
Vincant timores turbidos
Aeterna lucis gaudia.
Aperta vobis gaudia;
Sponsus vocat, succedite,
Sparsasque nostris fletibus
Offerte palmas nobiles.
Offerte fusum sanguinem
10. Christo litatae victimae,
Quo Martyres sanctissimae
Vestram beastis Hispalim.

scriptum multis in locis reperi, typographos corrigens, non auctorem, qui, ut credo, *subistis* posuerit. Extant etiam in breviariis antiquis hymni de SS. Martyribus Justa, et Ruffina, existimatque Tamayus in *Martyr. Hisp. ad hanc diem* S. Isidori esse hymnum, qui legitur in breviario Gothico Mozarabico, quod mihi minime proba-

Ut ipse supplicantium
Preces benignus audiat,
Et donet indulgentiam
Vestris rogatus civibus.
Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Cum Spiritu Paraclito
In seculorum secula.

Die 21. *Julii. In festo S. Camilli de Lellis Confessoris, Congregationis Clericorum Regularium ministrantium infirmis Fundatoris. Hymnus anno* 1783. *Sac. Rit. Congregationis judicio subjectus* (*a*).

Ad vesp.= Exultent miseri, turbaque pauperum,
Afflictus, moriens, pesteque tabidus:
Ardens nam Seraphin mittitur aethere,
Omnes Lellius ut juvet.
Quot flammas calido pectore concipit!
Ignes quot rapidos undique projicit!
Terram queis tepidam concremat, et faces
Castas inserit omnibus.
Cui non auxilium fervida charitas
Illius tribuit, quando vel abditos
Sub terris miseros quaerit, et extrahit
Atro funere liberans?
Ascendas igitur sidera fulgidus,
Ignitos etiam trajice spiritus
In terras; etenim clarus ab aethere
Flagres, convenit, omnibus.

tur; est enim barbarus, et incultus, ut vel ex primo versu apparet, *Adsunt Punicea floscula virginum*,

(*a*) Hi tres Hymni in Sacra Rituum Congregatione propositi approbationem non obtinuerunt;

Simplex o Deitas, trinaque supplices
Exaudi gemitus, votaque respice:
Da patris meritis limina caelitum
Ejus scandere filios.

Ad mat.= Numen e caelo jaculans Camilli
Pectus ardenti penetrat sagitta,
Sensit auctorem, subito fit alter,
Vana relinquens.
Protinus lucem recipit supernam,
Viscera exurit sacer ignis: aevum
Deflet exactum, statuitque sanctam
Ducere vitam.
Pauperum strages, miseransque luctum,
Tot malis firmum ferat ut levamen,
Ordinem condit, data sacra Jesu
Jussa secutus.
Blanda ceu mater, pater ut benignus
Mulcet aegrotos, et agone mortis
Sublevat duro, comitum frequenti
Agmine septus.
Hoc sibi gratam reputat quietem,
Hoc placet solum, miseros levare,
Hoc pius longo meditatur omnis
Tempore vitae.
Laus sit aeternum Triadi supremae,
Alta quae caeli super astra regnat
Condolens nostri, miserans cadenti
Providet orbi.

Ad laud.= Caelites plaudant, hominesque plausus
Edite ingentes, recitemus una
Carminum laudes; veneremur omnes
Festa Camilli.

quid in eis displicuerit, alii viderint. Eorum loco rogatus ego ut novos conficerem, exaravi alios, quos subjiciam.

Ecce dux noster ; pater orbis ecce ;
Angelus custos datur, et levamen
Omnibus ; cura vigil iste prodest
Angelus aegris.
Erigit lapsos, tenet et labantes,
Firmat erectos, pietas Camilli
Despicit nullum, miseransque mulcet,
Protegit omnes.
Vis erat lassis, manus atque truncis;
Pes erat claudis, oculusque caecis;
Indigis aurum, miseris juvamen;
Omnia cunctis.
Charitas tandem foret ut perennis
Tanta, se, mirum ! pius hic, suosque
Nexuit voto miseros juvandi
Peste vel ipsa.

Alii Hymni pro eodem festo S. Camilli (a).

Ad vesp.= Lubricae quondam studio juventae
Per nefas errans vetitum Camillus,
Devio gressu peragebat inter
Ludicra vitam.
Non tamen cursum sceleris, nec istud
Improbum ludi genus indicarat
Somnium matris gravidae, crucisque
Stemma rubentis.

(a) Nolo alias quaerere causas, cur inter hymnos proprios officii Hispanici S. Camillo locum assignaverim, licet non me fugiat, ejus officium ab Hispanis fuisse recitatum, antequam breviario Romano fuisset insertum. Ingenue fatebor, noluisse me hunc hymnum praetermittere, quia ex eo occasionem cepi, ut ad alios concinnandos me accingerem. Duo tamen occurrunt versus, in quibus elisionem admisi: 3. stropha ad laudes versu 4., *Ducere ad astra* et stropha 4. ad laudes versu 3.: *Verbaque inspirant, quibus aeger aequas*, pro quibus hi possunt subrogari, *Reddere Caelo - Suggerunt voces, quibus aeger aequas*. Festum S. Camilli ab Hispanis olim

Quin Deus fessum miseratus orbem ;
Et graves curas hominum , levamen
Pallidae morti , columenque fractis
Destinat aegris .
Ergo qua caecos animos vocare
Copia lucis solet , hac trahentes
Imprimit sensus ; sequiturque blando
Corde Camillus .
Te pio cantu celebremus omni
Trinitas aevo , famulos precantes
Adjuva , vitam , dubiosque mortis
Dirige casus .

Ad mat= Ocius magno celeres ab alta
Sede virtutes subiere coetu :
Charitas longe praeit una cunctas
Aurea dotes
Charitas fervens , jaculata molle
Lumen , accensus rubet unde vultus ,
Cum redundanti sacra flamma cordis
Emicat aestu .
Igne caelestis facis excitatus ,
Prodigus vitae statuit Camillus
Morte luctantes animas propinqua
Ducere ad astra .
Caelites ipsi bene comprobatis,
Promovent signis opus institutum ,
Verbaque inspirant , quibus aeger aequas
Praebeat aures .

Ad

recitabatur die 15. Julii , qui est dies designatus pro Religiosis Congregationis ministrantium infirmis. In breviario Romano destinatus est dies 18. Julii apud Hispanos impeditus festo B. M. Virginis de Carmelo , ideoque festum S. Camilli translatum est ad diem 21.ejusdem mensis . Ceterum cum hoc ego labore defunctus fuissem , alius ex prioribus hymnis quaedam , vix pauca verba ex meis retinens tres

Ad laud.= Quaeque pervadens loca, glorioso
Ardui voti stimulatus ausu,
Quod genus dirae luis, aut periclum
Horruit unquam?
Ille sic vixit, voluitque tali
Filios sese religare voto,
Nulla quos pestis, vel acuta morbi
Terret imago.
Artubus tandem resolutus, almis
Gratiae donis, meritisque plenus
Additur Divis, fugiente tranans
Sidera penna.
Inde submissis precibus vocatus
Porrigit dextram miseris, opemque;
Id decus monstrant cumulata circum
Vota sepulchrum.

Hymni in festo S. Camilli a Sac. Rituum Congregatione approbati (*a*).

Ad vesp.= Inclytam laeti populi frequentes,
Quae sacros condit cineres Camilli,
Ambiant aram, cumulentque votis,
Et prece multa.
Hunc Deus summa miseratus arce
Sustulit lassum studiis iniquis,
Et dedit partes scelus expiandi
Fletibus aequis.

R r

hymnos contexuit, quos Sac. Rituum Congregatio die 29. Martii 1783. benigne approbavit, et lectori lubens sistam.

(*a*) Hos hymnos si ad veras metri regulas redigere quis vellet, mutare deberet plures versus, quorum manifestum est vitium:
1. *Custos almi propositi severus*.
2. *Aestus amoris*.
3. *Irretorto oculo, nobilis ausibus*.
4. *Mortis indomitae fata voracia*.

Tum novo Divum recreatus igne,
Non timet neglecta redire virtus,
Semita jam tentat iter negata
Fortiter audens.

Rebus angustis animosus heros
Semper apparet: bene praeparatum
Pectus horrendi haud quatiunt labores,
Durave egestas.

Custos almi propositi severus,
Sortibus vitae variis, maligni
Egerit justis domitos triumphis
Aestus amoris.

Ergo qui saevis scelerum catenis
Turpiter maesti premimur, Camille,
Impetres nobis veniam, rogamus,
Et decus omne.

Quosque, dum vita fruimur, dolosos
Neu sinas hostes inhiare inultos:
Laetus intersis, dubiosque mortis
Dirige casus.

Laus sit aeternum Triadi per aevum,
Alta quae caeli super astra regnat,
Quae mare, et terras, variisque mundum
Temperat oris.

Ad mat. = Exultent miseri, turbaque pauperum,
Afflictus renovet pristina gaudia,
Infirmus redeat viribus integris,
Adstat Lellius omnibus.

5. Quin se cum sociis insalita nisu.
6. Ardens Camilli in miseros.
7. Aegrorum turba pallida.
8. Unam languentis Lellio.
9. Noctis, lucisque tempora.
10. Dat fortis vili muneri.
11. His sordes purgat sedulus.
12. Agone in summa positis.
13. Praesens auxilium porrigit.
14. Quo justi firmant pectora
15. Tui nos sequi vestigia
16. Fac mereamur effici

Spectans vaniloqui munera seculi
Irretorto oculo, nobilis ausibus,
Quot flammas tacito pectore concipit,
Omnes impiger ut juvet?
Cui non auxilium fervida charitas
Decernit? Gelido qui jacet in specu
Confectum macie quaerit, et extrahit
Atro funere liberans.
Vitam qui trepidis pauperie aspera
In rebus tenuant corpore pallidi,
Escas suppeditat, vestibus induit
Fractus membra laboribus.
Mordaci laceris sollicitudine
Cor matris tenerum, cor patris anxium
Praebet, quo levius sit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.
Mortis indomitae fata voracia
Intentant homines? Nec labor improbus,
Nec curae prohibent: ecce aderit vigil,
Agon dum premit ultimus.
Quin se cum sociis insolito nisu
Voto magnanimus consecrat arduo,
Constantes relevent subsidiis piis
Dira peste vel obrutos.

R r 2

17. *Extremo vitae in limine*.
18, *Perducas ad caelestia*.
19. *Sit tibi, summa o Trinitas*.
20. *Æterna in secla gloria*.

In primo versu primo loco ponitur spondaeus pro trochaeo, in secundo versu fit breve *v* in *aestus*, cum sit longum, utpote in accusandi casu plurali, in 3. versu prima sede pro spondaeo intruditur trochaeus, idemque accidit in 4. versu, in 5. vero fit breve *i* in *nisu*, in sexto in *miseros* producitur *i*, in 7. secundo loco ponitur spondaeus pro iambo, eodemque vitio laborant versus 8., 9., 10., 11., 12., 13., 14., 15., 17., 18., 20.. Praeterea in versu 12. fit longum *o* in *positis*, in 13. primum *i* in *auxilium*, in 15. *e* in *sequi*, in 16. primum *e* in *mereamur*, in 18. primum *i* in *tibi*, haec, inquam, omnia, cum brevia sint, producuntur. Addo, versus 13.,

Tu dux egregius, tu pater optimus,
Tu nostrum columen, tu decus inclytum.
Fac nostra in miseros algida pectora
Flammis talibus ardeant.
Simplex o Deitas, trinaque, supplices
Exaudi gemitus, votaque respice:
Da patris precibus limina caelitum
Ejus scandere filios.

Ad laud.= Ardens Camilli in miseros
Latere nescit charitas;
Sacris adurit ignibus,
Totisque membris aestuat.
Aegrorum turba languida,
Quam dirus angor opprimit,
Unam languentis Lellio
Christi refert imaginem.
Noctis, lucisque tempora
Dat fortis vili muneri:
Prosternit illis lectulos,
His sordes purgat sedulus.
Quo quisque plagis faedior,
Huic ipse servit promptior,
Tabem nec horret ulcerum:
Horrere nescit charitas.
Agone in summo positos
Praesens auxilium porrigit,
Quo justi firmant pectora,
Reique deflent crimina.

et 15. una syllaba longiores esse, ac propterea nec ad purum rhythmum facere. Vellem etiam, ut ad musicam ecclesiasticam sequentes versus revocarentur.

Non timet neglecta redire virtus.
Semita jam tentat iter negata.
Pectus horrendi haud quatiunt labores.

Nihil interim dico de elisionibus; neque animus est in latinitatem inquirere, ne aliquis mihi accidere

Pater benignus impetra
Tui nos sequi vestigia:
Nos charitatis victimae
Fac mereamur effici.
Extremo in vitae limine
Omni solutos foenore,
Et sancto amore saucios
Perducas ad caelestia.
Sit tibi, summa o Trinitas,
Aeterna in secla gloria,
Quae charitate fervidos
Ditas beato lumine.

Die 25. Julii. In festo S. Jacobi Apostoli, et Hispaniarum peculiaris Apostoli, et Patroni (a).

Ad laud. = Audite caeli, terraque maximi
Claros triumphos militis, arduus
Ut pugnat, et mucrone rumpit
Barbaricum populatus agmen.

putet; quod reprehendere non audeo. Nomen gentile *Lellius* in 4. versu strophae 1. ad matutinum, iterumque in 3. versu strophae 2. ad laudes non debuisset exprimi, si vera est regula a me tradita *num.* 199. *Dissertationis*, et recenti Fidei Promotoris vigilantissimi auctoritate confirmata.

(a) Hymni iidem sunt, qui *die* 30. *Decembris* concinuntur. Eos excribit Tamayus de Salazar in *Martyrologio Hispano*: alios praeterea ex breviariis antiquis, necnon ex pseudo-Juliano Archipresbytero, nugas scilicet canoras. Ex breviario autem Isidoriano desumit hymnum, qui incipit, *O Dei verbum Patris ore proditum*: Eundem a mendis repurgatum ex Mss. cod. Ecclesiae Toletanae exhibet P. Henricus Florez *tom.* 3. *Hispaniae Sacrae pag.* 94., et pro ejus antiquitate acerrime pugnat, ut inde adventum S. Jacobi in Hispanias evincat; qui tamen fallitur, cum hunc hymnum *metricum* vocat *pag.* 99.. Illud certe constat, antiquissimum esse, et in codicibus Mss. vetustissimis reperiri; non fuisse autem conditum post inventum S. Apostoli corpus, quod nonnulli Exteri opinantur, haec ratio mihi persuadet, quod nulla in toto eo

Novere gentes, Afer, et aspera
Carthago novit, Roma beatior
Experta persensit, sub armis
Quos animos gererent Iberi.

hymno fit mentio *inventionis corporis*, nulla sepulchri Compostellani, nulla patrocinii, quod in debellandis Mauris experti sunt Hispani. Stylus ipse, et forma, si ex his conjecturam facere licet, ab ecclesiae Gothicae tempore, et consuetudine non sunt aliena. Hymnus leges metri non servat, sed in numero syllabarum, seu rhythmo similis est dactylico asclepiadeo, quales plures sunt in officio Gothico, ut in festo S. Crispini hymnus ex duobus Mss. a P.Roa collatis apud Florez *Tom. X. pag* 472., *Insignem Crispinum laudemus Martyrem*, - *Qui suum lavit sacro corpus sanguine*, - *Et unum Deum sequens trino nomine* - *Mundum relinquens, simul ejus copias* - *In Regno Dei consors factus Angelis*. Ita etiam Psalmus Alphabeticus S. Isidori carmen trochaicum sine metro imitatur: *Audi Christe tristem fletum, amarumque canticum*, - *Quod contritus, et percussus modulatur spiritus*. Canticum hoc extat inter opera S. Isidori *edit. Paris.*, et apud Bollandianos 4. Aprilis in Vita S. Isidori *cap. VI.*, hoc titulo: *Alphabetum Orationis ad tentamenta repellenda adversarii, et Dei gratiam promerendam*. Auctor ejus vitae, qui a multis creditur Lucas Tudensis, *cap. VI.* de eodem loquitur. *Scriptis postquam edidit alphabetum Papiae* (al. *Patriae*) *judicum, alphabetum verbalium, alphabetum theologicarum distinctionum, atque alphabetum librorum, oratione finem faciens, Orationis scripsit alphabetum, futuros plangens Gothicae gentis errores, simul eversionem etc.* Advertere oportet hoc loco, hymnos Gothicos, scilicet ante Maurorum irruptionem in ecclesia Hispana Gothica compositos syllabas postremas versuum similiter desinentes nunquam, aut fere nunquam habuisse. Plurimi censent, Hispanos ex Arabibus hos verborum lusus didicisse, ex Hispanis ceteros; quibus ego minime assentior. Ac primum quod Alvarus Cordubensis in Vita S. Eulogii Martyris versus *rhythmicos* ab Eulogio, et a seipso adolescentibus elaboratos tradit, non de hujusmodi carminum genere intelligo, sed de versibus *non metricis*, ac solum certo syllabarum numero constantibus. Id colligo ex ejusdem Alvari *Indiculo luminoso num.* 35. *Hispan. Sacr. Florezii tom. XI. p.* 274. *et seq.*. *Heu proh dolor!* inquit, *linguam suam nesciunt Christiani, et linguam propriam non advertunt Latini, ita ut omni* (al. ex omni) *Christi Collegio vix inveniatur unus in milleno hominum numero, qui salutatorias fratri possit rationabi-*

Incerta postquam pugna stetit diu,
Gens utra mundum lege coerceat,
Hispana virtus est coacta
Alta jugo dare colla sero.

liter dirigere litteras. Et reperitur absque numero multiplex turba, qui erudite Caldaicas verborum explicet pompas. Ita ut metrice eruditiori ab ipsis gentibus carmine et sublimiori pulchritudine finales clausulas unius litterae coarctatione decorent, et juxta quod linguae ipsius requirit idioma, quae omnes vocales apices commata claudit et cola, RHYTHMICE, immo uti ipsis competit metrice universi Alphabeti litterae per varias dictiones plurimas variantes uno fine constringuntur, vel simili apice. Difficile est sensum horum omnium verborum exprimere; sed ad poesim, quam nunc *rhythmicam* dicimus, ea pertinere dubium non est. Cum vero Alvarus dixisset, Christianos Arabico idiomate *rhythymice* carmen effundere, quia *metri* lege non adstringebantur, se corrigens addidit, *immo metrice*, quia pro natura ejus idiomatis *metrum* censeri potest necessitas illa, vel lex poetis imposita versus simili fine concludendi. Igitur nondum eo tempore Cordubenses videntur poesim Arabicam linguae latinae applicuisse; quod certe postea evenisse non abnuerim. At extra Hispaniam longe ante annum 854, quo *Indiculus luminosus* scriptus est, vigere coeperat consuetudo efficiendi versus similiter desinentes, quorum artem docuit S. Bonifacius Germaniae Apostolus, et Martyr; qui Romae anno 722. consecratus fuit Episcopus. Inter hujus Epistolas *Tom. XVI. Bibliot. SS. Patr. edit. Paris.* 1644. legitur epistola 65., quam Aldhelmo Abbati scripsit Æthilvaldus; cujus haec verba excerpo. *Huic autem nostrae parvitatis epistolae trina cantati modulaminis carmina binis generibus digesta subdidimus, quorum primum dactylico heroico poematis hexametro etc. Tertium quoque non pedum mensura elucubratum, sed octonis syllabis in uno quolibet versu compositis una, eademque littera comparibus linearum tramitibus aptata cursim calamo perarante caraxatum dicavi. Medium vero ... simillimis itidem versuum, et syllabarum lineis confectum repraesentans porrexi.* Iterum in epistola 69. sine nomine scribentis. *Idea vobis dirigere versiculos metrica ratione compositos diu fixum mente tenui ... Hanc itaque nuper metricae artis peritiam Domini nostri omnium generalis, meique specialis Praesulis venerandi Bonifacii sub magisterio didiceram ... Hos namque versus jacistae more caraxatos reperietis, si diligenter non dedignemini litterarum perscrutari capita, hoc est; quaternis versibus ceteros in media positos*

At non praeibat tunc recalentia
Jacobus albo bella regens equo,
Densasque prosternens phalanges
Fulmineo metuendus ense.


veluti ambitu quodam cingentes illos. Versus ibi excripti sunt ejusmodi. *Lectos casses catholicae-Atque obses athletice-, -Tuis pulsatus precibus-Obnixe supplicantibus-Hymnista carmen cecini-Atque responsa reddidi - Sicut pridem pepigeram-Quando profectus fueram*. In in fine primi carminis legitur: *Finit carmen Aldelmi*, quod Serarius in notis mendum putat. Fortasse legendum erit *Adelberi*, sive *Adalberi*, aut *Adalarii*, qui in martyrio subeundo socius fuit S. Bonifacii, de quo videri possunt Bollandiani *ad diem V. Junii in Commen. praevio ad Vitam S. Bonifacii n.20., et 21.*. Quod vero *Jocistae more* carmina sibi in fine consonantia composita esse dicuntur, id explicandum est ex *Etymologiis* S. Isidori, qui *Jocistam* nuncupari affirmat, qui verbis ludit. Quo magis confirmatur, apud poetas eruditos, et a vulgari consuetudine abhorrentes lusum verborum in fine versuum integri alicujus poematis nunquam fuisse olim usurpatum. Duo his addam, alterum ex *Jocistae* nomine ab Hispanis Poetas vulgares, Histrionesque appellatos fuisse *Juglares*, ac simili modo ab Italis *Giullari*, seu *Giocolieri*. Alterum, in Germania, ubi in ipsa Germanica lingua hic usus ludendi verbis antiquior videtur, versus latinos ad eam consuetudinem conformatos aliquando dictos fuisse *Alemanicos*. Id colligo ex *Speculo Morticino*, seu *Chorea mortis Macabri*, ex Bibliotheca Melchioris Goldasti Hanoviae edita an. 1613. sub hoc titulo: *Eximii Macabri Speculum Choreae Mortuorum versibus ALEMANICIS (id est, in morem, ac modos RHYTHMORUM GERMANICORUM compositis) ab eo editum: et a Petro Dersey Trecacio Oratore ante annos circiter sexquicentum emendatum*. In 4. Fabricius *in Bib. med., et inf. latinit.* asserit, (nec Mansius Fabricii Annotator dissentit,) *Speculum Choreae* a Macabro non latine compositum, sed Germanicis rhythmis, quos circa an. 1460. latinos reddidit Petrus Dersey. Sed cum nullum suae opinionis auctorem appellaverit, cum titulum descriptum non rejecerit, aequum est credere, eum ad titulum hujus editionis, quam citat, non diligenter attendisse, ex quo manifestum est, Petrum Desrey solum *emendasse Speculum Choreae mortuorum* quondam latine a Macabro editum versibus *Alemanicis, id est, in morem, ac modum rhythmorum Germanicorum* compositis. Hujus poematii versio hispanica libera versibus hispanis antiquis, sive potius poema aliud

Subinde tanto sub duce pristinum
Accrevit ingens robur, et improbas
Hispanus indignatus hostes
Transtulit in Lybicos catenas.
Hoc, hoc Patrono victa per aequora
Regnis avitis innumeras plagas
Adjecit, olim quae refuso
Oceani latuere tractu.

S s

ad illius similitudinem effictum hoc titulo: ***La danza de la muerte,*** extat in Bibliotheca Romana Sapientiae cum aliis Opusculis Hispanis in 4.; in quorum fine legitur: ***En la muy noble, y leal Ciudad de Sevilla por Juan de Varela a 20. dias del mes de Enero de 1520.*** Joseph Rodriguez de Castro in erudita ***Bibliotheca Hispano-Rabbinica*** Matriti 1781. pag. 198., et seq. auctorem hujus poematis adstruit esse Sanctum Carrion ex Hebraeo Christianum, qui aetate jam provectus circa annum 1360. scribebat, idque ex codice Ms. Scurialensi colligit. Sed virum doctum latuit, hujusmodi lusus poeticos ***de Chorea Mortis*** extare jam pridem typis commissos latine, et hispanice, ut de aliis linguis taceam. Quod autem ***Choreae*** hispanicae auctor sit Sanctus Carrion, difficultate non caret, nisi in exemplari edito aliquid sit adjectum, quod in Ms. desit: nam in edito haec occurrunt; ***la Muerte al Zurugiano: Guido ni Bernardo que vos estudiastes-Ganar no pudieron esto que queredes.*** Guido de Caulliac suum celebrem de re Chirurgica tractatum exaravit an. 1363., in cujus studium Chirurgus, quem Mors alloquitur, incubuerat. Quod difficiliter cohaerere potest cum aetate Carrionis. Sed nihil ausim definire contra Codicis Scurialensis testimonium: uberius olim ista cum Deo volente disputabo. Redeo ad S. Jacobum. Cum duo tantum Hymni in illius festo recitentur, tertium addo, quo praesensissimum ejus patrocinium, resque gestae Hispanorum sub ejus auspicio breviter perstringuntur.

Metri genus adhibui in breviario Romano, officiisque Hispanis hactenus inusitatum, sed quale argumento potissimum convenire existimavi. In breviariis Gallicis, aliisque passim occurunt hujusmodi hymni alcaici dactylici. Consule ***Dissertationem praeviam §. XXXI. num. 219.*** Nihil igitur esset mirum, si ad gloriosissimum Patronum Jacobum praedicandum musica ecclesiastica Hispanorum novos numeros inveniret, aut aliunde petitos in suum usum converteret. Porro auxilium, quod saepissime S. Jacobus Hispanis inter pugnandum praestitit, tot miracu-



Qui nos creavit, jugis honor Patri,
Qui nos redemit, laus quoque Filio,
Par Flamini virtus, beato
Lumine qui recreat fideles.

Die 9. Augusti. In festo SS. Justi, et Pastoris Martyrum.
Hymnus antiquus emendatus (*a*).

Ad vesperas. Ecce Justus, ecce Pastor
Ambo juncti sanguine,
Quos piae fraternitatis
Junxerat germanitas,
Junxit aequalis sacratae
Passionis unitas.
Hi tamen scholis retenti,
1. Dum vacarent litteris,
Audientes, quod Tyrannus
Intrat urbem persequens,
Illico scholam relinquunt,
Et tabellas abnuunt.
Appetunt cursu deinde
Praesidis praesentiam,
Et crucem Christi sequendo
Corpus armant debile,
Quo triumphos passionis
Expedirent fortiter.

lis est confirmatum, tam certis constat argumentis, ut illud in dubium vertere nemo nisi scepticus audeat. Historici Hispani, praecipue Ferreras, aliique exteri apparitiones S. Jacobi diversis temporibus peractas enumerant. Earum nullam vere contigisse siquis contendat, is de medio tollat omnia miracula, cum nullum sit in Ecclesia, si veteris novique Testamenti historiam excipias, quod gravioribus nitatur fundamentis.

(*a*) Auctorem hujus hymni fuisse S. Isidorum officia propria Hispaniensia passim proferunt. Tamajus de Salazar in *Martyrologio Hispano* eum Asturio Antistiti Toletano adscribit, qui nimirum Toletana sede relicta Com-

Hoc repente Daciano
Nunciantes inquiunt,
2. Advenire dogma Christi
3. Confitentes parvulos,
Mortis ultro passiones,
Atque caedes perpeti.
4. Aestuans adest Tyrannus
5. Turbidus ferocia,
Ad suos truces ministros,
6. Vinciantur, clamitat,
Fustibus jubens tenella
Dissecari corpora.
Tunc sacratas ambo voces
Alloquuntur invicem:
Tempus est jam temporales
Ferre poenas corporis,
Quo futuro perfruamur
7. Angelorum gaudio.
Audiens mox Dacianus
Martyrum constantiam,
Excitatus in furore
Dictat hanc sententiam:
8. Ambo fratres ut perempti
9. Morte dira concidant.

plutensem Episcopatum constituit, ut reliquum vitae tempus in honorandis SS. Martyribus, quorum corpora divinitus ei commonstrata fuerant, traduceret. Res in utramque partem ambigua est, nulloque idoneo fundamento stabilita: quamquam certum est, in breviario Mozarabum hunc hymnum reperiri. Propterea ut debitus honor sive Isidoro, sive Asturio, sive antiquitati habeatur, nullam aliam correctionem adhibui, nisi quae omnino necessaria visa fuit in his videlicet versibus.

1. *Dum instruuntur litteris*.
2. *Ecce advenire Christum*.
3. *Profitentes parvulos*.
4. *Concitans adest hic Praeses*.
5. *Turbidus saevitiam*.
6. *Teneantur clamitat*.
7. *Gaudio cum Angelis*.
8. *Ut perempti ambo fratres*.
9. *Morte dira intercidant*.

10. Ilicet ferox satelles
11. Ducit inde Martyres
Ad locum campi patentem,
Quem ferunt Laudabilem,
12. Ense verberantur illic
Laureantur sanguine.
Laus tibi per omne tempus
Trinitas indifferens,
Laus, honor, virtusque summa,
Singularis gloria,
Quae Deum te seculorum
Personet per secula.

Hymnus antiquus modulationi conformatus, et correctus (a).

Ad mat. 1. Agente sancto Spiritu,
2. Infirma qui corroborat,
3. Ad vincla, flagra, vulnera
Fratres tenelli convolant.

10. *Protinus eos furentes.*
11. *Pertrahunt satellites.*
12. *Ense illic verberantur.*
Prima syllaba in *profitentes*, *teneantur*, *eos*, et secunda in *saevitiam*, quae brevis est, male in hymno producitur: similiter ultima in *protinus* minus recte producitur, solumque propter caesuram id posset tolerari. In *illico* o reliqui longum ob caesuram, et duas consonantes dictionis sequentis. Versus 2., 7., 8., et 11. breviores sunt una syllaba, si fiat elisio, ut fieri debet. In 4. versu spondaeus tertio loco ponitur pro trochaeo.

(a) Quamquam hymnus non est inelegans, expellendos duxi hos versus,
1. *Divino agente Spiritu*,
2. *Qui infirma mundi roborat.*
3. *Ad vincla, flagra, et vulnera.*
4. *Et jam cruento in praelio.*
5. *Et colla uterque lactea.*
6. *Stricto mucroni subdidit.*
7. *Quam Christus armat, fovet*,
8. *Quamvis tenello in corpore.*
9. *Quae infirma secli deligit.*
10. *Sit laus, potestas, gloria.*
11. *Uni, trinoque Numini.*
12. *Quod caede, et ore infantium.*
Praeter elisiones peccant versus sextus, et undecimus, quod primam syllabam in *mucroni*, et *trino* corripiant. Decipiuntur aliqui, dum statim ac vident vocalem, quam consonans muta, ac deinde liquida sequuntur, communem in versu pro libitu faciunt: nam si ea vocalis natura longa est, nequaquam corripi potest. Muretus u

Vix Justus annum septimum ,
Nonumque Pastor egerat ,
4. Et jam cruento praelio
Uterque mundum vicerat .
Minas uterque Praesidis ,
Uterque sprevit verbera ,
5. Uterque colla lactea
6. Ferro minaci subdidit .
Incensa nempe charitas ,
7. Quam Christus auctor excitat ,
8. Vel in tenello corpore
Nescit malis succumbere .
In hoc triumpho nobili
Divina virtus emicat
9. Infirma secli deligens ,
Confundat ut fortissima .
10. Laudatus omni seculo
11. Sit unus , et trinus Deus ,
12. Qui caede nos infantium
Invitat ad caelestia .

in *mucro* corripuit in hymno SS. Innocentium , *Perfossa ut rutilis corda mucronibus* . Malim alias hymnorum ejus dotes imitari ; scribebat autem admodum senex , et ut in praefatione ait , *Nunc et corpus hebet senio , et mens aegra pigrescit* . Quod autem prima in *mucro* sit natura longa , notatur a multis prosodiae auctoribus . Nihilominus in quadam editione Prosodiae Bononiensis , et in Prosodia Villagarsiensi communis ea syllaba adscribitur ; errorene Typothetae , an Editoris sententia id acciderit , incertum mihi est . Itaque haereo ; neque enim certo scio , an *mucro* originem a *mucus* trahat , atque ita *u* habeat natura longum, an potius a *μακρὸς* , aut *μικρὸς* , quod nonnulli putant. Sed dicemusne casum fuisse , quod nemo ex antiquis poetis , qui saepissime eo verbo usi usunt , *u* in *mucro* , natura sua breve , corripuerit ? Virgilium quindecies id nomen usurpasse , *u* semper producto , comperio . Septimo versui deest una syllaba , nisi mendum aliquod in Antuerpiensibus, Venetis, ac Matritensibus editionibus irrepserit , legendumque sit , *Quam Christus armat , et fovet* ; quod probabilissimum judico .

Eodem die 9. Augusti. Hymnus antiquus emendatus (*a*).

Ad laudes. Sacra victorum monumenta fratrum
Supplici voto renovamus, et te,
1. Martyrum virtus, canimus, tuumque
2. Christe triumphum.
3. Cordis internas animante vires
4. Igne caelesti, temerata cultro
5. Impiae dextrae tibi consecratur
6. Hostia duplex.
7. Martyr ad caedem properans uterque,
8. Judicis spernens minitantis iram
9. Sponte ferali resecanda colla
10. Praebuit ensi.
Prodeunt una genitricis alvo,
11. Temporis puncto jugulantur uno.
Et duplex agnus laniatus unam
Imbuit aram.
12. Audias sanctis Deus alme templis
Vota solemni geminata ritu:
13. Eluat fusus cruor Innocentum
14. Crimina nostra.

(*a*) Accipe suo ordine versus omissos.
1. *Martyrum virtus canimus, qui in illis*
2. *Christe triumphas.*
3. *Hodie duplex tibi consecratur*
4. *Victima hostili temerata cultro,*
5. *Vtraque internas animante vires*
6. *Vritur igne.*
7. *Vltro ad immitem properat tyrannum,*
8. *Vtraque intentos cupit ire in enses*
9. *Nulla vis cogit jugulum minaci*
10. *Subdere ferro.*
11. *Tempore ad palmam rapiuntur uno.*
12. *Excipe ex nostris Deus alme templis.*
13. *Quique adhuc stillat veteri recentem*
14. *Morte cruorem.*
15. *Gloria aeterno Genitori, et ejus*
16. *Sit coaeternae Soboli, jugisque*
17. *Laus Paraclito, qui ab utroque manat*

Omnium linguis resonet per aevum
Carmen augustae Triadi sacratum,
Quae det ut certum precibus favorem,
Sancta precemur.

Die 10. *Augusti. In festo S. Laurentii Martyris. Hymnus Prudentii ad ecclesiasticam consuetudinem accommodatus* (*a*).

Ad vesperas. Antiqua fanorum parens
Jam Roma Christo dedita
Laurentio victrix duce
Ritum triumphas barbarum.
Extrema vox Episcopi
Praenunciatrix gloriae
Nihil fefellit, nam dies
Praedicta palmam praestitit.
Qua voce, quantis laudibus
1. Ornabo mortis ordinem,
Quo passionem carmine
Digne retexens concinam?
Versat famen pecuniae
Praefectus Urbis regiae,
Minister insani ducis,
2. Exactor, atque carnifex.

18. *Numine sacro*. Non solum frequentem vocalium concursum in hoc hymno castigando fugere oportuit, verum etiam corrigendus fuit, quod tertius versus primam vocalem in *hodie* producit, sextusdecimus contra primam in *jugis* corripit. Pro *hodie* auctor forte posuit *hoc die*; sed melius hoc verbum omittetur *ex Dissert. num.* 228.

(*a*) Adeo manifestae sunt rationes, quibus Hispania permoveri debet ad triumphum S. Laurentii hymnis propriis celebrandum, ut prorsus inutile sit eas indicare. In breviariis aliorum regnorum, et provinciarum hic honor S. Laurentio tribuitur; Clictoveus in ejus festo tres hymnos recenset, duos habet breviarium Nivernense, quos Guyetus correxit: plurimi hymno-

Laurentium sisti jubet ,
Exquirit arcam ditibus
3. Massis refertam , fulgidae
Montes monetae conditos .
4. Implete , dicebat , fidem ,
Quam vos per orbem venditis ,
Nummos libenter reddite ,
Estote verbis divites .
Triplex canatur unitas ,
Laudetur et simplex Trias ,
Summissa quam per secula
Adoret orbis machina .

Ad matut. = Nil asperum Laurentius
5. Contra refert , nil turbidum ,
Sed ut paratus obsequi ,
Obtemperanter annuit .
6. Non , inquit , arcam prodere
7. Recuso ditis Numinis ,
8. Vulgabo cuncta , proferam
9. Christi reconditas opes .
Votum sed oro flagitans
Induciarum paululum ,
Quo fungar efficacius
Promissionis munere .

Lae-

graphi inter praecipuos caelites invictum Martyrem cecinerunt. Zacharias Ferrerius ita orditur hymnum S. Laurentii , *Da triumphalem celebrare palmam - Dive Laurenti tibi purpurate - Cardo Romani laris , et propago - Gentis Iberae.* Mallem , ut quoniam Ferrerius Hispanum indicat Laurentium, non eodem tempore purpura Cardinalitia eum ornaret. Meliori sane judicio S. Laurentium Hispaniae vindicavit alias laudatus sapientissimus Bayerius . Ego vero periclitari volui , an ex longiori hymno Prudentii quam minima mutatione ecclesiastico more tres hymnos exprimere possem; ac propterea versus sequentes immutavi.

1. *Celebrabo mortis ordinem* .
2. *Exactor auri* , *et sanguinis* .
3. *Massis refertam* , *et fulgidae* .

Laetus tumescit gaudio
Praefectus, ac spem devorat,
Aurum velut jam conditum
Domi maneret, gestiens.
Praescriptus en jam fluxerat
Dies, furebat fervido
Judex avarus spiritu
10. Promissa solvi flagitans.
Aegros, egenos, pauperes,
Quos Christiani nutriunt,
Recolligens Laurentius
Adit tribunal Judicis.
Tum Martyr: assistas velim,
11. Coramque congestas opes
Mirere, quas noster Deus
Praedives in Sanctis habet.
En ergo nummos aureos,
Quos proxime spoponderam,
Quos nec favillis obruat
Ruina, nec fur subtrahat

4. *Implete dictorum fidem.*
5 *Refert ad ista, aut turbidum.*
6. *Sed nec recuso prodere.*
7. *Locupletis arcam Numinis.*
8. *Vulgabo cuncta, et proferam.*
9. *Pretiosa quae Christus gerit.*
10. *Promissa solvi efflagitans.*
11. *Coramque dispositas opes.*
12. *Hinc inde tortores parant.*
13. *Nudare amictu Martyrem.*
14. *Vincire membra, et tendere.*

Hi nimirum sunt versus Prudentii, pro quibus alios substitui; versus 15., 16., et 17., et stropham 6. ad Matutinum denuo condidi, ut narrationem contraherem, quae in hymno Prudentii 147. strophas continet. Addidi etiam doxologiam, sive clausulam hymnorum, quae in Prudentio deest. Ex versibus omissis 1., 7., 9., 11. sunt novem syllabarum, ac proinde usitatae modulationi inepti, ut liquet ex Dissertatione praevia §. *XXXI. num.* 209.. In reliquis synaloephas effugi, aut sensui consultum volens propter omissas aliquas strophas nonnulla verba inserui. In secunda stropha intactum reliqui secundum versum: *Praenunciatrix gloriae*, licet, verbo *Praenunciatrix* neminem Prudentio antiquiorem usum fuisse noverim. Latinius diceretur: *Victoriae praenuntia*.

Ad laudes . Ridemur, exclamat furens
Praefectus , ac miris modis
Pet tot figuras ludimur ,
Et vivit insanum caput ?
Prunas repente sternite ,
Ne fervor ignitus nimis
Os contumacis occupet ,
Et cordis intret abdita .
Haec fante Praefecto, truces
12. Hinc inde tortores sacrum
13. Nudant amictu Martyrem,
14. Et crate ferrea locant.

Mihi quidem satis latinae saltem pro hymnis ecclesiasticis videntur voces illae, quas Prudentius usurpaverit. Sed ut delicatiorum fastidio occurrerem, id notare non piguit. Nec tacenda est pietas Prudentii, qui hymnos suos summissa deprecatione concludere solebat, uti hunc S. Laurentii,

Hos inter, o Christi decus,
Audi et poetam rusticum,
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.
Indignus agnosco, et scio,
Quem Christus ipse exaudiat,
Sed per Patronos Martyres
Potest medelam consequi.
Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium,
Et servientem corpori
Absolve vinclis seculi.

Eminet etiam in fere omnibus Prudentii hymnis invocatio, veneratio, et cultus, quo Ecclesia Sanctos Martyres, eorumque Reliquias prosequebatur. In hoc eodem hymno ita canit.

Ipsa et Senatus lumina,
Quondam Luperci, aut Flamines,
Apostolorum, et Martyrum
Exosculantur limina.
O ter, quaterque, et septies
Beatus Vrbis incola,
Qui te, ac tuorum cominus
Sedem celebrat ossium.
Cui propter advolvi licet,
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit.
Qui vota fundit murmure.

Loquitur autem de Apostolis, et Martyribus, quia nondum in morem inductum fuerat, ut Confessoribus honor altarium concederetur. Quocirca toto isthoc tempore, et multo etiam post Apostoli, et Martyres solum hymnis celebrabantur; neque Prudentius praeter hymnos Martyrum, sive *Peri Stephanon* alios condidit in laudem San-

Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Hoc e catasta Judicem
Compellat affatu brevi.
Converte partem corporis
Satis crematam jugiter,
Et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.

Tt 2

ctorum. In libro ejusdem *Cathemerinon* comprehenduntur hymni ad diversos anni dies, et ad diversas diei horas. Hi sunt hymni ad *galli cantum*, *ad Matutinum*, *ante cibum*, *post cibum*, *ad incensum Cerei*, *ante somnum*, *jejunantium*, *post jejunium*, *omni hora*, *in exequiis defunctorum*, *ad diem VIII. Kalend. Januarias*, *ad diem Epiphaniae*. Hymnum ad incensum Cerei male quidam inscribunt, *Ad incensum Cerei paschalis*; cum non sit ibi sermo de Cereo paschali, sed de cereo, qui quotidie accendebatur, quemadmodum Graeci antiqui habebant etiam suum hymnum vespertinum, et hymnum, qui dicebatur, cum primum singulis noctibus lumen inferebatur, de quo agit S. Basilius in Libro *de Spiritu Sancto*. De Hymnis in *Exequiis defunctorum* extat canon Concilii tertii Toletani, quod Religiosorum Corpora cum psalmis, et hymnis tantum deferenda sint ad sepulchrum. Argumentum Hymnorum, qui sua aetate confici solebant, explicat idem Prudentius in praefatione ad Librum *Cathemerinon*. *Peccatrix anima stultitiam exuat*, - *Saltem voce Deum concelebret*, *si meritis nequit*, - *Hymnis continuet dies*, - *Nec nox ulla vacet*, *quin Dominum canat*, - *Pugnet contra hereses*, *Catholicam discutiat fidem*, - *Conculcet sacra gentium*, - *Labem Roma tuis inferat idolis*, - *Carmen Martyribus devoveat*, *laudet Apostolos*. Cl. Petrus Garzia de la Huerta Prudentium hispano carmine reddere in animo habet, cujus versionis egregium specimen vidi. Praeivit Ludovicus Diez de Aux, nobilis Caesaraugustanus poeta seculi superioris. Optarem, ut aliquis ex eruditis Hispanis, quibus ea sit facultas, sacri poetae Prudentii opera notis illustrata denuo ederet. Quin omnium Hispanorum antiquae latinitatis auctorum collectio e nitidissimis Matritensibus typis prodire conspicitur? Exterae nationes, quibus cordi est Hispanorum ingeniis obloqui, provocandae tunc essent, ut aequalem ipsae divulgarent collectionem veterum scriptorum, qui non solum litteras Romanas olim illustraverint, sed simul cum Latinis indigenis magno semper

15. Tum voce supplex postulat
16. Conversionem gentium,
Vocem sequutus spiritus
17. Conscendit alta sidera.
Sic dimicans Laurentius
Non ense praecinxit latus,
Hostile sed ferrum retro
Torquens in auctorem tulit.

Die 27. Augusti. In officio proprio Toletano festum S. Agapiti. Hymnus ejus officii recognitus, et castigatus (a).

Ad vesperas. Miles superni Numinis
1. Praeit docens Agapitus
Salutis hostem vincere,
Patri salutis plaudere.
Semel recepta desuper
Profusione spiritus,
Servare necdum credita,
Augere discit munera.

in honore sint habiti. In Prudentii operibus edendis laude dignum est consilium Victoris Giselini, qui in fine sui commentarii in medium contulit omnia Prudentii vocabula, quae quam longissime a latinae linguae puritate abesse judicabat, *ne*, inquit, *juniores in imitando fallantur*. In hunc indicem conjecit *Defuga* pro *transfuga*, *hymnire* pro *hymnis canere*, *Mundialis* pro *Mundanus*, quae in hymno SS. Hemeterii, et Celedonii supra recensito occurrunt. Notat etiam *orarium* pro *sudarium*, et *Fidelis* pro *Christiana Religione praeditus*. Verum haec duo, praesertim postremum, verba sunt ecclesiastica, et hymnis aptissima.

(a) Crediderim parum correctam esse editionem hujus hymni in officio proprio Toletano *anni* 1720., quod ad manus habui. Etenim in 4. stropha ad vesperas tertius versus mendose scriptus erat in hunc modum, *Qui te celebrat, robora*. Igitur fortasse hoc ipsum acciderit in aliquibus ex his versibus, quos amandavi.

1. *Praeit, docetque Agapitus*.
2. *Nos omni purget crimine*.
3. *Nihil Principi dementius*
4. *Tibi tyranne irasceris*.

Opes avitas, semitas
Labis, juventam floridam,
Et omne novit lubricum,
Quae perdidit, ne perderent.
Puer beate secula
Laudande cuncta, servulos,
Qui te celebrant, robora,
Et corda sursum subleva.
Patri decus sit inclytum,
Nato, simulque Flamini,
Qui per preces Agapiti
2. Nos purget omni crimine.

Ad matut. = Quindennis audacter trucem
Urget tyrannum comprobans,
3. Nil Principi dementius,
Quam se Deo subducere.
Vultum nec horret impium,
Pavet minas nec horridas,
Zelus fugat formidinem,
Aetate major charitas.
Ignis, flagella, carceres,
Fumus, fames, opprobrium
Jucunda sunt Agapito,
Aurelianum lancinant.
Saevis tibi, miserrime,
4. Tibi furens irasceris,
Unum studes dum tollere,
Trophaea ponis plurimis.

5. *Saevisse frustra cognita*
6. *Tortoris impia manu.*
7. *O stulta vere immanitas.*
8. *Crudelitas quam desipis.*
9. *Summissum collum Agapito*
10. *En is coronat nobilem*
11. *Cruore munda; innoxios*
12. *Nos redde sponso sanguinum.*
In secundo versu fit brevis ultima syllaba in *omni*: in tertio licet possit esse monosyllabum *Nihil*, rectius tamen ad rationem

Ad laud. 5. Tyrannus ut satellitem
6. Saevire frustra conspicit,
Constantiam deflectere
Molitur arte subdola.
7. O pertinax immanitas,
8. Crudelitas stultissima,
Captare quaeris fraudibus,
Tormenta quem non fregerant.
Emissus antro concitus
Mitis Leo provolvitur,
Lictor refutat, induit
Humanitatem bellua.
9. Vitam decet nos integram,
10. Labisque puram degere,
11. Et innocenti Martyri
12. Offerre cultum supplicem.

Dominica 3. *Septembris. In festo septem dolorum B. Virginis Mariae. Hymnus antiquus correctus* (*a*).

Ad vesp. = O quot undis lacrymarum,
Quo dolore volvitur,
Luctuosa de cruento
Dum revulsum stipite
Cernit ulnis incubantem
Virgo Mater Filium!

cantus pronunciabitur *Nil*. In ultima stropha, sive in quatuor ultimis versibus, praeterquamquod versus nonus non constat, cum secundus pes sit spondaeus, sensum non satis intelligo; proindeque novam condidi, neque tamen a sensu, quem subesse suspicor, longe recessi.

(*a*) Officium septem Dolorum B. Virginis Mariae commune est Hispanis cum Germania, aliisque locis, celebrandum *Domin.* 3. *Septembris.* Hymni deprompti sunt ex officiis propriis Ordinis Servorum Mariae, quibus haec festivitas originem debet. In primo hymno omnia bellissime decurrunt. Quod enim

Os suave, mite pectus,
Et latus dulcissimum,
Dexteramque vulneratam,
Et sinistram sauciam,
Et rubras cruore plantas
Aegra tingit lacrymis.
Centiesque, milliesque
Stringit arctis nexibus
Pectus illud, et lacertos
Illa figit vulnera,
Sicque tota colliquescit
In doloris osculis.
Eja Mater obsecramus
Per tuas has lacrymas,
Filiique triste vulnus,
Vulnerumque purpuram,
Hunc tui cordis dolorem
Conde nostris cordibus.
Esto Patri, Filioque,
Et coaevo Flamini,
Esto summae Trinitati
Sempiterna gloria,
Et perennis laus, honorque
Hoc et omni seculo.

elisio non fit vocalis unius versus cum vocali sequentis euripidii, de quo actum est in *Dissertatione* §. *XXXI. num.* 222., malo ceteris hanc veniam dare, quam ab aliis mihi promittere. In hymno ad matutinum nonnulla animadvertenda reperi praeter elisiones. Versus postremus *strophae* 3. quibusdam in editionibus, quas vidi, scriptus est hoc pacto, *Te conficit aculeis*, et cum secundus pes debeat esse dactylus, non constat versus, pro quo subrogavi: *Te confixit aculeis*, quemadmodum auctorem scripsisse credo; nam ita legitur in officiis Servorum Mariae Romae 1729.. Tres primi versus *Strophae* 4. claudicant, primus, quia ultima syllaba in *sputa* fit longa, neque eliditur, sequente altera vocali, nisi auctor scripserit: *Eheu! sputa, alapae*; secundus quia in *fel e*

Ad matut. Jam toto subitus vesper eat polo ,
Et sol attonitum praecipitet diem ,
Dum saevae recolo ludibrium necis ,
Divinamque catastrophen .
Spectatrix aderas supplicio Parens ,
Malis uda , gerens cor adamantinum ,
Natus funerea pendulus in cruce
Altos cum gemitus dabat .
1. Obversans oculis Natus , atrocibus
Sectus verberibus , Natus hiantibus
Fossus vulneribus quot penetrantibus
2. Te confixit aculeis .
3. Heu ! vepres , alapae , verbera , vulnera ,
4. Clavi , sputa , sitis , spongia , lancea ,
5. Latro , probra , cruor , quam varia pium
Cor pressere tyrannide !
Cunctis interea stat generosior
Virgo Martyribus : prodigio novo
In tantis moriens non moreris Parens
Diris fixa doloribus .
Sit summae Triadi gloria , laus , honor ,
A qua suppliciter solicita prece
Posco Virginei roboris aemulas
Vires rebus in asperis .

producitur ; tertius , quia in *sitis* primum *i* pariter producitur . In secundo versu *strophae* 2. ad laudes *i* in *Deiparae* , quod est breve, fit longum ; id permitti potest ob concursum trium syllabarum brevium , et necessitatem metricam . Sicui hoc displiceat , ita corrigat , *Dulces Mariae lacrymae* . Nonnulli improbant, quod in his hymnis , et in prosa, *Stabat Mater dolorosa*, inducatur Deipara illacrymans,quam stantem legimus , flentem non legimus . Sed lacrymae recte cohaerent cum fortitudine . Cavendum est autem , ne lacrymae Deiparae nimium exaggerentur , quasi indecore , effeminateque ploratum ediderit ; quod factum animadverto in officio diurno antiquissimo in membrana impresso , ubi in horis *Compassionis B. Mariae* legitur : *Heu*

Ad laud. Summae Deus clementiae,
Septem dolores Virginis,
Plagasque Jesu Filii
Fac rite nos revolvere.
Nobis salutem conferant
Deiparae tot lacrymae,
Quibus lavare sufficis
Totius orbis crimina.
Sit quinque Jesu vulnerum
Amara contemplatio,
Sint et dolores Virginis
Aeterna cunctis gaudia.
Jesu tibi sit gloria,
Qui passus es pro servulis
Cum Patre, cum Paraclito
In sempiterna secula.

Die 28. Septembris. In festo B. Simonis de Roxas Ordinis SS. Trinitatis, et Redemptionis Captivorum (*a*).

Ad vesperas. Lumen immittat Deus, ut Simonem,
Cui caput serto radiante fulget,
Cantico laudis celebremus inter
Publica vota.

V v

dolore sternitur - Luto platearum ... Illa secum centies - reddit ejulatum ... Cadit tunc in extasim. Dolor sternit stantem; et alia hujusmodi. Extat hoc Officium in Bibliotheca Excmae Domus Altieri: fuit ad usum Thomae Poyntr (Armigeri pro corpore Regis Angliae Henrici VII.) qui obiit an. 1530., et illud habuit ex dono Arthuri Principis Valliae. Deest locus, et annus editionis. Demum versus praetermissos suo ordine exhibeo;

1. *Pendens ante oculos Natus, atrocibus.*
2. *Te conficit aculeis.*
3. *Heu! sputa, alapae, verbera, vulnera,*
4. *Clavi, fel, aloae, spongia, lancea,*
5. *Sitis, spina, cruor quam varia pium.*
6. *Cum Patre, et almo Spiritu.*

(*a*) Tres hos hymnos, duos sapphicos, et tertium iambicum dimetrum in honorem B. Simonis

Uberes fructus venientis aevi
Nunciat primum puerile tempus,
Dum vocat clare pia vagientis
Lingua Mariam.
Tum crucis signo bicolore gaudens
Deligit coetum Triadis supernae,
Laeta cui plaudit rigidis catenis
Libera turba.
Vita par tanto micat instituto,
Sive captivos properat juvare,
Seu viam monstrans animas redemptas
Ducit ad astra.
Trinitas cantu resonet perenni,
Summa sit Patri, parilisque sancto
Flamini virtus, tibi laus sit aequa,
Christe Redemptor.

Ad mat. = Dum Simon cura vigilante pectus
Format aeternae studiis salutis,
Omnium votis trahitur reluctans
Munus ad amplum.
Evehit servum Deus, ut probati
Emicent mores, quibus ille vanum
Despicit mundum pius, et potenti
Pauper in aula.
Arduum tendens per iter nitescit
Purior virtus removentis instar
Humidas nubes, et euntis alto
Solis olympo.

de Roxas confeceram. Sed cum a S. Rit. Cougregatione unius tantum hymni approbatio fuisset expetita, propositus est hymnus a Causae Patrono Josepho Placidi compositus; in quo erat quidem, quod tollere posses, sed plura reperiebantur digna castigatione. Pro ejusdem B. Simonis hymno concinnando elaboravit cl. Lucianus Gallisa, Bibliothecae Ferrariensis Praefectus, quem multa

Jure nunc caeli placidis fruentem
Gaudiis multa prece, thure multo
Ambiunt urbes, decorantque festis
Ignibus aras.

Ad laudes. Caeli recepto sedibus
Melos Simoni concinant,
Qui cordis affectu pio
Cultum Mariae diligunt.
Ardebat ille maximo
Amore Matris Virginis,
Quem fructuosis artibus
Augebat inter proximos.
Hinc sub Mariae nomine
Sodalitatem condidit,
Quae sparsa per provincias
Per regna floret plurima.
Non ergo mirum, fasciam
Si puritatis indicem
Dignatur ipsa virginum
Regina servo tradere.
Defensus hoc munimine
Astum retundit Daemonis,
Nec experitur noxiam
Rebellionem corporis.
Exinde raptus sensibus
Versatur inter caelites,
Divina dum mysteria
Supplex ad aram perficit.

premere audio aliquando edenda, ingenti eruditionis famae, qua gaudet, responsura. Hujus oda bene latina, elegansque est, sed regulis hymnorum parum conformis. Itaque cum hymnus ecclesiasticus B. Simonis esset penitus reformandus, nonnullae meae fuerunt in hoc labore partes: et ex hymnis Placidi, et Gallisà, quantum per regulas, et per alios licuit, retinens, cetera de meo penu adjunxi,

Tibi, Redemptor omnium,
Aeterna plaudant saecula
Cum Patre, cum Paraclito
In Trinitatis foedere.

In eodem festo B. Simonis de Roxas Hymnus ad vesperas; et ad matutinum a S. Rit. Congregatione approbatus.

Nomen, et laudes canimus Simonis,
Sede qui caeli nitida receptus
Supplicum justis precibus benignam
Admovet aurem.
Os puer primo tenerum resolvens
Exhibet cultus specimen futuri,
Et Dei Matrem Gabrielis alma
Voce salutat.
Voce caelesti monitus supernae
Deligit coetum Triadi sacratum,
Laeta cui plaudit rigidis soluta
Turba catenis.
Vita par tanto micat instituto;
Sive captivos properat juvare,
Seu piis instans monitis frequentes
Instruit urbes.
Huic fames fractum violenta corpus
Saepe lassavit, lacerata saepe
Ictibus flagri maduere multo
Membra cruore.

nisi quod ex alio, qui suas merces postea voluit obtrudere, florem aliquem decerpsi, ut omnibus, quoad fieri posset, facerem satis. Versus 1., et 2. strophae 3. ita erant concepti, *Caelitum sacrae cupidus coronae. Deligit coetum Triadis supernae.* Sed cum visum fuisset, ut alio modo redderentur, scriptum illico fuit, *Voce caelesti* etc., ex quo accidit, ut idem nomen *voce* in hoc versu, et in proximo superiori resonet, *Voce salutat.* Denique hymnum, *Nomen*,

Respuens annos nimium fugaces
Aestuat puro pietatis igne,
Sedulus longa prece, lacrymisque
Numen adorat.
Ut sit exemplum nivei pudoris,
Cinguli donum recipit beatum;
Carnis hinc nunquam stimulos, facemque
Sensit iniquam.
Regiae proli datus est magister,
Norma virtutis, speculum, decusque,
Nobiles factis animos, simulque
Voce refingens.
Sint tibi laudes, honor, atque grates
Trinitas caeli super astra regnans,
Unde virtutum fluit, et bonorum
Copia dives.

Die 12. Octobris. In festo Commemorationis B. Mariae de Columna (a).

Ad vesp. = Jubilo dulci canimus Mariam,
Flumen aeternae pietatis unde
Hauriunt omnes, quibus ardet alto
Pectore virtus.

et laudes canimus Simonis approbatum esse certo scio, sed cum haec eduntur, nondum legitime promulgatus est.

(a) Libens praetereo hymnos, et carmina, quae ex faece seculo superiori in Hispania diffusa collegit Salazarius *ad hanc diem in Martyrologio Hispano*, quaeque S. Marco Maximo, et commentitio poetae Burdigalensi Aulo Halo adscripsit. Horum loco in honorem B. Mariae Virginis de Columna novos hymnos condere opportunum visum fuit. Quid vero actum fuerit in Sac. rituum Congregatione super concessione officii, et missae B. Virginis *del Pilar* nuncupatae, copiose narrat Benedictus XIV. *de beatificat. lib. 4. part. 2. cap. X. num. 17. et seqq.* Accurate exponit difficultates, quas ipse, qui eo tempore magna cum laude Promotoris fidei munere fungeba-

Cujus est primo fidei sub ortu
Noster expertus populus favorem,
Cum per Hispanas micuisset oras
Stemma salutis.
Longa quod plausu cecinit vetustas,
Quod patres olim coluere festum,
Praedicent sancte, celebrentque grata
Mente nepotes.

tur, contra concessionem expetitam promovit, concluditque n. 20., *In officii hujus concessione elucent pietas, et prudentia Congregationis sacrorum rituum: pietas quidem, cum non improbaverit traditionem in Hispaniis receptam; prudentia vero, cum narrationem sic temperaverit, ut ecclesiae aedificationem beatissimae Virgini, ecclesiae autem dedicationem in ejus honorem non ipsi beatissimae Virgini, sed potius S. Jacobo adscripserit.* Propterea historiam sacelli in honorem sanctissimae Virginis *de Columna* constructi ita in hymnis attigi, ut a mente Sac. Congregationis, et a narratione approbata *lectionis sextae* nelatum quidem unguem discesserim. Hispanorum pietas erga Virginem Mariam ex hac Imagine *de Columna*, aliisque magni nominis pervulgata est apud Exteros. Non aeque nota est ipsis Hispanis Imago Deiparae, quae sub titulo *Indigentium* Carseolis colitur, et ex Hispali in Italiam translata asseritur ex traditione magis pia, quam probabili, si adjuncta omnia expendas. Sed potest res ipsa vera esse, quamvis nonnihil falsi admixtum fuerit, uti solet accidere in antiquis historiis, et traditionibus. Librum legi a Canonico Philippo Giuliani compositum, quo haec historia continetur. *Istoria della miracolosa Imagine di S. Maria de' Bisognosi portata dalla Spagna in Italia, detta poi la Madonna di Monte Carsoli. Nella quale si descrive la di lei traslazione seguita nell' anno 610.. In Ronciglione 1763.* in 8. pp. 36.. Cl. Mazzolarius scriptis suis antea editis satis jam cognitus, et laudatus idem argumentum nuperrime pertractavit, et hymnum a me elaboratum in laudem ejus Imaginis inseruit, quem hoc loco describam. Video enim in Hispania plures esse Deiparae imagines tituli non dissimilis; quo magis pia traditio Carseolis vigens de translatione illius Imaginis corroboratur. Alfonsus Ramon scripsit: *Historia, y milagros de la Imagen de nuestra Señora de los Remedios de Madrid.* 1617. *in* 8.. Antonius Navarro: *Historia, y milagros de nuestra Señora de la Caridad de Illescas.* Christophorus Granados de los Rios: *Historia de nuestra Señora de los Remedios de*

Fertur ut quondam monitus Jacobus
Caesaraugustae posuisse templum,
Nostra sic aedes nitidas Mariae
Corda dicemus.
Sit decus summum tibi Christe, Mater
Pura quem Virgo generavit, aequa
Laude dicatur Pater, et perennni
Spiritus aevo.

la Fuensanta 1636. *in* 8. Ferdinandus de Torquemada: *Aparicion de nuestra Señora de los Remedios*. *Granatae* 1654. *in* 4. Vincentius Aznar: *De los milagros de nuestra Señora del Remedio*. *Barcinone* 1626. His igitur Imaginibus Hispanis applicari potest hymnus, quem dicebam.

Ad B. Virginem INDIGENTIUM *nuncupatam hymnus*.

Quicumque fessi mobilis
Sulcatis undas seculi,
Clamore cordis intimo
Opem Mariae poscite.
Haec supplicantes respicit,
Et singulari nomine
Vocatur indigentium
Spes, et patrona maxima.
Nec vana nuncupatio
Tanti refertur nominis,
Testantur hoc miracula,
Quibus fideles adjuvat.
Siquos egestas improba
Vexat, rogantes fervide
Praesto Mariae sentiunt
Adesse providentiam.
Exculta si novalia
Fructus colonis denegant,
Exorat illa, frugibus
Ut expleantur horrea.
Nubes resolvit imbribus,
Cum sicca tellus aruit,
Serenitatem nunciat,
Cum largus imber obfuit.
Si terra crebris motibus
Mentes pavore concutit,
Succurrit ipsa protinus,
Et tuta reddit pectora.
Haec praestat, ut belli furor
E Christianis sedibus
Longe recedens irruat
In Thracis oram perfidam.
Haec sanitatem gentibus
Impertit, afflans aethere
Auras salubres, oppida
Contagione liberans.
Non morbus ullus lethifer
Affligit humanum genus,
Quem non fugatum saepius
Pendens tabella denotet.
Magis timenda crimina
Si pectus urgent conscium,
Regina caeli gratiam
Remissionis impetrat.
Jesu, Parentis Virginis
Dulces precatus audiens,
Nostram rogamus, subleves,
Benignus indigentiam.

Similis huic est alter hymnus, quem in honorem Virginis Deiparae sub titulo *Maris*, eodem Maz-

Ad matut. = Grata Virgini Mariae,
Praesidi dulcissimae,
Gaudeat sublime donum
Concinens Hispania,
Occupet nec ulla mentes
Impudens oblivio.
Virgo stans super columnam
Fulget aede maxima,
Excubantes hinc et inde
Lampades pulcherrimae,
Nocte certatim dieque
Dulce lumen offerunt.

Quae

solario rogante, confeci, qui idoneus est Hispanis oppidis, unde nautae solvunt, et ubi Dei Genitrix ad propulsanda maris pericula solet invocari.

Hymnus ad Beatam Virginem MARIS *nuncupatam.*

Inter maris pericula,
Et inter undas seculi
Sidus Maria fulgidum
Splendet benigno lumine.
Te, Virgo, stellam turbidi
Maris potentem dicimus,
Et clade prima naufragi
Opem supernam poscimus.
Errantium tu navium
Cursus favore dirigis,
Caelique tutum servulos
Portum tenere commones.
Ne fracta navis cautibus
Absorbeatur, provides,
Avertis ipsa scandali
Offensionem lubricam.
Pirata nullus offult,
Cum navigantes adjuvas,
Pugnare sic, et vincere
Astum doces nos Daemonis.
Cessare ventorum minas
Nautae precantes sentiunt,
Mentes represso protegis
Tentationis impetu.
Obscura si nox ingruit,
Aut saeva tempestas furit,
Navem gubernas lucidi
Vultum serenans aetheris.
Nec supplicantum pectora
Replere cessas gaudio,
Procul repellens turbidae
Obscuritatis nubila.
Te, Virgo, nautae liberi
Emensa post pericula
Grato salutant cantico
Templo ferentes munera.
Fac, ut clientes fervidis
Qui te precantur vocibus,
In mortis hora noxios
Vincant furores hostium.
Ut cum beatis Angelis
Portu potiti gloriae
Laudis rependant canticum

Quae patres coepere primi
Tecta cultu simplici,
Posteri majore sumptu
Promoventes extruunt,
Prisca paupertas placebat,
Nec novus mos displicet.
Nempe devotas ad aras
Supplices se conferunt,
E remotis dona terris
Consecrantur aedibus,
Spargit unde Virgo clemens
Gratias uberrimas.
Sit tibi virtus, decusque,
Christe nate Virgine,
Sit Patri laus, et datori
Gratiarum Flamini,
Una jugiter canatur
In tribus divinitas.

Agantque grates debitas.
His Matre natus Virgine
Votis Redemptor annuat,
A quo reguntur aetheris,
Terrae, marisque termini.

Hi duo hymni conditi sunt non ut intra officium ecclesiasticum recinantur, sed ut ab universo populo vel decantentur, vel recitentur. Viget enim hic mos in Italia, ut in ecclesiis aliqui sint hymni appensi, et expositi ad fidelium pietatem excitandam, qui etiam inter preces alias publicas canuntur. Exemplum afferam in hymno in honorem S. Bonaventurae, qui, dum haec nostra excuduntur, ab Episcopo Balneoregiensi approbatus est. Recitabatur antea hymnus sapphicus rudis, et inficetus: qui mihi a cl. Francisco Xijon Canonico, et Archipresbytero Balneoregiensi communicatus est, ut vel antiquum hymnum reformarem, vel novum potius cuderem. Ei morem gerere cupiens novum hymnum effeci in haec verba:

Civitas grates meritas supremo
Numini solvat, resonetque plausu,
Dum pio cantu celebrare gaudet
Gesta Patroni.
Qui memor charae patriae beatis
Caelitum pridem domibus receptus,
Civium lenis precibus benignas
Admovet aures.
Dum gravi morbo premeretur infans,
Matre dilectam sobolem vovente,

Ad laudes. Te musicis concentibus,
Te congruente carmine,
Te centies, te millies
Jessaea Virgo dicimus.
Nitor recedat siderum,
Florum procul sit gratia,
Tu vincis una maximas
Decore pulchritudines.
Quos urget incumbentium,
Premitque moles criminum,
His dexteram tu porrigis,
Et, ut resurgant, adjuvas.

Redditur constans, meliorque caelo
Auspice, vita.
Matris ut votum subeat fidelis,
Signa Francisci sequitur libenter,
Unde doctrinae radios ubique
Spargere coepit.
Seu viam certa ratione tradens,
Qua coli possit generosa virtus,
Explicat libris pia christianae
Dogmata vitae.
Seu manu stringens calamum potentem
Haeresum contra furiosa tela,
Sancta divinae fidei tuetur
Jura, decusque.
Nec minus morum probitate pollens
Ardet accensae face charitatis,
Inclytus Praesul, Seraphimque Doctor
Rite vocatus.
Auctus hinc magnis meritis laborum
Praemio gaudet, fruiturque caelo:
Inde constanti populos favore
Protegit aequus.
Ejus exultans ope nostra vultus
Sumit urbs laetos, penitus repulsa
Peste letbali, gravibusque morbis
Saepe fugatis.
Trinitas omni celebretur aevo
In tribus simplex Deus, una virtus,
Cujus aeternis regitur subactus
Legibus orbis.

Hic hymnus cum typis Seminarii Montis Falisci esset imprimendus, qui ejus Seminarii scholas regunt, eum corrigere conati sunt, mutata ultima stropha, et primo quoque versu strophae 3., 4., et 5., pro quibus excudi fecerunt.

Dum puer morbo premeretur, illi,
Matris ut votum peragat fidelis,
Seu viam certa ratione pandens
Sit Patri, et Nato, Patre non minori,
Et simul, sancte o tibi, par utrique,
Spiritus, nulli reticenda in omni
Gloria seclo.

Tu, quos vides virtutibus,
Et sanctitate floridos,
Tuis sub alis protegis,
Et promoves ad ardua.
Ibera gens, antiquitus
Dignata quae presentia
Almae Patronae claruit,
Amore certet mutuo.
Huic templa ponat aurea,
Et corde puro serviat
Contentione maxima,
Devotione fervida.

Ex his solum eam correctionem *pandens viam* pro *tradens viam*, inventus est aliquis, qui tolerabilem esse arbitraretur. Certe nequaquam ego eum notarem, qui *pandere viam* dixisset, sed meliora exempla sequens semper praeferam *tradere viam* cum Cicerone de Divinat. pag. 108. edit. Aldi. *Optimarum artium vias tradere*; De leg. pag. 159. *Litigandi tradere vias*. Omitto alia ejusdem Ciceronis *artificio, et via tradere, ratione tradere*. Xijonius, qui hujusmodi Aristarchorum Magister facile esse posset, non tulit, in hymno, quem calculo suo ipse approbaverat, a Grammaticis Montis Falisci vel unum verbum mutari. Itaque hymnum, qualem supra dedi, typis Viterbiensibus excusum simul cum oda anacreontica italica, qua idem hymnum nitide exposuit, Episcopo Balneoregiensi obtulit, qui die 5. Julii 1786. decretum hoc edidit: *Publicentur superiores Hymnus, Oratio, et Paraphrasis, necnon Hymnus cum Oratione recitetur tam in septenario, quam in laudibus, quae recitari solent, quibuscumque, aliis omissis*. In hymno etiam, quem in honorem *Deiparae Indigentium* concinnavi, aliqua mutatio, levior tamen, inducta est. Libellus Mazzolarii hunc titulum praefert: *il Santuario di Maria Santissima detta de' bisognosi ne' Marsi. In Roma* 1785. Opus, ac se Deiparae consecrat *Josephus Mazzolarius Parthenius*, quod nomen in aliis quoque operibus sibi Mazzolarius imposuit. In hac historia enarranda a Canonico Giuliani aliquantulum dissentit; quem nescio an viderit; neque ex Hispali, sed ex oppido prope Hispalim imaginem transvectam affirmat. In hymno vero meo duo primi versus in hos conversi sunt: *Quicumque fessi quaeritis - Rebus levamen asperis*. Libellus alter Mazzolarii de *Virgine Maris* nuncupata nondum pro-

Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, cum Paraclito
In sempiterna secula.

Die 22. Octobris. In festo S. Salomes Viduae. Hymnus antiquus correctus (a).

Ad vesp. = Siderum celsis domibus receptam
Feminam dulci celebremus hymno,
Quae plagis nostris genito Jacobo
Auxit honorem.
Claruit nati meritis Salome,
Claruit sancto pariter marito,
Clarior Christi quod ad usque mortem
Assecla mansit.
Non crucis stipes rigidus, nec illam
Terruit lethi pavor, ad sepulchrum
Inde se confert properans, ut ungat
Corpus Iesu.
Huc ades magni genitrix Patroni,
Impetra vires, ut iniqua cordis
Vota pellentes, fidei, crucisque

dit, sed sub praelo jam est: interea dicere nequeo, an versus aliqui ex meis diverso modo fuerint typis commissi.

(a) Sententiam hujus hymni, ut potui, retinui; mutavi autem versus omnes, qui ita se habebant,

Ista, quam laeti colimus fideles,
Sedibus celsis Superum locatam,
Est decus nostrum, quia mater extat
Alma Jacobi.
Haec Dei cultrix Salome vocata
Sancta Zebedaeo quoque juncta sancte
Conjugem, charamque domum reliquit
Assecla Christi.
Perstitit constans, cruce non recessit
Territa, aut illo moriente fugit,
Curat et funus Domini, et sepulchrum
Fervida visit,
Tu pia o nostri genitrix Patroni
Filii, cunctos refove clientes,
Semper ut nostro capiti queamus
Vivere juncti.

In secunda stropha versus secundus una syllaba longior est, ut lique-

Signa sequamur.
Sit decus Patri, genitaeque Proli,
Et tibi compar utriusque virtus
Spiritus semper Deus unus, omni
Temporis aevo.

Eodem die 22. Octobris. Hymnus ad vesperas leviter emendatus (a).

Gratum diem sol extulit,
Quo valle rapta seculi
1. Sionis alma filia
Aeterna captat gaudia.
Amore Christi saucia
Corpus cucurrit ungere,
Vivum sequuta mortuo
Piis parentat ritibus.

bit sonum legitimum digitis, et aure callent. In tertio versu ejusdem strophae propter conjunctionem *que* alieno loco appositam cantus incommodus, difficilisque evadit, de quo consuli potest *Dissertatio praevia* §.*XXXI. num.*205. *et seqq.*.

(*a*) Facile quivis agnoscet, auctorem hujusce artis peritum huic hymno elaborando operam suam contulisse. Equidem mirabar, qui in primo versu notato, qui ita ajebat,

1. *Alma Sionis Filia*,

Pro pede spondaeo, vel iambo choreus, seu trochaeus excidisset. Causam vero esse postmodum comperi, quod a P. Carolo Guyeto compositus hic hymnus esset in honorem SS. Mariae Jacobi, et Salomes, de quibus recte numero plurali procedebat versus, *Almae Sionis Filiae*. Secundus versus, propter elisionem expulsus, erat hujusmodi,

2. *Vivum e sepulchro conspicit*.

Deerat hic versus in hymno Caroli Guyeti. Neque inutile arbitror totum ejus hymnum transcribere. Erat autem hymnus antiquus in breviario Carnutensi in festo SS. Mariae Jacobi, et Salomes *die* 10. *Maji* ad vesperas, qui in hunc modum incipiebat, *Gratulentur Ecclesiae*. Hunc hymnum correxit Guyetus inter alios, qui post illius Heortologiam reperiuntur.

Quam vivus ipse traxerat
Odore virtutum sacro,
Isthaec vicissim comparat
Fragrans sepulto balsamum.
O mira sors! o gaudium!
Cui sic studebat mortuo,
2. Resuscitatum conspicit,
Suaque tangit dextera.
Summo Patri cum Filio,
Sanctoque sit Paraclito
Aeterna laus, et gloria
In seculorum secula.

Gratum diem sol extulit,
Quo valle ductae seculi
Almae Sionis Filiae
Aeterna captant gaudia.
Christo propinquae sanguine,
Propinquiores at fide,
Vivum sequutae mortuo
Piis parentant ritibus.
Quas vivus ipse traxerat
Odore virtutum sacro,
Versa parant illae vice
Fragrans sepulto Balsamum.
O mira sors! o gaudium!
Cui sic studebant mortuo,
Fit vivus illis obviam,
Manuque se tangi sinit.
Nunc quanta caelo plenius
Consummat illas charitas,
Totis ubi te vultibus
Jesu fruendum commodas.
Uni Deo sit gloria,
Quem sexus omnis praedicat,
Dignosque nos praestet sibi
Laudes perennes reddere.

Neque solum in ecclesia Carnutensi, verum etiam in Rhemensi celebratur festum SS. Mariae Jacobi, et Salomes; refertque eo loco Guyetus alium hymnum, cujus est initium, *Par feminarum nobile*. Ex quo me juvat colligere, recte in ecclesiis Hispanicis officium S. Mariae Salome S. Jacobi Hispaniarum Patroni matris hymnis propriis fuisse decoratum. Ecclesia Compostellana in antiquissimis breviariis S. Salomen hymnis propriis rhythmo, sed sine lege metri decurrentibus celebrabat *ad diem* 23. *Octobris*. Versus ille Guyeti: *Fragrans sepulto balsamum*, duplici mendo corruptus legitur in officiis propriis Hispanicis Edit. Venet., FLAGRANS SEPULCHRO *balsamum*.

Die 24. Octobris. In festo S. Raphaelis Archangeli. Hymnus antiquus castigatus (a).

Ad vesperas. Christe, splendor alme Patris,
Vita, virtus cordium,
Invicem te concinentes
Dulce carmen fundimus,
Caelites inter beatos
Voce, votis psallimus.
Laudibus canamus omnes
Angelos, sed maxime
Raphaelem, qui salutis
Et viae custos datus,
Ardua virtute fretus
Alligavit Daemonem.

(a) Praeter sententias, et ultimam stropham non integram vix quidquam aliud ex hymno veteri retinui. Ejus auctor adeo negligens metri fuit, ut etiam ubi facile potuit, illud non servaverit, certum syllabarum numerum adhibuisse contentus. Sed ut cum hymno jam emendato collatio fieri possit, antiquum repraesento.

Tibi Christe splendor Patris,
Vita, virtus cordium,
In conspectu Angelorum
Votis, voce psallimus,
Alternantes concrepando
Melos damus vocibus.
Collaudamus venerantes
Omnes caeli Principes,
Sed praecipue fidelem
Medicum, et comitem
Raphaelem in virtute
Alligantem Daemonem.
Quo custode procul pelle,
Rex Christe piissime,
Omne nefas inimici
Mundo corde, et corpore,
Paradiso redde tuo
Nos sola clementia.
Gloriam Patri melodis
Personemus vocibus,
Gloriam Christo canamus,
Gloriam Paraclito,
Qui trinus, et unus Deus
Extat ante secula.

Vident omnes, etiam me tacente, leges consuetas *metri trochaici* solum fuisse observatas in secundo versu primae strophae, et in ultimo secundae. Ultima stropha rite fluit, si excipias quintum versum semel, atque iterum, tertio, et quarto claudicantem, videlicet, *Qui trinus et unus Deus*. Canitur etiam ad laudes in hoc officio S.Ra-

Hoc sacro custode pelle ,
Christe Rex piissime ,
Criminis noxam , luemque ,
Corpus , et cor liberans ,
Et choris adjunge caeli
Nos tua clementia .
Gloriam Patri melodis
Personemus vocibus ,
Gloriam Christo canamus ,
Gloriam Paraclito ,
Seculo qui regnat omni
Trinus , et simplex Deus .

Die 25. *Octobris . In festo S. Fructi Confessoris , et Ecclesiae Segoviensis Patroni . Hymnus antiquus emendatus* (*a*) .

Ad vesperas . Superba tecta civium ,
1. Periculosa munera ,
2. Et seculi frequentiam
Vitare Fructe cogitas .
3. Deserta quaeris invia ,
Lates cavernis abditus ,
4. Ignotus ut sis omnibus ,
5. Solisque notus Angelis .

Te

phaelis hymnus correctione indigens ; sed ea peti potest ex iis, quae dixi *die* 18. *Martii* . Nempe iu festo *Dedicationis S. Michaelis Archangeli ad laudes* recitatur hymnus antiquus a Correctoribus Romanis recognitus, ex quo prima , quarta, quinta , et sexta stropha substitui possunt his , quae modo in officio S. Raphaelis usurpantur . Hymnum ad vesperas emendavit quoque Guyetus , vel novum potius fecit in *Hymn. Correct.* in festo S, Michaelis , in quo hic hymnus paucis mutatis olim recitabatur . Correctores Romani diversum metrum , nempe iambicum dimetrum adhibuerunt : *Te splendor* , *et virtus Patris* .

(*a*) Viginti septem versus mutati sunt , quos hic exhibeo .
1. *Vulgi coronas mobilis* .
2. *Et detrahentes circulos* .
3. *Occulta eremi penetras* .

Te solitudo recreat
6. Amica pacis optima,
7. Ingrata mundi gentibus
Caelestibus gratissima.
Montis cacumen horridi
8. Ascendis, ut securius
9. Volare possis arduae
Virtutis ad fastigium.
10. Laudetur alma Trinitas
11. In unitate simplici,
12. Cui paret orbis subditus
13. Per universa secula.

Ad matut. = Ut montis alti verticem
Calcare Fructo contigit,
14. Et inde terras aspicit
15. Premi tot infortuniis.

4. *Mundi ut nocentis oculos*
5. *Ut basilisci fugias.*
6. *Tranquillitatis socia.*
7. *Vita mundanis horrida.*
8. *Per semitas difficiles*
9. *Ascendis ut pervenias.*
10. *Gloria tibi, Domine,*
11. *Fecundae fructus Virginis,*
12. *Qui ligni vitae fructibus*
13. *Beatum Fructum reficis,*
14. *Atque inde tamquam e specula*
15. *Videre terrae incommoda.*
16. *Cor pane caeli reficit.*
17. *Munitus his praesidiis.*
18. *Vir inclytus miraculo.*
19. *Excelsa montis percutit,*
20. *Divisit rupem baculo.*
21. *Profundum vallis cernitur.*
22. *Terrore victis hostibus.*
23. *Cujus sub umbra civitas.*
24. *Segoviensis recubat.*
25. *Tuis obumbra civibus*
26. *Illisque ut afflet, impetra.*

Non omnes certe hi versus necessario mutari debuerunt: peccant nihilominus plures ex eis, nempe 3., quia primam in *penetras*, 4., quia primam in *oculos*, 5., quia primam in *basilisci*, et *fugias* producunt; 6., quia longam pariter efficit primam in *socia*; 7., quia ultimam in *vita* longam, primam in *mundanis* brevem facit; 8., quia secundam in *difficiles* producit; 9., quia similiter secunda in *pervenias* tamquam longa utitur; 10., 11., 12., 13. adeo sunt informes, ut septem errores in eis deprehendantur. Jam in versu 14. prima in *specula*, in 16. prima vocis *reficit*, in 17. secun-

Totum Deo se devovet,
Virtutis armis cingitur,
Corpus premit jejunio,
16. Cor pane caeli recreat.
17. His septus armis acriter
Retundit astus Daemonis,
Mauros furentes territat
18. Insignibus miraculis.
19. Immane saxum percutit,
20. Ictuque virgae dividit,
21. Profunda vallis cernitur,
22. Stupent timore Barbari.

Ad laudes. Jam plenus annis, proximus
Vitae fugacis ultimo,
Solvi catenis corporis,
Et esse cum Christo cupit.

da vocis *praesidiis*; in 24. prima verbi *recubat*, hae, inquam, omnes vocales contra, quam natura earum fert, producuntur. Praeterea ultimae syllabae in *divisit*, et *profundum*, quae positione sunt longae, corripiuntur. Apostolica Sedes concessit, festivitatem S. Fructi celebrari hymnis propriis, antiphonis, responsoriis, et lectionibus secundi nocturni ex Mss. codicibus Ecclesiae Segoviensis. Menardus apud Mabillonium non repugnantem *in Actis SS. Benedict. ad annum 670. in Vita S. Fructuosi Bracarensis* vocat Episcopum Segoviensem hunc nostrum S. Fructum, qui ne sacerdos quidem fuit. Audivi saepe multos, cum hujusmodi officium S. Fructi veluti parum grave aspernarentur: illi, quorum interest, ea de re judicabunt. Superioribus annis *Ordo divini officii recitandi a sacerdotibus Regiae Hispanorum Ecclesiae de Urbe cum festis, quae generaliter in Hispania celebrantur*, praescribebat, in officio S. Fructi praeter lectiones secundi, et tertii nocturni omnia esse de communi Confessoris non Pontificis, aliquando vero neque lectiones secundi nocturni proprias admisit. Recte, si officium proprium S. Fructi ad universam Hispaniam non est extensum. Quod si officium istiusmodi, quale in proprio officio Sanctorum Hispanorum legitur, ut ab omnibus Hispaniae Ecclesiis recitaretur, ab Apostolica sede concessum fuit,

Maturus aevo praecoces
Offerre fructus appetit,
Deoque grates reddere,
Ut terra cultori suo.
O Fructe, flos, et arboris
Propago faecundissima,
23. Cujus sub umbra protegi
24. Segovienses gestiunt.
25. Tuis adesto civibus,
Ut absit aestus criminis,
26. Illis ut afflet, impetra,
Caelestis aura pneumatis.

Die 12. Novembris. In festo S. Didaci Confessoris. Hymnus ex officio proprio Hispalensi ad musicam modulationem conformatus (a).

Ad vesperas. Fallacis undas seculi,
Mundique fugit retia,
Ducente Christi Spiritu,
Primis ab annis Didacus.

minime licere cuiquam privato existimo, quia officium proprium minus arridet, ad commune confugere. Florezius *tom. XI. pag.* 89. narrat, hoc officium approbatum fuisse anno 1609., referente Cardinali Bellarmino, extensum anno 1729. ad universam Hispaniam.

(*a*) Franciscus Bencius *Lib.* 2. *Carminum p.* 115. inter alios aliorum Sanctorum hymnos S. Didacum duobus celebrat, altero iambico: *Regnator alme siderum*, altero sapphico: *O sacrum caeli decus, o beate*. Eum, qui S. Didaci hymnos concinnavit, ex hymnis Bencii praesertim ex iambico profecisse puto, neque aegre fero, sed laudarem magis, si Bencii hymnos integros, inviolatosque in officio S. Didaci recitari maluisset. Sistus V. officium proprium S. Didaci, et hos hymnos ab illorum temporum elegantia non alienos approbavit. Neque aliud emendatione dignum apparuit, nisi quod commodioris cantus gratia mutati sunt sequentes versus.

1. *Francisci iter per arduum.*
2. *Seque arctius ligat Deo.*

Deserta dum petit loca,
Corpusque castigat suum;
Perfundit illum largius
Caelestis imber gratiae.
Sublime mox scandit jugum
1. Praecepta Francisci sequens,
Et sancta per vestigia
2. Christo ligat se strictius.
Immunda quidquid appetit,
Miratur et quidquid caro,
Calcat, relinquit, negligit,
Lucretur ut Christum sibi.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui magna solus efficis,
3. Cum Patre, cumque Spiritu
Per seculorum secula.

3. *Cum Patre, et almo Spiritu.*
4. *Inopem canamus Didacum.*
5. *Caeli bonis praedivitem,*
6. *Humilem canamus Didacum.*
7. *Ad celsa vectum sidera.*
8. *Quae suscitat de pulvere.*
9. *Egenum, et inter Principes.*
10. *In sede sublimi locat.*
11. *Sensusque confixit tuae*
12. *Tecum ipse confixus cruci.*
13. *Tandem ad beata praemia.*
14. *Veniam precamur supplices.*

Versus 4., 6., et 14., licet longiores sint ceteris, rectam tamen servant mensuram, cum in hoc carminis genere aliquando pro iambo, vel spondaeo pes anapaestus primo loco ponatur. Verum ea syllaba aucta difficultatem canentibus ingerit, ut explicatum est in *praevia Dissertatione* §. *XXX. num.* 209.. Reliqui versus propter elisiones rejecti sunt. Alibi tertium versum doxologiae similiter correxi, subrogavique, *Cum Patre, cumque Spiritu*. Dubitaveram, an ea emendatio omnibus esset placitura; sed nactus postea hymnos famigeratos Santolii Victorini, versum eundem eodem prorsus modo correxisse comperi, quo magis confisus sum fore, ut versus hoc loco a me, et alias adhibitus censuram effugiat. Non vero intelligo, quidnam causae habuerit Santolius, cur, cum saepe hunc versum reformatum, et sine elisione usurpaverit, nonnunquam tamen antiquum reliquerit, immo etiam ubi non erat, invexerit, scribens in stropha ultima a se composita, *Cum Patre, et almo Spiritu*; ut videri potest in hymnis breviarii Cluniacensis *ad diem* 3. *Maji*. Enim vero si causa est ulla,

Ad mat.= 4. Pauper canatur Didacus,
5. Et corde summissus pio,
6. Qui dives est caeli bonis,
7. Et celsa calcat sidera.
Christi potens o dextera,
8. Quae pauperem de pulvere
9. Attollis, inter Principes
10. Ut sede sublimi loces.
En qui reliquit omnia,
Felix recepit omnia,
Illustribus miraculis
Late coruscat inclytus.
Corpus, flagellis saepius
Quod asperis afflixerat,
Odore fragrat plurimo,
Et membra sanat languida.

cur hic versus mutetur, ubique mutari debet, si nulla, nusquam. Praestat hoc loco admonere, me libenter daturum fuisse operam aliis aliarum Ecclesiarum Hispaniae hymnis reconcinnandis, si quemadmodum Officia propria dioeceseos Toletanae, et Hispalensis, ita etiam ceterarum dioeceseon in promptu habuissem. Officia propria Eborensia, hymnosque proprios legi, quos etsi ab omni errore non immunes repererim, tamen intactos reliqui, ne falcem in alienam messem arguerer immisisse. Equidem labori, ac diligentiae non pepercissem, si spes affulsisset inveniendi alia ad meum argumentum pertinentia; sed in tanta librorum Hispaniensium inopia, ac praesertim eorum, qui officia, resque liturgicas continent, nemini mirum videri debet, si paucos hymnos correctos addidi his, qui in proprio Officio Sanctorum Hispanorum Venetiis excuso perleguntur. Quin etiam pro his, quos adjeci, gratia habenda est P. Blasio a Virgine, in theologicis cognitionibus praestanti, qui aditum ad Bibliothecam S. Caroli ad quatuor fontes de Urbe Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis Congregationis Hispaniae mihi perhumaniter communicavit. Difficilior fuit accessus ad Bibliothecam PP. Calceatorum SS. Trinitatis Hispanorum; sed eum tandem extorquere potui, deprecatore, et comite D. Raimundo Diosdado, qui propter eminentem lin-

Summo Patri sit luminum,
Natoque Patris gloria,
Et cum beato Spiritu
Cunctis in aevum seculis.

Ad laudes. Mundi Redemptor optime,
Qui morte mortem destruis,
Tuam crucem sanctissimam
Omnes ad astra tollimus.
Dilexit illam Didacus,
Amore dulci saucius,
Illamque post te fortiter
Consors triumphi sustulit:
Carnem rebellem comprimens
Escam malorum pessimam,
11. Sensusque configens tuae
12. Confixus est tecum cruci.

guarum orientalium cognitionem, rerumque omnium eruditionem, PP. Trinitariis Calceatis jam diu cognitus erat. Non multo deinde post Rmus P. Antonius Quevedo pro singulari ejus merito Minister ejusdem Conventus, et Procurator Generalis sui ordinis in curia Romana renunciatus, aliisque honoribus auctus Bibliothecae adeundae, cum liberet, potestatem mihi benignissime fecit. In ea tamen praeter missale, et breviarium Mozarabicum Excmi Archiepiscopi Lorenzana opera, et studio editum nihil inveni, quod mihi usui esse posset. Nec praetereundus silentio est D. Blasius Miner, vir multijugae lectionis, acerrimique judicii, qui hymnos a Joanne Baptista Sorazabal versibus Hispanicis redditos, aliosque libros sponte commodavit. Gaudeo, hanc occasionem mihi oblatam, qua bene de me meritis hominibus aliquam grati animi significationem ostenderem. Quod siquis non oblatam occasionem, sed a me quaesitam esse arbitretur, sciat, malle me importunum, quam parcum in referenda gratia videri. Officia propria Religionum, nisi pauca certis de causis, non attigi: nam aliae clero seculari facile se conformant, aliae suis moribus, et ritibus antiquissimis malunt vivere; neque vero officia, quibusdam Religiosis Ordinibus peculiaria, Hispaniae dici possunt propria. Cisterciense s Congregationis Hi-

13. Ad magna tandem praemia
Athleta fortis evolans
Suavi sopore solvitur
Charae crucis complexibus.
Te, Christe clementissime,
14. Pacem precamur supplices,
Tu pro tuis fidelibus
Audi precantem Didacum.

Die 15. Novembris. In festo S. Gertrudis Virginis, pro Provincia Cataloniae. Hymnus antiquus intactus (a).

Ad vesperas. Gertrudis arca Numinis,
Sponsoque juncta Virginum,
Da nuptialis pangere
Castos amores foederis.
Quadrima Christo nubilis
In claustra prompte convolas,
Spretoque nutricis sinu
Sponsi requiris oscula.

spanae aliquam cogitationem hac de re suscepisse nuper accepi ex *Memorial. Litterar. Matritens. Februar.* 1784. *pag. 62.*, et *63.*, ubi annunciatur opus *in* 4. Augustini Vazquez Varela Generalis ejus Congregationis, quod inscribitur: *Ilustracion Apologetica al Breviario, Misal, y Ritual Cisterciense de la Congregacion de S. Bernardo en los Reynos de Castilla etc.*. Et quamvis Rmus Generalis disputet contra anonymum auctorem opusculi Ms., qui nescio quam praeposteram reformationem obtrudere tentabat, nihilominus quarta sui operis parte agit de reformatione, quae congruentius adhiberi potest, et debet. Ita certe referunt auctores *Memorialis Matritensis*, quod annno 1784. mense Januario optimis auspiciis inchoatum est, et multiplices res, atque omnium scientiarum capita acri judicio, et summa diligentia exposita complectitur.

(a) Auctorem horum hymnorum investigare non potui: eos in *monastico Diurno* Ordinis Benedictini Venet. edit. 1697. extare scio. Ex omnibus officii proprii Hispanici hymnis hi soli pro Cataloniae provincia in honorem S. Gertrudis recitati ad omnes carminis, latini-

Candentis instar lilii
Odore mulces sidera,
Et virginali caelitum
Regem decore pertrahis.
Qui vivit in sinu Patris
Cinctus perenni gloria,
Amanter, uti sponsus, tua
Recumbit inter ubera.
Amore Christum vulneras:
Hic te vicissim vulnerat,
Tuoque cordi propria
Inurit alte stigmata.
O singularis charitas,
Et mira commutatio!
Hic corde respirat tuo,
Tu vivis hujus spiritu.
Te, sponse Jesu Virginum,
Beata laudent agmina,
Patri, simul Paraclito
Par sit per aevum gloria.

Ad mat. = Mira nocturnis, modulante lingua,
Gesta Gertrudis celebremus horis,
Quae sacris instans precibus, peregit
Tempora noctis.

Illius

tatis, modulationis, elegantiaeque leges sunt exacti; quos merito proinde cum praestantissimis possis conferre. Eos vero, tametsi nulla correctione indigeant, huc transtuli, quia si alios etiam rudes, et inconditos excribere non piguit, in optimis exarandis hunc laborem impendere volupe mihi fuit; tum ut intelligatur, auctorem, vel auctores, qui praedictos hymnos condiderunt, illos etiam, qui, ut in officio proprio S. Gertrudis insererentur, allaborarunt, non ignorasse certe, quibus regulis hymni concinendi in Ecclesiis perfici debeant, neque improbaturos operam, quae in veteribus reformandis collocaretur. Plures nunc esse in Hispania, qui politioribus litteris insigniter sunt exculti, subactoque judicio pollent, explora-

Illius votis Deus obsecundans
Mox repentinas pluvias profundit,
Moxque suspensos gravibus coercet
Nubibus imbres.
Arva jam dudum glacie rigebant,
Corde cum maesto miserans colonos;
Fervidis Virgo lacrymis resolvit
Frigora brumae.
Ne seges largo vitietur imbre,
Sedulis caelum precibus serenat;
Et graves laesi gemebunda placat
Numinis iras.
Igneis mentes penetrat sagittis,
Languidis confert animis medelam,
Atque succendit scelerata castis
Pectora flammis.
Virginum sponsum, superumque Regem;
Virginum sanctae celebrent choreae,
Et sacram supplex Triadem per aevum
Orbis adoret.

tum mihi est; qui propterea huic labori perficiendo impense favebunt, suamque operam praestare poterunt. Nonnullorum scripta ad nos perlata, avideque perlecta aperte demonstrant, auctores ingenio, eruditione, elegantia, venustate, et poetico lepore excellere; hi autem sunt D. Vincentius Garzia dela Huerta, D. Thomas Yriarte, D. Gregorius Salas, D. Ignatius Lopez de Ayala. Reliquos, qui doctrinae non vulgaris fama in Hispania florent, longum esset omnes, invidiosum paucos recensere. D. Antonius Ponz, qui, Hispaniae Provinciis peragratis, monumenta ad picturam, architecturam, et statuariam pro singulari harum artium peritia, qua praestat, docte non minus quam fideliter exponit, multa praeterea attingit, quibus confirmari posset, amoeniorum scientiarum studium summopere vigere. Ejus vero opus quatuordecim jam tomis constans prae ceteris hujus generis mihi placet, quod amore patriae veritas non corrumpitur, et sicut laudabilia commendat, ita etiam corrigenda sincerus scriptor animadvertit. Quod si illi auctores, qui *Itinera*

Ad laud.= Ad sacros virgo thalamos anhelans
Nuptias caelo celebrare gestit;
Et piis votis nimium morantem
Provocat horam.
Aegra cum languet, manifestus adstat
Caelitum turma comitante Christus,
Atque divini recreat jacentem
Lumine vultus.
Surge, conclamat, soror, atque sponsa,
En tibi pando penetrale cordis,
Ut triumphali reserata scandas
Sidera curru.
Ista vox omnes penetrat medullas,
Atque compages animi resolvit:
Spiritus liber volat in reclusa
Viscera Christi.
Regios agni thalamos petentem
Jubilans stipat superum corona:
Atque complexus, et amica cantat
Oscula sponsi.

sua litteris consignarunt, tam fuissent ingenui in alienis, quam est Ponzius in propriis referendis, ijusmodi scriptiones non tanta certe infamia laborarent, vix ut ulla fides plerisque adhibeatur.



APPENDIX I.

Proponitur novum Festum in officio ecclesiastico Hispaniarum instituendum Conversionis gentis Gothorum ab haeresi Ariana in Concilio III. Toletano (*a*).

§. I.

De Festo Conversionis Gothorum instituendo. Ad Illustrissimum, et Reverendissimum Clerum Hispanum.

Si quantum splendoris, dignitatisque vestrae, Illustrissimi, et Reverendissimi Domini, cupidum me, studiosumque esse sentio, ac prae me fero, tanta praeditus essem aut facultate in eloquendo, aut auctoritate in persuadendo, minime dubitarem, quin proposita vobis novi Festi

(*a*) Cum in congressu quodam familiari de rebus ecclesiasticis, et festis Hispanorum propriis sermo incidisset, cl. Thomas Belon, qui aderat, asseruit, pietati maximopere consentaneum fore, ut in Ecclesiis Hispaniae, quae etiam victorias nonnullas a Mauris relatas quotannis celebrant, festivitas solemnis institueretur, qua memoria *Conversionis Gothorum* celebritate anniversaria recurreret; existere pro hujus novi officii lectionibus propriis valde opportunam S.Leandri Homiliam in tertio Concilio Toletano recitatam. Haec eruditissimi juvenis cogitatio cum ceteris omnibus, tum mihi admodum arrisit; et, ut commodum tunc in hymnodiae ecclesiasticae Hispanae recognitionem incumbebam, *Appendicem* hoc loco adjicere in animum induxi, cujus in *primo* §. Clero Hispanico, cujus interest, probabiles novae institutionis causas exponam, *in altero* in rei ejusdem confirmationem adducam integram Orationem, qua S. Leander genti suae gratulans praeclarum beneficium a Deo acceptum exornat, et ad gaudium, solemnemque celebritatem invitat, *in tertio* denique missae, et officii, quod eligi posset, specimen adumbrabo.

Conversionis Gothorum Institutione amplissimum essem fructum relaturus. Quoniam vero neque de meo ingenio quidquam sperare ausim, et is ego sim, quocum praeclare actum putem, si tantum non orationem meam rejeceritis, hoc unum superest, ut in sola rei gravitate, et in vestra cognitissima pietate, et religione totius negotii spem collocandam mihi esse constituam. Nam tametsi plerique, e quorum numero me esse ultro profiteor, a novis institutionibus festorum vehementer abhorreant, nisi causae idoneae, gravissimaeque proferantur, quod, ut recte ajunt, frequentia solemnitatum non hujus exilii propria sit, sed ad patriam, manentemque caeli civitatem spectet; nihilominus qui mature, accurateque perpendat, ex quibus tandem aerumnis Hispania universa in tertio Concilio Toletano feliciter liberata, ad quem exinde honoris apicem ascenderit, illico fatebitur, pium, justumque esse consilium, ut stato die perpetua tanti beneficii memoria, et anniversaria celebritas recolatur. Reformidat animus, ac propemodum horret veteres illos luctus, infandaque mala reminisci, quae in Gothorum regno perfidia Ariana impune grassante, funestamque discordiae facem alte praeferente inter Regem Leovigildum, filiumque ejus sanctissimum Hermenegildum exercitibus hinc inde comparatis, et commissis efferbuerunt. Postquam autem gloriosi Martyris Hermenegildi accensis apud Deum precibus, indefesso Leandri Praesulis labore, et studio, piissimique Recaredi cura, et industria Comitia generalia Regni tum ecclesiastica, tum secularia Toleti habita fuerunt, et in eis haeresim Arianam Rex, Optimatesque rite detestati sunt, stabilita recta Fide per catholicam formulam, orthodoxamque SS. Trinitatis professionem, quis adeo in historia ecclesiastica peregrinus est, ut nesciat, quantum deinde gaudium consecutum fuerit, quam insigniter Religio Christiana effloruerit, quot, qualesque viros Clerus Hispanus produxerit? Quae omnia cum admirabili, satisque copiosa oratione clarissimus Praesul

Leander partim exposuerit, partim praenunciarit, nihil necesse est a me distinctius commemorari; eam enim integram §. II. dabo, ut gravissima egregii Doctoris auctoritate apud aequos Judices evidentem propositi mei utilitatem evincam. De qua Homilia, tertii Concilii Toletani calci adjuncta, quid senserit historiae ecclesiasticae parens Cardinalis Baronius, placitum mihi est, ut referam; quamquam enim elegantiam styli, qualem frustra in ejus temporis scriptoribus quaesieris, in ea desiderat, vim tamen, efficaciamque rationum summopere commendat *ad annum* 589.*n.*20. his verbis. *Ita peroravit ante Synodum S. Leander simplici, et impolito stylo, ut seculi hujus barbarie silvescentis conditio ferebat, sed divina scientia valde referto, et sapientia mirifice exornato, instar arboris licet cortice durioris, tamen pomorum pendulorum faecunditate pulcherrimae*. Non tamen adeo impolitus est stylus Leandri, ut id Baronius exaggerare debuerit. Siquidem neque Leandro elegantia penitus deest, neque ea abundat Baronius.

2. Igitur illud dumtaxat mihi elaborandum est, ut breviter demonstrem, maximum, ac singulare beneficium a Deo in tertio Toletano Concilio nationi Hispanae collatum idoneam causam esse, quamobrem ex usu, perpetuaque Ecclesiae consuetudine dies festus, solemnisque Conversionis Gothorum consecretur. Teste vero utar locupletissimo, Ven. Cardinali Josepho Maria Thomasio, novitatibus festorum inducendis maxime infenso, atque ex eo loco testimonium proferam, ubi in primis se infensum ostendit; nimirum ex *Suffragio*, quod in Sac. Rit. Congregatione tulit, ne festum in honorem Patris Aeterni celebrandum admitteretur, quod a Benedicto XIV. relatum est *Lib.* 4. *de Beatif., et Canonizat. Ser. Dei part.* 2. *cap.* 31. *num.* 4.. *Ad duas*, inquit, *potissimum causas, vel tres revocantur a Patribus institutiones festivitatum Domini: una ad tollendam desidiam negligentiorum hominum: altera ob consecrationem ipsam certorum dierum ex patratis miraculis: et tertia ad renovandam*

memoriam celebriorum beneficiorum divinorum in Ecclesia. Et, ut ea, quae de prima, et secunda causa edisserit doctissimus Cardinalis, praetermittam, ita tertiam quaestioni institutae congruentiorem exponit, et exornat. *Tertiam denique causam ob memoriam scilicet divinorum beneficiorum etc.*, *quae* POTISSIMA EST, *ubique fere Patres indicant*; *et, ut aliquos recenseam, eam attingunt laudatus auctor Constitution. Apostolicarum Lib. 7. cap. 30., Sanctus Leo serm. 7. de Epiphan., et S. Augustinus ad Inquisitiones Januarii lib. 2., sive epist. 55. alias 119.... et Serm. 220. alias de Diversis 78. de vigiliis Paschae: Hoc semel, inquit, factum esse optime nostis, et tamen solemnitas, tamquam saepe fiat, revolutis temporibus iterat, quod veritas semel factum totum Scripturarum vocibus clamat... quod etiam semel factum in rebus veritas indicat, hoc saepe celebrandum in cordibus piis solemnitas revocat etc.*. Quam totam rationem apposite ad rem nostram accommodari posse nemo, opinor, iverit inficias, qui divinum, immortaleque conversionis Gothorum beneficium expenderit; cujus tamen nulla in officiis ecclesiasticis Hispaniarum extat memoria ad debitas Deo gratias persolvendas, singulis annis renovanda.

3. Quoniam vero, ut prudenter admonet laudatus Cardinalis, *Sufficiant nobis exempla Majorum. Sapimus, si sapientiam antiquorum exquirimus, et sequimur*; exemplis quoque, et auctoritate Majorum evidenter ostenditur, expetitam institutionem insolita aliqua novitate non esse displicituram. Quid enim? Apud Graecos, et quidem ex antiquissimo tempore, nonne solemne est, ut similibus de causis, ac levioribus plerumque, commemorationes in Menaeis, et festivitates peragantur? Obvii sunt libri eorum liturgici: pervulgatum est, quod observat immortalis memoriae Pontifex Benedictus XIV. *lib.* 4. *de Beatif. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 15.. *In Graecorum Menaeis*, ait, *non Sanctorum solum et solemnitatum Dominicalium, sed et aliarum quoque rerum memorabilium celebritas locum obtinet*. Profecto in eis.

licet animadvertere, die 23. *Januarii* sextam oecumenicam Synodum peculiari officio esse decoratam, aliis diebus memoriam aliorum Conciliorum generalium, et Patrum, qui eis interfuerunt, recoli; *die* 24. *ejusdem* Mensis Januarii commemorationem celebrari magni terraemotus, qui Theodosio Juniore imperante per tres integros dies Constantinopolim concussit. De Natali vero die ejusdem urbis Constantinopolitanae id Menaea Graeca praescribunt: *Eodem Mense* (Majo) *undecima commemorationem spiritualiter facimus diei Natalis hujus a Deo custoditae, et urbium Reginae, quae praecipue commendata est Dominae nostrae sanctae Deiparae, et ab ea semper servata est*. Subjunguntur hi duo versus,

Natalem diem tuum oportet me honorare,
Cum in te, Urbs, natalem diem sortitus sim.

In officio vero habentur cantus, et hymni in laudem ejusdem urbis, et memoriam beneficiorum, quibus a Deo affecta est. Sed ad Concilium Nicaenum quod attinet, plerique veterum 318. Patres communi omnes laude prosequuntur, et mysticas significationes illis applicant; fuitque olim in more positum anathema precari iis, qui pacta, et sepulchra eorum violassent, ut constat ex Eduardo Corsinio *Disert*.3. Kirkerus praeterea refert *in Prodrom. Kopto, sive Aegypt. cap*. 2. Coptitas, et Aethiopas in Confessione liturgica 318. illos Patres pro Sanctis nominare, quia, ut recte ait Paschasius Diaconus *in praefat. Lib. de Spiritu sancto*; *Et si ex hoc numero paucorum fragilitas declinavit, universalis tamen numeri mysterium non resolvit*.

4. Ceterum non id modo agimus, ut pro alicujus Concilii festo instituendo pugnemus, sed pro celebratione conversionis nostrae Gentis, qua bonum a Deo majus nec desiderari potest, nec dari. Quod si in Ecclesiis Hispanicis festivitates quaedam anniversariae justa quidem ratione, sed minoris sane ponderis tamquam in gratiarum actionem celebrantur, quid causae esse potest, cur ad sempiternam

praestantissimi beneficii divini memoriam conservandam, renovandamque eadem, aut major etiam solemnitas non sit adhibenda? In officiis propriis Toletanis anni 1720. *ad diem 6. Septembris* annotatur, *Festum Victoriae Cardinalis Infantis prope Norlingem. Duplex. In Ecclesia Matrice*. In eisdem, et in breviario antiquiori Toletano D. Joanni Martinez Siliceo anno 1551. dicato ad *diem* 30. *Octobris* indicatur, *Festum Victoriae de Benamarim*. Extant autem in hoc veteri breviario hymni proprii, quibus triumphus de Benamarino, et laudes Alfonsi XI. Regis rudi, et inculto stylo concinuntur. Festum Deditionis Granatae in breviario Burgensi olim habuit locum. Sed ut diversae plerumque sunt hominum sententiae, et quod aliis pietas, aliis superstitio esse videtur, sublatum est, teste ipso auctore officii Joanne Maldonato Presbytero, cujus haec sunt verba ad marginem lectionum *edit. Lugd.* 1595.: *Hanc deditionem urbis Granatae Antonius Rogius Indiarum Patriarcha, Burgensis Episcopus e breviario sustulit, superstitiosum judicans Praesulem Fonsecam, qui celebritatibus ejusmodi novis indulgendum censebat, meque ad eam scribendam induxerat*. Ferdinandus de Talavera Archiepiscopus Granatensis composuisse dicitur, referente Nic. Antonio in *Bibliotheca nova*, quatuor officia, quae variis diebus recitantur, et in his duo, *in die expugnationis laudatae urbis Granatensis*. Joannes Tamayo de Salazar *tom.* 1. *Martyr. Hispan. ad diem* 2. *Januarii* recenset *Festum Exaltationis Fidei ob Granatae recuperationem* cum lectionibus, et hymnis propriis ex breviario Compostellano edito anno 1569.. Neque vero sola Hispania istiusmodi honore, et genere celebritatis sacrae victorias ex hostibus reportatas prosequuta est. In breviario Parisiensi anni 1643. pro *die* 18. *Augusti* ita legitur: *Fit Duplex pro commemoratione victoriae Regis Philippi Pulchri*. Et in lectionibus secundi nocturni enarratur victoria de rebellibus Flandris *ipsa die* 18. *Octobris* relata. Praetereo multa alia, quae huc conferri possent, etiam ex officiis Ecclesiae universae petita, velut festum

SS. Ro-

SS. Rosarii, Dedicationis S. Mariae ad Nives, B. Mariae Virginis de Mercede, nec non de Carmelo, in quibus non prorsus dissimilis ratio institutionis agnoscitur. Alios titulos festivitates instituendi ex Martyrologio Romano desumptos enumerat Benedictus XIV. *lib.4. de Beat. part. 2. cap. 19. num. 9.*, nimirum Ordinationis nonnullorum Episcoporum, Inventionis corporis aliquorum Sanctorum, Translationis corporum quorumdam Sanctorum, quos singillatim recenset, additque, *Nec omitti potest, mentionem fieri in Martyrologio Romano ad diem 7. Octobris celeberrimae illius Victoriae, quam anno 1571. fidelium classis de Turcis reportavit ad Echinadas Insulas, captis hostium triremibus centum et octoginta, ceterisque disjectis*. Haec pietatem redolent: non ita duo illa solemnia Angliae festa, alterum 30. die Januarii, quo Carolus I. capite truncatus est, alterum die 5. Novembris, quo Angli obedientiam Romano Pontifici debitam abjecerunt.

5. Propius ad controversiae nostrae caput accedit, quod de Polonis refertur. Paulus Christianus Hilscher heterodoxus tractatum edidit, *De Dominica Laetare, rituque Idolum mortis illa die ejiciendi. Lipsiae 1690. in 4.*. Nihil aliud de hoc auctore, quem nancisci non potui, asserere mihi licet, nisi quod in *Bibliotheca Rituali tom. 2.* notat Franciscus Antonius Zacharias, nempe auctorem repetere morem illum a Polonis memoriam Idololatriae anno Christi Domini 465. rejectae recolentibus. Sed qualiscumque sit ritus ejiciendi Idolum mortis *in Dominica Laetare*, et undecumque origo petatur, his immorari diutius non oportet. Nam in Menologio Graeco similius quiddam invenitur. *In eodem*, ut ait citatus nuper Pontifex num. 10., *mentio pariter fit nonnullorum aliorum mirabilium eventuum quibus vel haeresis aliqua finem habuit, vel peccatores ad poenitentiam conversi sunt, die etenim 25. Septembris narratur, maximum terraemotum Theodosio Magno Imperatore contigisse, haeresimque tunc Theopaschitarum blasphemantium, atque affirmantium, Divinitatem etiam in cruce passam fuisse, cessasse*. Praeterea Theo-

dora immortalis memoriae, virilisque animi femina, cui tutela filii Michaelis Imperatoris commissa erat, sacrarum imaginum cultum magna cum celebritate instauravit, et Iconoclastarum haeresim subvertit. Igitur in ejus rei perenne monumentum festum a Graecis institutum est quotannis solemniter celebrandum prima Dominica Quadragesimae, quam idcirco *Dominicam Orthodoxiae* nominant. In veteri officio Quadragesimali Graeciae orthodoxae ab Emo Angelo Maria Quirini recognito, et castigato ad fidem praestantissimi codicis Barberini ita notatur hoc festum, *Dominica prima Jejuniorum, et SS. Prophetarum Moysis, et Aaron, atque aliorum. Item Orthodoxiae, seu Restitutionis sanctarum imaginum*.

6. Quid? festum Cathedrae S. Petri Antiochiae *die* 22. *Februarii*, et Cathedrae, qua Romae primum sedit, *die* 18. *Januarii*, non ne idcirco est institutum, ut fundatio Ecclesiae tum Antiochenae, tum catholicae Romanae celebretur? Nec nova isthaec sunt; nam in breviario Mozarabico hymnus est pro Cathedra S. Petri, qui incipit, *O Petre petra Ecclesiae*; reperiturque in hymnario Ven. Cardinalis Thomasii. Cathedrae Antiochenae celebritatem commendat S. Augustinus *Serm.* 15. *de Sanctis*: *Institutio solemnitatis hodiernae a senioribus nostris Cathedrae nomen accepit, ideo quod primus Apostolorum Petrus hodie Episcopatus cathedram suscepisse referatur. Recte ergo Ecclesiae natalem sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit, dicente Domino, Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Quod si non rem tantum, sed ipsum quoque nomen quaerimus, celebratur in universa Ecclesia *Conversio* S. Pauli, celebratur in Hispania, atque aliis in locis *Conversio* S. Augustini; utraque inserta est in Martyrologio Romano. Haec rationum momenta, quae ex intima rei natura, beneque comprobatis exemplis attuli, certiora sunt, quam ut ullis cavillationibus infirmari, evidentiora, quam ut tenebris offusis obscurari valeant. Placuit non multos ante annos piis, eruditisque viris

consilium in vulgus editum de novo festo generali ordinando, quo omnes simul Apostoli stato die, atque alio omnes pariter Sancti Episcopi uniuscujusque dioeceseos celebrarentur; de quo videri potest Josephi Antonii Dinovartii Diarium, sive *Journal. Ecclesiastique tom.* 13. *Nov. p.* 163.: *tom.* 14. *Aug. p.* 179. . *In Bib. nov. Nic. Antonii tom.* 2. *p.* 329. *col.* 1. Petrus de la Portilla Duque, typis jam excusa prima parte *Hispaniae Illustrioris*, in altera, quam editurus erat, inter alia proponebat: *Nueva Festividad a la Cruz en todas las Iglesias de España, su Titulo: Glorificatio Crucis, y podria celebrarse el segundo dia de Enero*, cujus hominis ingenium, et industriam Nic. Antonius commendat. Non est igitur ambigendum, quin hoc alterum consilium festi Conversionis Gothorum instituendi his, ad quos spectat, sit placiturum, eoque etiam magis id sperare licet, quia nostra argumenta et efficaciora sunt, et in oculos omnium statim incurrunt.

7. Quaerat tamen fortasse aliquis, quod, qualeve officii genus pro Conversione gentis Gothicae in Hispania commemoranda esset recitandum. Non unum, eundemque morem in his solemnitatibus, quarum commune officium nullum est, servatum fuisse reperio. Breviarium Toletanum antiquum, cujus supra memini, psalmos feriae currentis cum hymnis, et lectionibus propriis in festo Victoriae de Benamarino praescribit. In posterioribus Toletanis officiis propriis ad victoriam Cardinalis prope Norlingem, et in Parisino breviario ad alteram victoriam a Philippo Pulchro obtentam celebrandam officium de B. Virgine recitatur. Equidem dubius haesi aliquandiu, an de Ecclesiae Dedicatione, an de Epiphania Domini, an de Cruce, an de SS. Virgine Deipara, officium mutuari oporteret, quod in festo Conversionis Gothorum partibus quibusdam propriis additis perageretur. Non enim decere arbitror Graecorum more novum singulare officium confici. Verum omnem prorsus dubitationem abjeci, simul ac cogitatio SS. Trinitatis, contra quam haeresis Ariana debacchabatur, animum occupavit; in cujus honorem novam festivitatem con-

gruentissime referri posse facile omnes consentient. Non me praeterit, male quondam audivisse eos, qui primi festum SS. Trinitatis celebrarunt; scripsisseque Micrologi Auctorem *Cap.6. de Ecclesiasticis observationibus*, hanc novitatem a Romana Sede respui, ac Pontificem Alexandrum (II., ut arbitror) respondisse: *Juxta Romanum Ordinem nullum diem specialiter adscribi debere solemnitati S. Trinitatis, nec S. Unitatis, praecipue cum omni Dominica, immo quotidie utriusque memoria celebretur*. At vero cum novis deinde rationibus emergentibus, aut antiquis clarius explicatis Apostolica Sedes peculiare festum, et officium SS. Trinitatis approbaverit, recitandumque ordinaverit, nullus relinquitur dubitandi locus, quin eo majori studio altissimum hoc mysterium designato proprio officio praedicare, et colere debeamus, quo serius fideles illud frequentare coeperunt.

8. Jam lectiones tertii nocturni piaculum esset aliunde desumere, quam ex piissima S. Leandri homilia. His hymnos proprios, et lectiones secundi nocturni adjungere non erit incongruum, ut facti series, quae in laudata S. Leandri Oratione solum indicatur, distinctius enarretur. De die autem destinanda nihil refert disputare, cum nulla alia seligi aptior possit, quam *dies* 8. *Maji*, in qua videlicet tertium Concilium Toletanum celebratum est, aut alia dies infra octavam non impedita. Percommodum vero accidit, quod ea dies ita in parte aestiva breviarii inseratur, ut officium SS. Trinitatis sine ulla difficultate possit usurpari. Gaudeo rem hanc ipsam de fausti hujus diei memoria retinenda gravi Eusebii Nieremberg testimonio posse confirmare, qui in opere: *de la Devocion, y Patrocinio de S. Miguel antiguo Tutelar de los Godos, y Protector de España*. *Matriti* 1643.: *Ad Regem Hisp.*, sic habet cap. 26.: *La devocion, que en España huvo con S. Miguel, es muy antigua, y los Reyes Godos la tuvieron muy particular, y bastara para que la tuviessen eternamente los Españoles haver sido dia de S. Miguel, quando toda España se hizo Catolica*. P. Henricus Florez advertit, Patres

Concilii primum die 4. Maji fuisse congregatos, professionem vero Fidei editam die 8. Maji: addit, Concilium hoc fuisse omnium Hispaniae *celeberrimum*, quamvis Concilium IV. in lectionibus S. Isidori pariter dicatur *celeberrimum*, quia ob multitudinem Canonum auctoritas Concilii IV. Toletani saepius allegatur. Quae omnia cum mirifice ad novam institutionem procurandam, promovendamque colliment, qua tandem alacritate excitari vos oportet, Illmi, et Rmi DD., ad gloriosissimum Majorum vestrorum factum, singularemque Dei benevolentiam recolendam? Quisnam inter vos reperietur aut tam immemor beneficiorum divinorum, aut in referenda gratia tam negligens, qui huic operi non faveat, in ejusque perfectionem totis viribus non incumbat? Quamquam ineptus ego sum, qui pluribus verbis vos detinere voluerim, cum in promptu sit gravissima Hispalensis Antistitis Leandri homilia, quae pios Hispanorum animos in hanc sententiam, ut et opto, et spero, compellet. Causam is obtineat, qui primus eam peroravit.

§. II.

Homilia S. Leandri ex Actis III. Concilii Toletani deprompta.

Concilium Toletanum III., in quo Arriana haeresis in Hispania damnata est. Anno Christi 589. die 8. Iduum Majarum etc. Homilia S. Leandri Episcopi in laudem Ecclesiae ob conversionem Gentis.

Festivitatem hanc omnium esse solemniorem festivitatum novitas ipsa significat. Quoniam sicut nova est conversio tantarum plebium causa, et nobiliora sunt solito Ecclesiae gaudia: nam multas solemnitates per anni discursum celebrat Ecclesia, in quibus tametsi habet gaudia consueta; nova vero sicut in hac non habet. Aliter enim gaudet de rebus semper possessis, aliter de lucris magnis his nuper inventis. Pro quare et nos

majoribus gaudiis elevamur, quia repente novos Ecclesiarum parturisse populos intuemur, et quorum asperitatem quondam gemebamus, de eorum nunc gaudemus credulitate. Ergo materia gaudii nostri tribulationis praeteritae occasio fuit. Gemebamus, dum gravaremur, dum exprobraremur; sed gemitus illi id egerunt, ut hi, qui per infidelitatem nobis erant sarcina, fierent nostra per suam conversionem corona.

2. Hoc enim gratulative profert in psalmis Ecclesia dicens (1), *In tribulatione dilatasti me*. Et Sarra (2), dum saepe a Regibus concupiscitur, nec maculam pudicitiae sentit, et Abraham causa pulchritudinis suae divitem facit; ab ipsis enim Regibus Abraham ditatur, a quibus Sarra concuspicitur. Condigne ergo Ecclesia catholica Gentes, quas simul senserit fidei suae decore, ad sui eas sponsi, hoc est, Christi lucra transducit, et per ea regna suum virum divitem reddit, per quae se inquietari persenserit. Sic enim dum ex initio lacessitur, vel invidentium dentibus mordetur, dum premitur, eruditur; et dum insectatur, dilatatur. Quoniam patientia sua aemulatores suos aut superat, aut lucratur.

3. Dicit enim ad eam divinus sermo (3) *Multae filiae congregaverunt divitias, tu autem supergressa es universas*. Si non mirum, quod haereses filiae dicuntur, sed attendendum, quod loco spinarum ponuntur; filiae sunt, eo quod ex semine Christiano generantur; spinae sunt, eo quod foris a Dei Paradiso, hoc est, extra catholicam Ecclesiam nutriuntur; et hoc non lectura sensus nostri, sed Scripturae divinae auctoritate probatur, dicente Salomone (4): *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Ergo ne magnum vobis videretur, quod haereses dixerit filias, continno eas numerat esse spinas; haereses, inquam, aut in aliquem angulum mundi, aut in unam gentem inveniuntur versa-

(1) Psalm. 4. (2) Genes. 12., et 20. (3) Prov. 31. (4) Cant. 11.

ri. Ecclesia vero catholica, sicut per totum mundum tenditur, ita et omnium gentium societate constituitur. Recte ergo haereses in cavernis, quibus latent, congregant ex parte divitias. Ecclesia autem catholica in specula totius mundi locupletata supergreditur universas.

4. Exulta ergo, et laetare Ecclesia Dei; gaude, et consurge unum corpus Christi; induere fortitudine, et jubila exultatione; quoniam tui moerores in gaudium sunt mutati, tristitiae habitum in amictum laetitiae versum est. Ecce repente oblita sterilitatis, et paupertatis tuae uno partu populos innumeros genuisti Christo tuo. Nam dispendiis tuis proficis, tuoque damno subcrescis; tantus denique est sponsus tuus, cujus imperio regeris, ut dum te patiatur depraedari ad modicum, rursum praedam tuam ad te reducat, et hostes tuos tibi conquirat. Sic autem agricola, sic piscator, dum lucra attendit futura, quae seminat, et quae amodo incesserit, non imputat damna. Tu proinde jam ne fleas, ne lugeas temporaliter, quosdam recessisse a te, quos cernis cum magnis lucris rediisse ad te.

5. Exulta ergo fidei confidentia, et tui capitis merito, fide esto robusta; dum quae recolis olim repromissa, nunc cernis fuisse completa. Ait enim in Evangelio ipsa Veritas (1), *Oportebat Christum mori pro gente*. Et non tantum pro gente, sed *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*. Tu profecto in psalmis proclamas odientibus pacem dicens (2): *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in unum*. Et rursum (3), *In conveniendo populos in unum, et regna, ut serviant Domino*. Quam dulcis sit charitas, quam delectabilis unitas, non nesciens, per prophetica vaticinia, per evangelica oracula, per apostolica documenta, nonnisi connexionem gentium praedicas, nonnisi unitatem populorum suspiras, nonnisi pacis, et charitatis bona disseminas.

(1) Joan. 11. (2) Psalm. 33. (3) Psalm. 101.

6. Laetare ergo in Domino, eo quod non sis fraudata desiderio tuo; nam quos tanto tempore, gemitu teste, et oratione continua concepisti, nunc post glaciem, post hyemem, post duritiam frigoris, post austeritatem nivis, velut jucunditatem agrorum, frugem, et laetos verni (1) flores, vel adridentes vinearum stipitibus palmites repente in gaudio peperisti.

7. Ergo, fratres, tota charitate animi exultemus in Domino, et jubilemus Deo salutari nostro. Hoc de cetero per ea, quae jam sublata sunt, ea, quae adhuc expectantur implenda, vera esse credamus. Quae enim praefata sunt, Domino dicente (2), *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me* (3) *adducere, ut sit unus grex, et unus Pastor*; ecce contuemur fuisse completa. Pro qua re non dubitemus totum mundum posse in Christo credere, atque ad unam Ecclesiam convenire. Quoniam rursus ipso testificante didicimus in Evangelio (4): *Et praedicabitur*, inquit, *hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc*, inquit, *veniet consummatio*.

8. Si ergo remansit pars aliqua mundi, vel gens barbara, quam fides non irradiaverit Christi; profecto credituram, atque in unam Ecclesiam esse venturam, nullo modo dubitemus, si ea, quae Dominus dixit, vera esse putamus. Ergo, fratres, reposita est loco malignitatis bonitas, et errori occurrit veritas; ut quia superbia linguarum diversitate ab unione gentes separaverat (5), eas rursus gremio germanitatis colligeret charitas, et quemadmodum unus possessor est totius mundi Dominus, ita (6) ut possessionis ejus esset unum cor, et animus unus (7): *Pete a me*, (ait) *et dabo tibi gentem haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae*. Propterea ex uno homine propagatum est

(1) f. veris
(2) Joann. 10. Mat. 28. Marc. 16. Luc. 24.
(3) Al. ad me exc.
(4) Matth. 24.
(5) Genes. 11.
(6) et exc.
(7) Psal. 2. Gen. 2.

omne hominum genus, ut qui ex uno illo procederent, unum saperent, unitatem quaererent, et diligerent.

9. Ordo ergo naturalis exposcit, ut qui ex uno homine trahunt originem, mutuam teneant charitatem; nec dissentiant a fidei veritate, qui non disjunguntur naturali propagine. Haereses vero, et divisiones e fonte manant vitiorum; unde quisquis ad lenitatem (1) venit, ex vitio ad naturam redit; quia sicut naturae est fieri ex pluribus unitatem, sic est vitii, fraternitatis declinare dulcedinem. Erigamur ergo tota mente in gaudio, ut quia gentes studio decertandi perierant, sibimet in amicitiam Christus unam Ecclesiam procuret, in qua eas rursus reduceret concordia charitatis.

10. De hac profecto Ecclesia vaticinatur Propheta dicens (2): *Domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus*. Et iterum: *Erit*, inquit, *in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes; et ibunt populi multi, et dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob*. Mons enim Christus est, et domus Dei Jacob una Ecclesia est ejus, ad quam et gentium concursum, et populorum pronunciat confluere conventum. De qua rursum alio loco dicit Propheta (3): *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est, et ambulabunt*, ait, *gentes in lumine tuo, et Reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, et venerunt tibi; et aedificabunt*, inquit, *filii peregrinorum muros tuos, et Reges eorum ministrabunt tibi*.

11. Qui ut notesceret, quae ventura essent genti, vel populo, quae ab unius Ecclesiae communione recidissent, sequutus est (4): *Gens enim, et regnum, quod non servierit tibi, peribit*. Alio denique loco similiter ait: *Ecce, gentem, quam nesciebas, vocabis; et gentes, quae non cognoverunt te, ad te current*. Unus enim est Christus Dominus, cujus est una

(1) Ad unitatem. (2) Esa. 2. (3) Esa. 60. (4) Esa. 55.

per totum mundum Ecclesia, sancta possessio; ille igitur caput, et ista corpus, de quibus in principio Genesis dicitur (1): *Erunt duo in carne una*; quod Apostolus in Christo intelligit, et in ecclesia (2). Dum ergo ex omnibus gentibus unam vult Christus habere Ecclesiam, quicumque extraneus est ab ea, licet Christi nomine nuncupetur, Christi tamen corporis compage non continetur. Haeresis enim, quae respuit catholicae Ecclesiae unitatem, eo quod adulterino amore diligat Christum, non uxoris, sed concubinae obtinet locum. Quoniam revera duos dicit Scriptura esse in carne una, videlicet Christum, et Ecclesiam; quo locum meretrix nullum invenit tertium (3): *Una est enim*, ait Christus, *amica mea, una est sponsa mea, una est genitricis suae filia*. De quo item eadem Ecclesia pronunciat, dicens: *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi*.

12. Quaerant nunc haereses, a quo constuprentur, vel cujus sint prostibulum factae, quoniam ab immaculato toro recesserunt Christi: a quo quanto pretiosam esse novimus copulam charitatis; tanto Deum hac celebritate laudemus; quod gentes, pro quibus sanguis fusus est Unigeniti sui, non passus est extra unum ovile Diaboli dentibus devorari. Lugeat igitur veternosus praedo suam praedam amisisse, quia impletum videmus, quod Propheta vaticinante audivimus (4): *Equidem*, inquit, *haec (5) captivitas a forti tollitur* (6), *et quod ablatum fuerat, a robusto salvatur* (7). Parietem enim discordiae, quem fabricaverat Diabolus, pax Christi destruxit, et domus, quae divisione in mutuam certabat caedem, uno jam Christo lapide angulari conjungitur. Dicamus ergo omnes: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis*. Nullum enim praemium charitati compensatur. Inde omni gaudio praeponitur, quia et charitas facta est, quae omnium virtutum obtinet principatum. Superest autem,

(1) Gen. 2. (2) Ad Eph. 5. (3) Cant. 6. (4) Esa. 49. Esa. 28. Rom. 9. Pet. 1. c. 2. Luc. 2.

(5) Et *alias* (6) Tolletur. *alias*. (7) Salvabitur. exc.

ut unanimiter unum omnes regnum effecti tam pro stabilitate regni terreni, quam felicitate regni caelestis Deum precibus adeamus; ut regnum, et gens, quae Christum glorificavit in terris, glorificetur ab illo non solum in terris, sed etiam in caelis. Amen.

§. III.

Specimen officii recitandi in festo Conversionis gentis Gothorum in Concilio III. Toletano.

Die 8. Maji. Festum Conversionis gentis Gothorum ab haeresi Ariana, in honorem SS. Trinitatis.

Omnia in officio, et missa prout in die festo SS. Trinitatis praeter ea, quae hic habentur propria.

Ad vesp.= Carmen antiqui memor usque doni
Pendat Hispanus Triadi supernae,
Caelitum plaudat recinens ab alto
Aethere coetus.
Natio late dominans Gothorum,
Labe doctrinae maculata, demum
Novit errorem, recipitque toto
Pectore Christum.
En dies clari redeunt, novumque
Lumen, Hispana regione cedit
Haeresis frendens, nigra luctuosae
Noctis imago.
Sic, noto nubes removente, solis
Fulgurat vultus, zephyro tepenti
Sic hyems terris fugit, et renidet
Floridus annus.
Gloriam Patri repetamus, omni
Natus aequalis celebretur aevo,
Has ferat laudes ab utroque manans
Nexus amoris.

Ad mat. = Patris elusa feritate, vectus
Jam triumphali super astra curru,
Lucis aeternae capiebat auras
Hermenegildus.
Non tamen charae patriae, nec ille
Fratris oblitus, roseum cruorem
Exhibet Christo, Fideique semen
Crescere poscit.
Annuens votis Deus excitavit
Praeditum magnis meritis Leandrum,
Tota gens cujus sapiente dextra
Ducta regatur.
Ut poli sedes, meliusque regnum
Maryrem Regem docuit subire,
Sic parem cura, studioque fratrem
Format alumnum.
Laetus huic aequam Recaredus aurem
Praebuit, tanto docilis magistro,
Mente doctrinam bibit, aureosque
Pectore mores.

Lectio IV.

Postquam Hispania sub Gothorum imperium cecidit, Ariana haeresis ab eis invecta miserabiles strages edidit. Huic nefariae sectae Leovigildus Rex addictus cum multa alia in Catholicos perpetravit, tum filium Hermenegildum magnae spei juvenem, et orthodoxae fidei praeceptis a S. Leandro imbutum crudeliter occidi jussit, quod de Arianorum manu Communionem accipere recusaret. Subinde cum pater innocentis filii vitam sanctissime actam animo revolveret, Recaredum, alterum filium, ejusdem Leandri disciplinae tradidit, ut ex ea schola talis prodiret Recaredus, qualis prodierat Hermenegildus. Nec fefellit eventus. Nam indefessi Praesulis institutionibus adeo profecit Recaredus, ut rerum

potitus populos omnes sibi subjectos, non vi, et minis, sed ratione, et persuasionibus ad Ecclesiam catholicam traduxerit. Itaque Concilium Toleti congregari voluit, quo Ariana haeresis palam ejurata damnaretur.

℟. Tunc acclamatum est in laudibus Dei, et in favore Principis ab universo Clero. Gloria Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto. * Cui cura est pacem, et unitatem Ecclesiae suae sanctae catholicae providere.

℣. Gloria Deo nostro Jesu Christo, qui pretio sanguinis sui Ecclesiam catholicam ex omnibus gentibus congregavit. Cui cura.

Lectio V.

Episcopi catholici sexaginta duo ad celebrandum Concilium convenerunt, quod inter Toletana tertium ordine est, et magnam semper venerationem habuit. In primis Recaredus Patres adhortatus est, ut vigiliis, jejuniis, accensisque apud Deum precibus sese compararent ad ecclesiasticam disciplinam iniquitate temporum collapsam statutis legibus instaurandam. Deinde gravi, et efficaci oratione, in qua mirifici pietatis sensus emicabant, immortales gratias Deo egit, et incredibili gaudio se exultare dixit, quod divino auxilio adjutus non solum gentem suam, sed Suevos quoque paulo ante in suam ditionem redactos, alieno aberrantes vitio, ad veritatis viam, et Ecclesiae unitatem revocasset. Praeclare demum peroravit, cum populos conversos Episcoporum diligentiae commisit, asserens, aeternam hanc sibi fore coronam, si quos ipse ad fidem adduxerat, in ea fundati, optimeque constituti Episcoporum vigilantia permanerent. Hac habita oratione piissimus Rex ante Episcopos, tamquam ante conspectum Dei, ut dixit, consistens formulam Fidei a se subscriptam protulit, qua doctrina catholica de sanctissima Trinitate continebatur.

℟. Gloria Deo nostro Jesu Christo, qui tam illustrem gentem unitati verae Fidei copulavit, et unum gregem, et

unum Pastorem instituit. * Cui a Deo aeternum meritum, nisi vero Catholico Recaredo Regi? ℣. Cui a Deo aeterna corona, nisi vero orthodoxo Regi? Cui.

Lectio VI.

Insignem religiosi Principis pietatem universum Concilium laetis, faustisque acclamationibus excepit, quas multae deinde Synodi sunt imitatae. Ariani Episcopi, aliique Proceres exemplum Regis sequuti professionem Fidei pariter subscriptam obtulerunt. Quibus peractis, multa sancte, et utiliter in Concilio stabilita sunt, sed illud potissimum Recaredi consilio, et suasione, ut in missae sacrificio symbolum Fidei more Ecclesiae orientalis clara voce diceretur; qua nulla in Ecclesia occidentali antiquior memoria extat symboli in missae solemniis recepti. S. Leander luculentam homiliam habuit, qua omnium animos ad laetitiam, et ad diem festum celebrandum excitavit, magnopere cohortans, ut pro regis, regnique temporali felicitate, aeternaeque gloriae consecutione divinam majestatem deprecarentur.

℟. Ipse novarum plebium in Ecclesia catholica conquisitor. * Ipse mercatur veraciter apostolicum meritum, qui apostolicum implevit officium. ℣. Ipse sit Deo, et hominibus amabilis, qui tam mirabiliter Deum glorificavit in terris praestante Domino nostro Jesu Christo. Ipse. Gloria. Ipse (*a*).

(*a*) Nihil est in lectionibus affirmatum, nisi ex Concilio III. Toletano, auctoribusque probatissimis depromptum, quod supervacaneum est pluribus velle demonstrare, cum obvii fontes cuilibet pateant. Responsoria, et versiculi ex puris, putis verbis, et acclamationibus Episcoporum constant, quorum auctoritate idoneum quaesitum est illis patrocinium. Neque hujusmodi laudes ab ecclesiastico officio sunt alienae. In festo Orthodoxiae, sive extinctionis haeresis Iconoclastarum apud Graecos legitur in Oda I. *Hodie Dei nutu, et voluntate triumphat Ecclesia Regibus nostris Michaele, atque Theodora pie Fidem vindicantibus*. In Oda II. *Laudemus Christum, qui nobis Reginam constituit piam amatricem Christi una cum germine a Deo coronato*. In Oda VI. *Veteris splendoris decorem*

Lectio VII.

Ex Homilia S. Leandri Episcopi ad Patres Concilii III. Toletani (a).

Festivitatem hanc omnium esse solemniorem festivitatum novitas ipsa significat. Quoniam sicut nova est conversio tantarum plebium causa, et nobiliora sunt solito Ecclesiae gaudia: nam multas solemnitates per anni discursum celebrat Ecclesia, in quibus tametsi habet gaudia consueta; nova vero sicut in hac non habet; taliter enim gaudet de rebus semper possessis, aliter de lucris magnis his nuper inventis. Pro qua re et nos majori-

adeptus est Christianus populus nutu Theodorae Reginae, ejusque filii pii Michaelis Imperatoris. In Oda VII. *E prioris haereseos caligine liberati nutu Theodorae dignissimae Reginae canimus. Benedictus es Domine*. In Oda VIII. *Illustra, misericors, divina gloria tua Reges nostros, atque Angelicis praesidiis, et armis eos protege, subjiciens illis, Domine, gentium audaciam*. Omitto alia ex hoc, et ex aliis locis: haec, quia nostris simillima sunt, libenti animo decerpsi. Nolim tamen Recaredum cum Michaele Imperatore conferri: nam hic post Iconoclastarum errorem eversum vitam gessit magis exetrandam, quam laudandam.

(a) Cum Evangelium SS. Trinitatis ex cap. 28. Matthaei depromptum conversionem omnium gentium attingat; *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*; aptissime ad illud accommodari potest homilia S. Leandri, quae in eodem argumento versatur. Affectam jam, ac, quantum in me situm est, absolutam hanc Appendicem cum haberem, ex cl. Thoma Belon, qui primus hujus consilii auctor extitit, audivi, se quoque, ut idem persuaderet, in sua *Ecclesia Gothica illustrata* elaborare. Hoc opus ut quantocius prodeat in lucem, votis omnibus expetendum est, tum ut antiquitates Ecclesiae Gothicae ab eruditione, et judicio, quo auctor pollet, singulari novum splendorem accipiant, tum ut, si quid huic meae diatribae deerit, (deerunt autem multa,) ex validioribus ejus rationibus suppleatur, quo facilius omnes ad eandem sententiam amplectendam excitentur. Sane non modo facile paterer, sed etiam guaderem, has meas nugas, quas tertium jam in annum pressi, a praestantioribus praeveniri.

bus gaudiis elevamur, quia repente novos Ecclesiarum parturisse populos intuemur, et quorum asperitatem quondam gemebamus, de eorum nunc gaudemus credulitate. Ergo materia gaudii nostri tribulationis praeteritae occasio fuit. Gemebamus, dum gravaremur; sed gemitus illi id egerunt, ut hi, qui per infidelitatem nobis erant sarcina, fierent nostra per suam conversionem corona.

Lectio VIII.

Exulta ergo, et laetare Ecclesia Dei; gaude, et consurge unum corpus Christi; induere fortitudine, et jubila exultatione, quoniam tui moerores in gaudium sunt mutati, tristitiae habitum in amictum laetitiae versum est. Ecce repente oblita sterilitatis, et paupertatis tuae uno partu populos innumeros genuisti Christo tuo. Nam dispendiis tuis proficis, tuoque damno subcrescis; tantus denique est Sponsus tuus, cujus imperio regeris, ut dum te patiatur depraedari ad modicum, rursum praedam tuam ad te reducat, et hostes tuos tibi conquirat. Sic autem agricola, sic piscator, dum lucra attendit futura, quae seminat, et quae amodo incesserit, non imputat damna. Tu proinde jam ne fleas, ne lugeas temporaliter quosdam recessisse a te, quos cernis cum magnis lucris rediisse ad te.

Lectio IX.

Ergo, fratres, tota charitate animi exultemus in Domino, et jubilemus Deo salutari nostro. Parietem enim discordiae, quem fabricaverat Diabolus, pax Christi destruxit, et domus, quae divisione in mutuam certabat caedem, uno jam Christo lapide angulari conjungitur. Dicamus ergo omnes: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Nullum enim praemium charitati compensatur. Inde omni gaudio praeponitur, quia et charitas facta est, quae omnium virtutum obtinet principatum. Superest autem unanimiter unum omnes regnum effecti tam pro stabilitate regni terre-

terreni, quam felicitate regni caelestis Deum precibus adeamus, ut regnum, et gens, quae Christum glorificavit in terris, glorificetur ab illo non solum in terris, sed etiam in caelis. Amen.

Ad laud.= Ut Gothus labem sceleris vetusti
Eluat, tendens ad ovile Christi,
Ampla Toleti recipit vocatos
Regia Patres.
Parte concurrunt Proceres ab omni,
Qui Pyrenaeos tenuere saltus,
Quos ab extremis mare fabulosum
Discidit Afris.
Hic Duces coetus utriusque rite
Haeresim damnant, praeeunte Rege,
Tresque Personas profitentur, unum
Numen adorant.
Et Fidem sanctis monitis Leandri
Adstruunt, quam nec male sanus unquam
Error, aut longo spatio recurrens
Auferat aetas.

APPENDIX II.

BREVIARII QUIGNONIANI FATA.

§. I.

Historia Breviarii a Cardinali Francisco Quiñones confecti exponitur.

Saepe in *Dissertatione de Hymnis Ecclesiasticis*, et in *Hymnodia* mentionem Breviarii a Cardinali Francisco Quignones concinnati, cum occasio tulit, injeci; sed properanti multa praetermittenda fuerunt, neque omnia certe, quia ad

variam ejus breviarii fortunam pertinent, illuc inferri commode poterant. Spero autem, multis gratum me esse facturum, si in hac altera *Appendice* accuratius, et enucleatius, quam ab ullo hactenus tentatum noverim, totam hanc historiam exposuero, et nobilem hunc Hispanum, celeberrimum breviarii Romani reformatorem, vindicavero. Ita vero rem peragam, ut plura nova afferam; ea, quae in locis allegatis satis explicata sunt, leviter attingam; quae autem ibi indicata sunt tantum, fusius explanem. Vitam, aliaque gesta Cardinalis Quignonii persequuntur Wadingus in *Annalibus Minorum*, et in *Catalogo Scriptorum* sui Ordinis, Davila in *Theatro ecclesiastico Cauriensis Ecclesiae*, Nicolaus Antonius in *Bibliotheca nova Hispana*, et uberius Ciaconius cum Auctario in *Vitis Cardinalium*, et Oldoinus in *Vitis Cardinalium Scriptorum*, qui plures alios Quignonii laudatores allegat. Nobis satis sit memorare, fuisse eum Legionensem, filium Didaci Fernandez de Quignones, Comitis primi de Luna, et Joannae Henriquez, filiae Henrici comitis de Alva-de Liste: Religionem Franciscanorum ingressum, laudabiliter docendi, et gubernandi munera explevisse, renunciatum Burgis anno 1522. Generalem Ministrum. A Carolo V. ad Clementem Pontificem VII. missus, et inde ad Carolum regressus adeo prudenter periculosissimis temporibus se gessit, ut operam suam Caesari, et Pontifici valde probaverit, ab hoc purpura donatus, qua propter singularem virtutem, ac doctrinam, dignus ante obitam legationem censebatur.

2. Jam pridem de novo breviario, et quidem breviori conficiendo cogitatum fuerat, *ut num.* 148. *Dissertationis* §. *XXV.* observavi, adductis verbis, quae in fronte operis Zachariae Ferrerii anno 1525. editi legebantur. *Breviarium Ecclesiasticum ab eodem Zacharia Pontifice longe brevius, et facilius redditum, et ab omni errore purgatum propediem exibit*. In nota margini apposita *Biblioth. Ecclesiast. Schultingii tom.* 4. *parte* 2. *sectione de poetis piis, et sacris*

asseritur, Ferrerium ante suos hymnos promisisse breviarium *carmine* longe brevius, et facilius redditum; quod falsissimum est, cum nulla mentio *carminis* habeatur in fronte operis, ubi breviarium facilius promittitur. Igitur cum Ferrerius nescio quo casu ad exitum breviarii reformationem non perduxisset, Clemens VII. Francisco Quignonio inter Cardinales anno quidem 1527. electo, sed anno 1529. declarato, negotium dedit, ut novum, commodiusque breviarium conficeret: quod auctor ipse narrat in praefatione ad Paulum III.: *Quibus rebus animadversis*, inquit, *felicis recordationis Clemens VII. Pont. Max. quum intelligeret, officii sui esse cum aliorum Christianorum commoditatibus prospicere, tum in primis clericorum, quibus ministris uteretur in commisso sibi grege administrando, me hortatus est, negotiumque dedit, ut quanta cura, et diligentia niti possem, preces horarias ita disponerem, et ad veterem illam formam, quoad fieri posset, redigerem, ut difficultatibus, dispendiisque sublatis, nec a summa rationis olim ab antiquis, sanctisque Patribus institutae discederetur, nec rursum clerici ab officio precandi deterrerentur. Quam ego provinciam libentissime suscepi, simul ut Christi Vicario honestissime praecipienti parerem, simul ut bono publico pro mea virili parte servirem*. Hoc breviarium Clementis VII. sive hortatione, sive jussu inchoatum, sub Paulo III. absolutum est, et hujus Pontificis voluntate editum. Id testatur ipse Quignonius in eadem praefatione ad breviarium anno 1536. Romae vulgatum, cujus est titulus, *Ad sanctissimum Patrem, et Dominum nostrum Paulum III. Pontificem Maximum Francisci Quignonii tit. sanctae Crucis in Jerusalem Presbyteri Cardinalis in Breviarium proxime confectum, ac denuo recognitum Praefatio*. Incipit autem, *Breviarium Romanum nuper a nobis felic. record. Clementis VII. Pontificis Maximi hortatu confectum, ac potius in ampliorem sacrarum Scripturarum lectionem ad veterem sanctorum Patrum, et Conciliorum antiquorum formam revocatum, tuaque voluntate, sanctissime Pater, editum, graves plerosque, ac*

doctos viros ita probasse, et recepisse intellexi, ut nihil in eo mutandum existimarent.

3. Ex his perspici licet, non esse hanc primam breviarii Quignoniani editionem, ut multi affirmant, et alii innuere videntur, sed praecessisse aliam anno 1535., aut 1534., quo Pontifex electus est Paulus III., peractam. Hanc primam editionem caruisse antiphonis, quae in reliquis omnibus editionibus apparent, a Doctore Navarro Martino Azpilcueta edocemur *de Oratione, et Horis Canonicis cap.* 19. *n.* 203.. *Probabilior tamen esset* (novi breviarii ordinatio) *si quoad, Te Deum, Pater noster, et hymnos laudum provideretur, ut in editione posteriori provisum fuit quoad antiphonas, sine quibus prima prodierat.* Et iterum *cap.* 21. *num.* 206.. *Quinimmo non sufficeret facultas expressa recitandi Romanum per* BREVIARIVM NOVUM *ad recitandum per breviaria prima, quae antiphonis carent, licet nonnulli sed male contra faciant, si facultas facta fuit post editionem breviariorium habentium illas, ut super his omnibus non semel interrogatus respondi* (a). Cl. Franciscus Zacharias *Lib. I. cap. IV. num. IV. Bibliothecae Ritualis, Antequam*, inquit, *liber e Romanis praelis exiret, ejus exemplum Parisios delatum fuerat; notae enim sacrae Facultatis annum* 1535. *praeseferunt.* Loquitur de notis censurae Facultatis Parisiensis, quas a se inspectas refert Richardus Simonius *tom.* 1. *Epist. Select. epist.* 27. *pag.* 241.. Sed potius inferre debuit, breviarium Quignonii typis vulgatum fuisse ante annum 1536., prout ex praefationis relatae initio colligitur, et manifestius ex iis, quae subjunguntur in ea praefatione, quam *luculentam* vocat, et fere integram excribit Zacharias. *Alios itidem animadverti graves etiam, et prudentes homines, qui ejus* (Breviarii editi) *rationem magnopere probantes, nonnihil tamen in eo desiderari affirmarent. Illud ve-*

(a) Hanc Editionem anni 1535. non solum rarissimam, verum etiam nunc plerisque ignotam tandem a me visam, fuse describam, cum breviarii totam historiam absolvero.

ro nunquam dubitavi, fore in tanta multitudine nonnullos, ex iis videlicet, qui in diverso precandi ritu consenuissent, quibus labor ille noster non esset perinde gratus, existimantibus ab inveterata illa consuetudine precandi nulla ratione clericis esse discedendum. Immo vero nobis PRIMAM EDITIONEM *breviarij non tamquam promulgationem legis esse placuerat, sed quasi* PUBLICAM QUAMDAM DELIBERATIONEM, *ut sic proposita nostra sententia, judicia multorum exquireremus etc.*

4. Quin etiam ex eadem praefatione constat, Cardinalem in prima editione aliquam breviarii reformati rationem reddidisse. *Itaque*, ait, *multorum sententiis collatis, quae nobis partim vocibus, partim scriptis innotuerunt, judicium eorum sequuti, qui omnium prudentissime sentire visi sunt, libenter quaedam addidimus, alia mutavimus, et omnia diligenter recognovimus, retenta tamen summa forma breviarii. Sed quoniam sic fert natura rerum, ut nihil sit tam rectum, nihil tanta ratione in vitam, usumque hominum inductum, cujus novitas non sit aliquibus ingrata, non temere facturi esse videmur, si rationem totius instituti nostri, a nobis* PRIUS SUMMATIM REDDITAM, *nunc accuratius recognito breviario, paulo latius explicabimus*. Prodiit igitur breviarium Quignonianum anno 1534., aut sequenti, cui, ut videtur, praefixus fuit titulus in posterioribus editionibus retentus, *Breviarium Romanum ex sacra potissimum scriptura, et probatis Sanctorum historiis collectum, et concinnatum.* Jacobus Gaudinus in libello *Assumptionis Deiparae vindicatae* in medium producit ipsam censuram Parisiensem contra breviarium Quignonii, ut in ea asseritur, *nuper editum, et promulgatum*, quae lata dicitur anno 1534. Argui inde poterat, breviarium typis Romanis anno 1534. prodiisse; sed verius puto, annum 1534. excidisse pro anno 1535., ad quem ceteri referunt censuram: nam Paulus III. prope finem anni 1534. ad Cathedram Pontificiam evectus est. Quare si Facultas theologica Parisiensis mense Julio, ut fertur, judicium suum pronunciavit, differri illud debet ad annum 1535. Dicat fortasse aliquis, vocem *Editionis*,

et *Promulgationis* sub id tempus nondum ita fuisse restrictam, ut liber *editus* necessario intelligeretur *typis impressus*. Verum id quidem est; sed praeterquam quod difficile est factu, potuisse sine typorum auxilio multorum judicia tam brevi tempore exquiri, quod prima editione voluit Cardinalis, Breve Pauli III., cujus verba mox adducam, die 5. Februarii 1535. datum est, quo conceditur facultas *imprimendi*, et vendendi hoc breviarium, atque adeo hoc eodem anno prima ejus impressio est figenda. Postquam prudentium, graviumque virorum diversa judicia, et censuram Facultatis Parisiensis Cardinalis expendit, edidit denuo anno 1536. eadem forma breviarium recognitum, quibusdam etiam additis, aliisque mutatis. Hanc secundam editionem aliae secutae sunt. In primis Parisiensis eodem anno 1536., quam omisit Zacharias *in Biblioth. Rit.*, et quam se vidisse testatur Claudius Jolyus *in Dissertatione de verbis Usuardi in festo Assumptionis pag.* 93., a Joanne Parvo, et Yolanda Bonhomme litteris Gothicis conscripta *in* 8., cui annexum est Breve Pauli III. *die* 5. *Februarii* 1535. datum. Hoc Brevi, ut refert Jolyus, commendatur breviarium Quignonii, quod in eo, *Vetus, et novum Testamentum quotidianis lectionibus ita distributum esset, ut annis singulis totum fere a legentibus reperiretur absolutum*, et conceditur facultas *illud* IMPRIMENDI, *vendendi, et singulis clericis ac presbyteris secularibus recitandi ita ut ad veteris officii secundum usum Curiae, vel alterius Ecclesiae, quod tunc in usu habebatur, recitationem minime tenerentur, dummodo specialem super hoc licentiam a Sede Apostolica obtinuissent*. Donius d' Attichy Episcopus Æduensis *Flor. Histor. Cardinal. ad annum* 1527. operam a Cardinali Quignonio in precibus horariis ordinandis praestitam mirifice approbans innuit, se quoque vidisse diploma Pauli III., quo Privilegium *inprimendi* breviarii continebatur. Nec dubito, quin istiusmodi Breve primae editioni Romanae praefixum fuerit, in editionibus Italicis, et Lugdunensibus, quas vidi, omissum est. Illis editionibus successerunt Veneta typis Lucae An-

tonii Junctae in 8. an. 1538., Antuerpiensis eod. an. 1538., Lugdunensis eod. an. 1538., Parisina 1539. in 16. apud Yolandam Bonhomme viduam Thielmanni Kerver in Bibliotheca Casanatensi, Lugdunensis anno 1540., Parisiensis 1542., Lugdunensis 1542., quam in Indice Bibliothecae Barberini video citari, Lugdunensis 1543. in 8. ex Jolyo, quam ego etiam Romae vidi in Biblioth. PP. Hispanorum SSmae Trinitatis in via Aquaeductuum. In fronte notatur: *Cum Privilegio summi Pontificis, et Regis Galliarum*. In fine *Joannes Barbous excudebat*; Veneta apud Haeredes Junctae anno 1543., Lugdunensis anno 1544. per Balthasarem Arnoullet in 4. Papal. in Bibliotheca Corsinia, Parisiensis anno 1545. apud Kervel in 12., Veneta ad signum Agnus Dei in 8. anno 1646., Parisiensis in 8. anno eodem 1546., Lugdunensis in 8. anno itidem 1546. a Theobaldo Pagano procurata, Veneta apud Junctas anno 1547. in 4. a me visa apud cl. Giovenazzium, Lugdunensis ejusdem Theobaldi anno 1548. in 8. quam vidi in Bibliotheca Angelica, Lugdunensis e Petri Fradinii Typographio anno 1550., Lugdunensis anno 1552. a Pagano proposita cum Privilegio Regis, ubi Simonius affirmat legi, *Joint la correction, et examen de Matthieu Ory Docteur en Theologie, Inquisiteur General de la Foi, avec aussi l'approbation de la Sorbone*; Lugdunensis 1553. in 12. per Bartholomaeum Fraenum, quam in Bibliotheca Imperiali reperi, Lugdunensis an. 1556. in 8., et in fol., Lugdunensis anno 1557. apud Haeredes Blasii Guidonis, Antuerpiensis in 8. cum argumentis in psalmos, indice ad Epistolas, et Evangelia, quae in missa leguntur, invenienda, VII. psalmis, et officio mortuorum ex officina Christophori Plantini 1561. in Biblioth. Casanatensi, Antuerpiensis iterum in 8. in Aedibus Jo: Steelsii 1563. in Bibl. Casanatensi, Veneta apud Junctas 1563. in 8., Antuerpiensis 1566. in 8.. Has editiones e Catalogis Bibliothecarum, ac testibus oculatis recenset laudatus Zacharias, quibus addidi a me visas, et indicatas, quarum postremam ex Jolyo desumpsi. In catalogo Bibliothecae Bodlejanae vidi adscriptam

editionem breviarii Quignoniani Lugdunensem anno 1556. *per Matth. Ori*: quam non puto diversam ab ea, quam eidem anno supra assignavi. Mendose tamen scribitur *per Matth. Ori*, cum Matthaeus Ory solum in examen breviarium revocaverit, et correxerit. Erat enim Inquisitor Generalis Fidei in Gallia; quod olim munus ad examen, et emendationem librorum concedebatur. In *Exercitationibus scholae liturgicae* collegii Romani anno 1751. editis *Exercitat.* 9. lego, breviarium Quignonianum tam uno volumine, quam in quatuor distributum typis multoties fuisse excusum; editas separatim Horas, quarum exemplar apud se habebat auctor Exercitationum Azevedus. Quid ex tot editionibus arguere liceat, postmodum explicabo.

5. Placet enim mihi prius inquirere, quo pacto haec omnia, quae hactenus certa, et explorata esse videntur, cohaerere possint cum narratione, quam Antonius Caracciolo *in Vita Ms. Pauli IV.* circa confectionem novi breviarii sub Clemente VII. excogitatam contexuit. Memini me hanc vitam ex fide Benedicti XIV. *in Dissertatione* allegasse *num.* 149. Exinde ejus legendae copiam in Bibliotheca Excmae Domus de Alteriis perhumaniter mihi Praefectus ejus cl. Giovenazzius fecit. Codex ita inscribitur. *Vita e gesti di Gio: Pietro Carafa, cioè di Paolo IV. Pontefice Massimo, raccolti dal P. D. Antonio Caracciolo. Copiata anno* 1633. Is auctor *lib.* 2. *cap.* 7. refert, Clementem VII. Episcopo Theatino, ac sociis mandatum dedisse, ut novum breviarium, missale, et officium B. Virginis concinnarent. *Ordinò anche Papa Clemente* (VII.) *al Vescovo Theatino per la molta confidenza, che aveva in lui, e agli altri nostri Padri, che volessero formare un nuovo breviario, messale, ed offizio della Madonna, e dava loro facoltà d' adoprarlo, e di farne pruova, e però li mandò un Breve spedito a* 21. *di Gennaro del* 1529. *e frà tanto gli esimè da ogni obligo di dire altro offizio, secondo il comune breviario, che allora correva.* Pergit Caracciolus, diligentiam suorum Majorum maximopere commendans. *Perciò il Vescovo Theatino, ed altri nostri Padri,*

Padri, come i più riformati del Clero, ed intendentissimi de' riti ecclesiastici cominciarono a fare il detto breviario, riponendovi gli antichi riti, e l' antiche Lezzioni, ed homilie de' SS. Padri, e levandone via l' historie apocrife, le rubriche intrigate, e molte Homilie d' autori Eretici, e dannati, come d' Origene, Eusebio, Emiseno, ed altri simili.

6. Quid ergo causae esse potuit, cur Clemens VII. Quignonio hoc ipsum negotium reformandi breviarium commiserit? aut cur Clericorum Regularium Theatinorum tam egregiis coeptis non faverit? Caracciolus inconstantiam, levitatemque Pontificis temere accusat. *Mà l' instabilità, che fu così innata a Clemente VII., fè ridurre il negozio a nulla; perochè quel Papa, come bene dice il Florebello, che fu suo Segretario, non ebbe chi l' avanzasse in designare cose buone, e riforme utili per la Chiesa d' Iddio, ma li suoi disegni o non li cominciava a porre in opra, o cominciati di là a poco gli lasciava imperfetti. Il qual suo difetto fù causa di tutti gl' infelici successi del suo Papato:* Nihil vero est necesse istiusmodi vitium Clementi objicere. Etsi enim primi Clerici Theatini, religiosissimi viri, et primo fervore vigentes, Caracciolo visi fuerint, *i più riformati del Clero, ed intendentissimi de' riti ecclesiastici*; potuit tamen prudenter Pontifex ad eundem laborem Cardinalem Quignonium sibi optime notum impellere, ut e duobus breviariis, quod optimum videretur, eligeret approbandum. Quid quod Clemens VII. illo Brevi, quod Caracciolus allegat, Episcopo Theatino, ac sodalibus hanc provinciam non imposuit; sed solum eis suam operam ultro offerentibus facultatem concessit, ut certum modum recitandi, quem excogitaverant, in ordinem redigerent, examini deinde subjiciendum?

7. Ac miror Caraccioli fiduciam, qui Breve Clementinum excripserit, asserens, eo Patribus suis praeceptum fuisse injunctum, ut novum officium conficerent. An putabat, eos, qui vitam italicam Pauli IV. legerent, Breve latinum Pontificium aut non esse lecturos, aut non esse intellecturos? Perspicua sane est Pontificis narratio in citato Brevi. *Vos religio-*

nis, *et divini cultus honore*, *ac favore* (sic, melius, *fervore*) *succensi missas*, *et divina officia*, *quibus nunc S. R. Ecclesia utitur*, *ad certum modum*, *ut quidem vobis videtur*, *decentiorem*, *SSque Patrum*, *et sacrorum canonum statutis convenientiorem*, *magisque aptum profectui celebrantium*, *et devotioni audientium excogitastis*, *quem componere desideratis*, *Nobis*, *et Sedi Apostolicae postea offerendum*, *ut ex illius inspectione*, *an publico Ecclesiarum usui tradendus sit*, *decernere possimus etc.*. His postulatis benigne annuit Pontifex, sed interea experiri voluit, quale breviarium ex officina Quignonii prodiret; eoque etiam magis, quia eo ille respiciebat, ut breviarium commodius, et privatim recitantibus utilius conficeretur, quod a PP. Theatinis non sperabat, cum hi breviarium veteri longius confecerint.

8. Sed ecce iterum nova difficultas ex eodem loco Caraccioli; quippe is refert, Petrum Carafa Episcopum Theatinum in novum breviarium concinnandum incubuisse, quia breviarium Quignonianum vehementissime ei displicuit. *Restò dunque la fatiga fatta intorno al breviario in mano ai Padri nostri così imperfetta*, *e se bene il Vescovo Theatino non mancò di ricordarlo a Giberto Datario*, *scribendogli nel* 1533. *il gran bisogno*, *che la Chiesa di Dio haveva di non usare più l'antico breviario così difformato*, *ed apocrifo*, *non dimeno non giovò nulla il suo ricordo*, *e fra tanto gli uomini di poco spirito*, *e la dissoluta Corte sene erano tutti corsi al Breviario chiamato di Santa Croce fatto con molta brevità*, *e con mostruosa diversità dall' antico breviario dal Card. Quignonio*. *Dispiacque tanto il detto breviaretto agli uomini gravi*, *ed intendenti de' riti ecclesiastici*, *che moltissimi di loro non potevan mai ridursi ad adoperarlo*; *in particolare il B. Xaverio*, *come narra il Tursellino lib. X. Vitae cap.* 71. *non l' adoperò mai*, *ed il nostro Carafa l' ebbe tanto a male*, *che più tosto si risolvè di farne un suo*, *come si è detto*. Qui autem haec sibi cohaerent? Ex Brevi Clementis VII. *die* 21. *Januarii* 1529. dato manifestum est, Episcopum Theatinum, et socios novum ordinem recitandi jam excogitasse: Cardinalis Quignonius suum breviarium ante annum 1534.

non vulgaverat. Restat ergo, ut concludamus, Caracciolum in anachronismum incidisse, falsamque causam reddidisse, cur Episcopus Theatinus breviarii reformationem excogitaverit. Consule notam, quam num. 17. subjiciam.

9. Rectius fortasse aliquis conjiciet, Petrum Carafa non aequis oculis breviarium Quignonianum aspexisse, quod eo admisso suus, ac sociorum labor irritus, et ignotus permaneret. Quidquid id est, mihi quidem non probatur narratio Caraccioli, quod Episcopus Theatinus senectutem, maleque affectam valetudinem causatus dispensationem a recitatione divini officii impetravit, nequod ex breviariis, quae fuerant, erantque in usu, legere teneretur. *E tra tanto per uscir d'oblighi di dir offizij tanto goffamente compilati, come erano tutti quei, che s' adoperavano a suo tempo, veggendo ancora, che Papa Clemente non si risolveva di riformarlo, e ridurlo all'antico modo, come fu fatto da quei santi Papi, egli sotto scusa della vecchiezza, e poca salute, ma veramente per non servirsi di breviarii tanto difformati, chiese, ed accapò dal Papa d' esser' esente di dir l' Offizj, come a suo luogo diremo più giù.* Nec prodest illi exemplum S. Francisci Xaverii: nam is e duobus breviariis approbatis, aut permissis, altero recenti breviori, altero antiquo longiori, hoc illi praeferebat; quia vera pietate permotus majorem recitandi laborem defugere nolebat, non quod breviarium Quignonianum, multoque minus antiquum adeo improbaret, ut satius duceret obreptitiam dispensationem extorquere. En verba Tursellini *lib. VI. Vitae S. Xaverii cap. 5. Insignem vero ejus in hoc genere religionem fecit illorum licentia temporum. Nuper novum ternarum lectionum breviarium (sanctae Crucis dicebatur) occupatorum hominum levamen editum erat: ejusque usus Francisco propter occupationes ab initio concessus. Ille tamen quamvis ingentibus curis, negotiisque distentus nunquam permissa uti voluit licentia: vetusque breviarium novenarum lectionum haud paulo longius perpetuo recitavit.* Innuit hoc loco Tursellinus, breviarium Quignonii non potuisse a quolibet sine facultate usurpari, sed ab iis tantum, qui-

bus privatim permittebatur; quod confirmatur etiam in Vita Cardinalis Quignonii apud Ciaconium in Auctario, et apertius ex Brevi Pauli III., quod allegat Jolyus. Quod autem S. Franciscus Xaverius novum Quignonii breviarium non respuerit; ex ejus litteris ad S. Ignatium, et Petrum Codatium Vlisipone Kal. Nov. 1540. datis manifestum est, lib. 1. Epist. nov. collectore Petro Possino epistola VI.. *Opus etiam esset impetrari privilegium sex clericis arbitratu nostro communicabile utendi* BREVIARIO NOVO. *Ea res usum haberet nonnullum ad facilius alliciendos quosdam, ut nos in Indias sequi vellent*. Hujus loci Marcus Burriel in epistola ad P. Franciscum Rabago meminit, sed non eum accurate expendit. Nam referens, in praefatione breviarii Salmantini, iterum editi ante correctionem breviarii Romani, affirmari, plurimos breviario novo tunc uti, ex epistola S. Xaverii intulit, *Bien que los mas ajustados no se atrevian a usarle sin licencia particular*. Inferre potius debuit, nemini usum breviarii Quignoniani sine peculiari facultate fuisse permissum.

10 Agedum, videamus, quam fortunam breviarium Cardinalis Quignonii subierit. Statim ac Parisios delatum est, sacra Facultas Parisiensis censuram acerrimam in illud exercuit anno 1535.. Sleidanus scriptor heterodoxus Lib.IX., Quignonium vocans *Cardinalem Crucejum* a titulo sanctae Crucis; comminiscitur, Theologis Parisiensibus hoc breviarium haereticum visum fuisse: sed ex Richardo Simonio *tom. 1. Epist. select. Ep. 27. pag*, 241., qui censuram inspexerat, liquet, sacrae Facultati displicuisse, quod officium parvum B. Virginis, antiphonas, responsoria, aliaque id genus praetermisisset, neque antiquum ordinem, numerumque psalmorum servasset. *Cum autem*, ait sacra Facultas, *haec usque adeo salutaria Ecclesiae instituta in ecclesiasticis officiis a primordio ferme Ecclesiae ad haec usque tempora servata fuerint*, *mirum quonam pacto is, qui novum breviarium edidit, haec omnia rejiciat, ac rejicienda decernat, tamquam, ut inquit, nec ad pietatem, nec ad cognitionem sacrae scripturae magnopere conducant... pa-*

rum quoque sapere sobrie visus est hujusmodi scriptor, dum suam unius sententiam antiquis Patrum decretis, communi et approbato usui, ac Ecclesiae authenticis historiis minime erubuit praeferre; proinde ut quam periculosa sit, nec ferenda hujusmodi breviarii editio, cognoscant omnes operae pretium est ostendere. Nicolaus Ladvocat Billiad Doctor Sorbonicus, et Canonicus Parisiensis in libello, cui titulus, *Vindiciae Parthenicae Parisiis* 1570. §. 250. *pag.* 470. *et seq.*, contta Jolyum disputans censura Facultatis theologicae Parisiensis auctoritatem breviarii Quignoniani elevare conatur, et ex Actis initium adscribit. *Anno Domini* 1535. *die* 27. *mensis Julii congregata Facultate apud Sanctum Mathurinum ad audiendum rationes, et motiva scripta per deputatos, qui erant in magno numero, propter quae non videatur recipiendum breviarium de novo editum, et promulgatum etc.*. Et quoniam Claudius Jolyus tum in *Dissertatione de verbis Usuardi in Martyrologio Ecclesiae Parisiensis ad diem XV. Augusti in festo Assumptionis*, tum in alio libello *de Magnatum restitutionibus*, ac praesertim *in Consultatione de reformandis Horis canonicis* miris laudibus breviarium Quignonii extulerat, illum Ladvocatus refellit, primum quia non solum Facultas theologica, sed ipsa Universitas Parisiensis porrecto libello apud supremam curiam intercessit, ne in Galliae Ecclesiis novum breviarium admitteretur, deinde adductis rationibus ipsius censurae, quas singillatim explicat, et promovet. Alia verba ejusdem censurae ex Jacobo Gaudino postea proferam, ut illae rationes patefiant.

11. His, aliisque similibus argumentis facere satis conatus est Cardinalis in praefatione editionis secundae anni 1536. *Mihi enim, ut saepe sum professus, cogitanti, atque animo repetenti initia veteris instituti, quo sancitum est, ut clerici sacris initiati, vel sacerdotiis praesidentes singulis diebus perlegant horarias preces, quas canonicas etiam appellamus, tres praecipuae causae spectatae fuisse videri solent. Quarum ea prima est, quod cum ceteri homines in quaque civitate aut suum quisque negotium agant, aut in republica adminisianda sint occupati, cle-*

ricis ex eo vocatis, quod sortis Domini sint, quique bonis ecclesiasticis alantur, hoc potissimum negotium divinis, et humanis legibus est injunctum, ut Deum habere propitium in commissum sibi populum, ac de se bene merentem cunctis rationibus enitantur. Quod non solum sacrificiis efficitur, sed etiam precibus, quae a pio corde proficiscantur... Altera causa est, ut qui reliquo populo exemplo debent esse virtutis, et sanctimoniae, assidua precatione Deum alloquentes, minus opportuni reddantur tentatori diabolo... Tertia, ut religionis quoque futuri magistri quotidiana sacrae Scripturae, et ecclesiasticarum historiarum lectione erudiantur, complectanturque, ut Paulus ait, fidelem sermonem, et potentes sint exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. Et profecto siquis modum precandi olim a majoribus traditum diligenter consideret plane intelligat, horum omnium praecipuam ab ipsis habitam esse rationem. Sed factum est, nescio quo pacto, precantium negligentia, ut paulatim a sanctissimis illis veterum Patrum institutis discederetur. Nam libri Scripturae sacrae, qui statis anni temporibus legendi erant more majorum, (ut est in monumentis Gelasii Papae, et Concilii Romani 70. Episcoporum,) vix dum incoepti omittuntur in alio breviario. Tum historiae Sanctorum quaedam tam incultae, et tam sine delectu scriptae habentur in eodem, ut nec auctoritatem habere videantur, nec gravitatem. Accedit tam perplexus ordo, tamque difficilis precandi ratio, ut interdum paulo minor opera in requirendo ponatur, quam, cum inveneris, in legendo. Quid autem egerit, paulo post enarrat. *Quod ipsi animadvertentes, conditionemque temporum, et infirmitatem clericorum spectantes rationem ineumdam putavimus, ut pari propemodum labore, ut cum festum celebrabatur, sed minore, quam cum agebatur de feria, veteris testamenti magna, et utilissima pars, et totum novum praeter partem Apocalypsis, in anno, et singulis septimanis psalmi omnes perlegerentur, terni singulis horis, unius longitudine cum alterius sic compensata,*

ut labor legendi diurnus par propemodum sit omnibus diebus, sive feria sit, sive festum celebretur . . . Versiculos, responsoria, et capitula omittere idcirco visum est, non quod haec supervacanea, aut inutilia viderentur, (augent enim pietatem, et sunt Scripturae sacrae particulae,) sed quoniam cum introductae sint ad cantus potissimum modulandos, et legentes morentur cum molestia quaeritandi, locum relinqui voluimus continenti lectioni Scripturae sacrae, quae magis facit ad pietatem, atque doctrinam privatim legentium, quorum hac quidem in parte majorem rationem haberi voluimus, quam concinentium. Nec enim ad precandum cuncta utilia, et salubria congeri debent, ne clerici graventur iniquiori pondere . . . Sanctorum historiis diligenter consideratis quasdam delegimus, ex probatis auctoribus Graecis, et Latinis fere decerptas, et has cultiore stylo, non tamen fucato, sed potius ex industria, et jussu Clementis Pontificis attemperato, disposuimus per annum.

12. Parisienses Theologi his rationibus acquievisse videntur, quandoquidem breviarium Quignonianum eadem forma retenta, quibusdam additis, et mutatis in editione secunda Romana 1536., typis Parisinis prodiit anno 1536., 1539., 1542., 1545., 1546., ut supra constitit, et editionem Lugdunensem anni 1552. approbatio Inquisitoris generalis Matthaei Ory, et Sorbonae praecesserat. Confer dissertationem nostram *de Hymnis Ecclesiasticis* §. *XXV*. *p.* 125.. Mirabitur aliquis tot editiones Lugdunenses tam brevi tempore procuratas, anno 1538., 1540., 1542., 1543., 1544., 1546., 1548., 1550., 1552., 1553., 1556., *in 8.*, *et fol.*, 1557.. Atque id verti posset in laudem breviarii, quasi ad pristinum antiquitatis statum fuisset restitutum, ac propterea ab Ecclesia Lugdunensi, quae antiqui moris retinentissima est, et, ut ait S. Bernardus in Epist. 175., *in officiis ecclesiasticis haud facile unquam visa est acquiescere novitatibus*, obviis ulnis admissum. Ego vero crediderim, Lugdunenses memores opinionis sui Episcopi Agobardi contra antiphonas in Ecclesia

inductas disserentis, quam excussimus in *Dissertatione* §. *XX. num*. 109. *et seqq.*, breviario Quignoniano, a quo antiphonae, versiculi, et responsoria antiqua exulabant, tantopere favisse. Neque vero Ecclesia Lugdunensis illud admisisse inde redarguitur; ac fortasse typographis, et bibliopolis magis, quam Canonicis, aut clericis Lugdunensibus tot editiones repetitae placebant. Sed Gallos universe breviarium Quignonianum in deliciis, et manibus habuisse praeter editiones toties in Gallia renovatas confirmat Espencaeus clari nominis Theologus Parisiensis *Lib. 1. Digress. cap. XI.*. *Atqui recentioris breviarii*, inquit, *quod tam multorum manibus teritur, concinnator, tam hortante Clemente VII., quam probante Paulo III. Pontifice Maximo, Quignonius Cardinalis inter alias instituti sui rationes non dubitavit praefari etc.*. Falsum est igitur, quod aliqui narrant, paucos fuisse, qui novum breviarium fuerint amplexi; et exemplaria quidem, quae adhuc in Bibliothecis asservantur, trita pleraque, et usu consumpta apparent. Rara tamen haec esse credidit anonymus heterodoxus, ad quem Richardus Simonius epistolam 27. *Select.* scripsit. Legerat ille praefationem apud Marcum Antonium de Dominis, vehementerque probaverat, sed Marco Antonio raritatem breviarii affirmanti fidem praestiterat. Respondit Simonius, in nostris regionibus plura inveniri exemplaria, atque adeo unum ei dono misit, quo Bibliothecam ornaret suam. Demum Gallis breviarii novi laudatoribus accensendus est Guillelmus Paradinus Bellijocensis Ecclesiae Decanus, qui in Historia sui temporis gallice scripta *lib. 5. cap. ult.* Paulum III. commendat, quod breviarium Romanum veteri formae, et splendori restituisset. In Hispania vero pluribus hoc breviarium placuisse testis est Dominicus Soto *in tractatu de Justitia et jure Quaest. 5. art. 4. lib. 10.*, docens quosdam fuisse clericos, qui choro interesse cum tenerentur, *breviarium novum*, cujus auctorem non nominat, privatim recitarent, et deinde in choro quamvis praesentes conticescerent; nonnullos etiam, qui existimarent, officio, quod in choro canebatur

tur, suo muneri se non satisfacere, nisi hoc alterum breviarium privatim perlegerent.

13. Haec Dominicus Soto inter incommoda ex *novo breviario* exorta recenset. Etsi vero dubium non sit, quin illi clerici ignorantia quadam, et errore perducti male se gesserint; hic abusus, qui facile poterat evelli, breviarii introductioni obstare non debuit, si aliunde utilitas ejus comprobaretur. Non enim hoc vitium erat breviarii, sed hominum, qui saepe optimis institutis abutuntur, quemadmodum in dioecesi Mediolanensi erant tempore S. Caroli Borromaei sacerdotes, qui se sua peccata alteri confiteri non esse obligatos crederent, quod aliorum confessiones exciperent. At Sotus, qui, cum minime velle videtur, breviario Quignoniano maxime obloquitur, haec objicit *Lib.*1. *quaest.*7. *art.*1.. *Nihil adversus novitatem novi breviarii obmurmurandum est, postquam SS. Papa id permittit: tamen finis ille, ob quem mutatio facta est, videlicet ut statas solventes horas memoriter psalterium discant, non est ille, quem SS. Patres horis dicendis canonicis praefixere. Cantus enim ecclesiastici non studii gratia, sed tantum divinae laudis instituti sunt, ut melodia militantis Ecclesiae instar triumphantis institueretur. Ubi non cessatur clamare, Sanctus, Sanctus etc.* Et lib. 10. quaest. 5. art. 4. *Sed ajunt, breviarium illud non esse excogitatum, ut publicitus in Ecclesia canatur, sed ut privatim quisque horarum pensum solvat. Hoc autem obtendiculum multorum profecto est incommodorum causa. Primum enim cum clericorum status ex omnibus constet, si singuli semel illo orandi modo assueverint, facile eum admittent in publicum. Quod jam in aliqua Ecclesia Hispaniae intentatum est. Quod Tridenti in Concilio non sine moerore, et scandalo fuit auditum.... Haec dixerim non quod in caelum, hoc est, in Apostolicam Sedem, cui summus honor deferendus est, os ponere cogitaverim, sed ut alios Antistites inferioris classis admonuerim, ne pergant in suis Ecclesiis novis horarum ritibus clerum conturbare* (a). In

(a) De qua Hispaniae Ecclesia Sotus hoc loco sermonem habeat, reperisse mihi videor. P. Henricus Florez *tomo* 4. *Hisp. sacr. cap.* 2.

Bibliotheca Vaticana asservatur *MS. Consultatio de novo breviario Romano tollendo, auctore Joanne de Arze*. Breviarium Quignonii titulum Romani breviarii praeferebat, et, ut ex verbis Soti, aliorumque liquet, *novum* dicebatur. Non igitur dubito, quin haec consultatio contra breviarium Quignonianum fuerit directa. Quisnam est autem iste Joannes de Arze? Cognomen hominem Hispanum indicat; et poterat credi, fuisse Joannem *Arze* de Herrera, sive Joannem *Arce*, ut loquitur D. Nicolaus Antonius, qui in Bibliotheca nova Hispana asserit, asservari ejus opus Ms. in Bibliotheca Ambrosiana, inscriptum, *Apologia por Raymundo Lullo*. Jacet Romae in Ecclesia S. Jacobi domus Hospitalis Hispanorum, et ex inscriptione patet, fuisse Palentinae dioeceseos clericum, Juris utriusque Doctorem, Ferdinandi Magni Cardinalis Auditorem, Causarum Curiae Advocatum insignem, qui in honestissimum otium secedens vitam sanctissime instituit, et dum Christianae charitatis exercitiis vacaret, decessit *Kal. Aprilis* 1540. *aetatis* 51. Tempus, locus, quo vixit, et hominis pietas, ac cetera adjuncta satis suadent, potuisse eum a novitate, et brevitate breviarii Quignoniani abhorrere, et *Consultationem* adversus illud elucubrari his rationum momentis, quae Sotus, aliique expresserunt.

14. Ceterum qui attente consideret rationes novi Breviarii concinnandi, quas ex Quignonio supra *num.* 11. protuli, facile animadvertet, opinor, infirmam esse impugnationem Soti. Quignonius ostendit, a SS. Patribus in ordine precum disponendo primam quidem pietatis, sed nonnullam etiam

n. 73. *tract.* 2. allegat breviarium antiquum Turiasonense ordinatum juxta ritum Cardinalis Quignones. Alva in *Militia Conceptionis* p. 247. inter alia recenset breviarium Turiasonense impressum an. 1541. in 4. De hoc breviario Sotum loqui intelligo. Quod confirmare possum ex descriptione operis Joannis de Arce post historiam breviarii addenda ex codice Ms., quem demum nancisci potui. Non fuisse auctorem Joannem de Arce in Bibliotheca Nic. Antonii recensitum liquet ex anno obitus hujus 1540., nisi fortasse aliquis error in his numeris irrepserit. Auctor *Consultationis* an. 1551. scribebat.

doctrinae rationem habitam fuisse; ita a se ex sacra Scriptura officium esse ordinatum, ut *simul* cum sacra eruditione *major pietas* conjungeretur, tum quia perplexus ordo, ac labor, qui in requirendis locis ponitur, et alio animos vocat, tollebatur, tum quia major attentio esset adhibenda ab his, qui nova semper legerent, quam si memoriter recitarent. Consule Dissertationem nostram *n.* 253.. Certe neque Quignonius omnes penitus repetitiones verborum sustulit, neque ex cantu *Sanctus, Sanctus* recte quis colligat, nihil aliud in officio esse legendum, nisi antiphonas, responsoria, et versiculos. Quodnam fuerit judicium Ven. Card. Thomasii de ordinando breviario sine antiphonis, responsoriis, ac versiculis pro utilitate privatim recitantium, expositum est in citata Dissertatione *num.* 153.. Sed quaerenti mihi causas, cur nonnulli officio ecclesiastico Cardinalis Quignonii tam pugnaciter restiterint, quaedam probabiles occurrunt. Neque vero illud afferam, operam hominis Hispani Gallis, Religiosi ceteris diversorum Ordinum Religiosis fortasse non placuisse; quod de hominibus piis suspicari non debemus, nedum asserere. Potius existimabo, *brevitatem*, et *novitatem* breviarii multis displicuisse; tum etiam quod Cardinalis suae piae sententiae nimium tribuisse quibusdam visus est in festo immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, ubi haec lego: *Ex dictis Sanctorum lectio etc. Thomas. Maria ab omni peccato originali, et actuali immunis fuit. Dominicus. Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, et nunquam maledicta formatus, ita decuit in secundo Adam fieri*. Eadem lectio addita est Breviario Romano *de Camera* Venetiis 1550.. Non me praeterit, in antiquo codice operum S. Thomae anno 1625. reperto in Bibliotheca Cardinalis Sforza, et exhibito Urbano VIII. super epistolas Sancti Pauli ad illum textum, *Omnes peccaverunt in Adam*, ita excipere S. Thomam, *Excepta S. Virgine, quae nullam contraxit maculam originalis peccati*, sed certe haec verba desunt in plerisque editionibus, et assertio illa minime probari poterat iis, qui auctoritate praesertim S. Thomae permoti

contrariae adhaerebant sententiae. Immo vero plurimum Joanni Maldonato displicuit, qui, cum esset jam breviaviarium abrogatum, liberrime pronunciavit; *Quisquis composuit breviarium illud brevissimum Quignonis, fecit lectionem unam conflatam ex testimoniis omnium veterum auctorum, ut persuaderet, omnes sensisse, B. Virginem fuisse conceptam sine peccato originali, quod profecto fuit hominis impudentissimi, cum nemo eorum auctorum, quos citat, ita senserit, et quod amplius est, non poterat ignorare, D. Thomam esse in contraria sententia, tamen voluit nobis persuadere, etiam illum ita sensisse: quod non est bonam causam bene agere, sed prodere*. Haec verba Maldonati a sacra Facultate Parisiensi referri, et in Maldonati scriptis a se visa testatur Simonius *Epist.* 15., qui Facultatis censuram anno 1574. latam subjicit: *Cogitur Facultas verba ista redarguere tamquam falsa, praesumptuosa, scandalosa, et injuriosa in optimos Pontifices, et ipsam Sedem Apostolicam; quam sicut Quignonium, et doctos alios, et pios viros non veretur accusare falsitatis, ignorantiae, impudentiae, et imposturae in religionem*. Richardus Simonius hanc censuram cum censura anni 1535. conferens constantiam (a) in Theologis

(a) Parisiensis Universitatis constantia aliqua ex parte defendi potest, quod censura adversus primam editionem anni 1535. lata fuerit, non adversus secundam, in qua Quignonius nonnulla reformavit, quaedam omisit, alia addidit. Haec ipsa lectio, ex dictis S. Thomae, S. Dominici, aliorumque Sanctorum conflata, deest in prima editione. Quare Maldonatus in breviarii auctorem non debuit adeo aspere declamare; multo vero minus ei imputare, quod eam lectionem fabricaverit, ut Maldonati verba innuere videntur. In Bibliotheca Angelica extat breviarium *secundum consuetudinem Romanae Curiae*, in cujus fine notatur; *impressum Neapoli industria et impensis Mathiae Moravi: vigilique studio per Fratrem Bernardinum de Sicilia Ordinis Minorum castigatum. Ab anno autem nostrae Redemptionis M. CCCC. LXXXIX. cum nonnullis sanctorum sanctarumve officiis hic in fine annexis: feliciter consummatum pridie Idus Octobris*. In 8. pagg. 1032. charactere partim gothico, partim romano. In officiis annexis inseritur, *Officium immaculatae Conceptionis Virginis Mariae editum per Reverendum Patrem D. Leonardum No-*

Parisiensibus desiderat. Quodsi auctoritate in hac controversia pugnandum sit, auctorem non mediocrem, sed haud scio an gravissimum producam Martinum Azpilcuetam novi breviarii defensorem, quem minime pudeat adversariis opponere. Is enim *De Oratione, et Horis Canonicis cap.* 18. *a num.* 201. *ad num.* 211. quaestionem hujusmodi erudite explicat: *Magnae quaestionis est*, inquit, *an bona, vel mala fuerit nova ordinatio breviarii novi Romani ab Illmo Cardinali S. Crucis facta . . . His non obstantibus, probabilis semper visa fuit. Tum quia &c.*. Novem rationes affert, quibus Cardinalis breviarium probandum confirmet. Cum autem opus suum post breviarium a S. Pio V. abolitum recuderet, Sotique sententiam adversus illud commemoraret *cap.* 21. *num.* 24., *Et ipsa*

garolum Prothonotarium Apostolicum: artium ac sacrae Theologiae doctorem famosissimum. In hoc officio lectiones 1., et 2. nocturni conflantur ex dictis plurium sanctorum, et ex verbis relatis S. Thomae, ac S. Dominici. Non omittam rubricam ibi additam: *Si festum Conceptionis in Dominica venerit, fit de festo: quia specialis effectus Dei fuit in illa die. Et ideo Dominica transfertur ad diem sequentem et hoc ex dispensatione Pontificis*. In Ecclesiis Hispaniae viget nunc privilegium recitandi officium Conceptionis etiam in Dominica Adventus. Hoc breviarium, aliave antiqua, in quibus officium idem legitur, Maldonatus, qua erat eruditione, potuit nosse; et cum adversus Doctores Parisienses defenderet, immaculatam Virginis Conceptionem fide divina non esse credendam, potuit consulere opus P. Vincentii Bandelli de Castro, quo nemo plura in eandem sententiam congessit; is scribens sub Urbano VI., qui indulgentiam concessit recitantibus illud officium, rationes diluit ex verbis S. Thomae, aliorumque Sanctorum petitas; negat vero verba esse S. Dominici, quae in lectionibus ei adscribuntur. Verba illa desumpta sunt ex libro de *Corpore Christi*, quem multi S. Dominico attribuerunt; sed Dominico de Pantaleonibus ordinis Praedicatorum rectius alii adjudicant. Verba S. Thomae reperies *in* 1. *sent. dist.* 44. *art.* 3. *ad* 4., sed cum aliquo discrimine: *Potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; et talis fuit puritas beatae Virginis, quae a peccato originali, et actuali immunis fuit*. Ubi vides, non legi, ab *omni* peccato, prout in officio Negaroli legitur.

quidem, ait, nulla ratione ejus (breviarii) *inventionem colorat. Ego vere multis, quo excusarem et Pontifices Maximos ejus formulam recitandi per frequentes dispensationes probantes, et innumeros clericos praesertim seculares, et in his etiam Summates, qui tanto applausu illud susceperunt, ut etiamnum deplorent ablatum*. Causae quoque prodest, quod idem Doctor Navarrus, non minus pius, quam doctus, breviario Quignoniano usus fuerit. Ibid. *cap.* 10. *num.*62. *Toto tempore, quo secundum formam praedicti breviarii* (Cardinalis S. Crucis) *pronunciavi horas &c.*.

15. Sed verusne auctor hujus Breviarii fuit Cardinalis Quignonius, an aliorum opera usus *solum* nomen praestitit? Id credidisse videtur Joannes Vasaeus *in Chronico Hispaniae Cap. VII.*, qui Didacum Neyla juris Pontificii doctorem, et Salmanticensem Canonicum, graece, latineque doctissimum laudans, *Breviarium*, inquit, *trium lectionum jussu Francisci Quignonii Cardinalis, auspiciis summi Pontificis ita venuste, ita erudite concinnavit, ut nihil supra*. Nicolaus Antonius *Bibliothec. nov. tom. I. pag.* 233. postquam haec Vasaei verba retulit, subjungit, *Haec Vasaeus. Qui et infra : Non est silentio praetereundus* (*ait*) *singularis ipsius amicus, et in compositione breviarii socius, vir non solum utriusque linguae peritia, sed etiam eximia pietate praestans*. Excidit Nicolao Antonio nomen *Gasparis de Castro*, cujus eo loco meminit Vasaeus, *Non est* (ait) *silentio praetereundus* GASPAR DE CASTRO *singularis ipsius* (Didaci Neyla) *amicus, et in compositione breviarii socius &c.*. Vasaeus igitur laudem totam breviarii Quignoniani Didaco Neyla, et Gaspari de Castro tribuit. At Nicolaus Antonius *ibidem pag.* 354. de Francisco Quignones haec habet : *Singulare interim viri aeque docti, piique de litteris, ac doctrina meritum in eo collocatum communis persuasio est, quod Clementis ejusdem hortatu breviarium Romanum confecerit aliquanto brevius, sed* NUMERIS OMNIBUS *Pauli Papae* III. *judicio, qui approbavit, atque Ecclesiae totius* PERFECTUM, et ABSOLUTUM : *quod Romae publicavit*

anno 1536., *in quo tamen opera usus fuit Didaci a Neyla, ut in eo jam annotatum manet, Joannesque Genesius Sepulveda diserte affirmat in centesima suarum epistolarum ad eundem data*.

16. Ex hac eadem epistola ipsum Genesium adjutorem dat Cardinali in conficiendo breviario Nicolaus Antonius ibidem pag. 543. *Contulit quoque* (Genesius) *operam cum Didaco Neyla, Salmantinae postea Ecclesiae Canonico in conficiendo breviario illo, quod Franciscus Quignones S. R. E. Cardinalis jussu Clementis Pontificis a se, et aliis elaboratum in lucem edidit; de quo ei ad Neylam scribenti centesimam ex suis epistolis fidem habemus* (a). Quod mihi non videtur satis esse, ut cum Francisco Xaverio Llampillas, litteraturae Hispanae vindice doctissimo, *tom. 2. Specim. apologet. part. 2. pag.* 33. affirmem; *Questo breviario usci in nome di detto Cardinale, e a lui ne danno tutto l'onore non pochi scrittori: non dimeno è indubitato, che D. Diego Neyla altri dei celebri letterati Spagnuoli*,

(a) Sepulveda rogans Didacum Neyla, ut librum suarum epistolarum diligenter excudendum curaret, his verbis eum compellat: *Quod ut suscipias, oro, ut Romae in dirigenda, et emendanda impressione ejus libri fecisti, qui clericorum consuetudine breviarium Romanum appellatur. Quem librum Quignonius Cardinalis, patronus noster, te potissimum* ADMINISTRO, ET ADJUTORE, κάμοῦ συμπράττοντος *Clementis VII. Pont. Max. voluntate confecerat*. Idem Sepulveda breviarium tuetur *epist.* 87. adversus Joannem Martinez Guixeño, qui secundum cognomen latine vertens maluit appellari *Siliceus*, et tunc erat magister Philippi Principis, deinde Archiepiscopus Toletanus renunciatus. Is breviarium recens insectabatur odio, ut fama erat, plusquam Vatiniano. Habebat autem tria exemplaria, sive, ut ait, Sepulveda, tres libros, *captivos scilicet, custodiaeque datos, velut novae Religionis interpretes*. Ab eo igitur amice petit Sepulveda, ut unum ex illis ad se mittat. *Ut habeam*, inquit, *quem possim in alterius locum sufficere jam usu confecti, et pene demortui*. Simul breviarium hoc vocat, *Vetus SS. Patrum institutum, magna ex parte in consuetudinem revocatum, idque non privato consilio, sed jussu, et auctoritate Pont. Max., et communi sacerdotum, atque Praesulum Romanorum approbatione*. Denique laetari se ait, quod paulo ante intellexisset, breviarium novum non tam Siliceo displicere, quam vulgus hominum jactabat.

che in quel secolo diede all'Italia il Collegio di S. Clemente di Bologna ebbe LA MAGGIOR PARTE *nel formare detto Breviario*. Profecto Cardinalis, *vir insigni pietate, et doctrina*, ut eum appellat Spondanus *ad ann.* 1527. *n.* 9., ingenue in praefatione saepe laudata confessus est, quosdam domesticos adjutores se habuisse. *Adhibitis igitur*, inquit, *quibusdam meorum domesticorum prudentibus hominibus, ac sacrarum litterarum, et Pontificii juris doctrina praeditis, eisdemque graece, et latine eruditis* DEDI OPERAM QUAM MAXIME POTUI, *ut commode, ac ex utilitate publica* REM CONFICEREM. Quibus expressis notis, et laudibus Cardinalis Didacum Neyla, Genesium Sepulveda (a), et Gasparem de Castro [illegible] quasi [illegible]

(a) Praeter singularem theologiae, jurisque Pontificii scientiam quanta linguae graecae peritia Sepulveda praestaret, non alio argumento efficacius ostendi potest, quam lepida narratione Hieronymi Nigri in *Epistolis Princip. tom.* I. *epistola ad Marcum Antonium Michaeli data* 1. *Sept.* 1523.; quam eo libentius indicabo, quia ex ea primo Sepulvedae in Urbem adventui intelligendo nonnihil luminis accedere potest; et in hac parte ejus Vita ceteroqui locupletissima a Francisco Cerda et Rico, eximio latinitatis, et antiquitatis cultore, elaborata, et editioni Matritensi omnium Sepulvedae operum anno 1780. praefixa, aliquatenus illustrabitur. Igitur Alcyonius scriptis Aristotelis e graeco in latinum sermonem convertendis magnum sibi nomen comparaverat, pecuniaque a Cardinali Julio de Medicis, qui postea fuit Clemens VII., donatus fuerat, ut Galeni opus *de Partibus* latinum faceret. Sepulveda libellum Bononiae typis edidit, cui titulus, *Errata Petri Alcyonii in interpretatione Aristotelis, a Ioanne Genesio Sepulveda Cordubensi collecta*, ex epistola Longolii *Lib.* 3. *ad Octavianum Grimoaldum edit. Venet.* 1539. *pag.* 206. Quid tunc Alcyonius? Omnia exemplaria libelli contra se promulgati coemit. Sepulveda quidem iterum suum opusculum vulgare meditabatur, sed non videtur id effecisse. Hoc unum constat, eum, Romam cum venisset, hoc ipso tempore agressum fuisse Alexandrum Aphrodisaeum super Metaphysicam Aristotelis latine reddere; quod ut ageret, non exiguam pecuniae summam a Cardinali Iulio de Medicis acceperat. Disrumpebatur dolore Alcyonius, ardebat invidia: sed audiendus jam est Niger, qui haec omnia pulchre narrat: *Uno Spagnuolo, non però lo Stunica, ha tolto la gatta con l'Alcio-*

quasi digito commonstrat; neque ulla est ejus culpa, siqui forte *totam* illi *gloriam* concesserint.

17. Jam vero cum breviarium Cardinalis Quignonii magno multorum plausu ubique diffundi coepisset, Cardinalis Joannes Petrus Carafa, ad Cathedram S. Petri anno 1555. assumpto Pauli IV. nomine evectus, vehementer obstitit, ne ulterius progrederetur. Caracciolus in ejus Vita, citans *Diarium Rosarii*, narrat, penitus ab eo fuisse prohibitum, quod alibi scriptum non reperi. *Alli* 8. *d'Agosto* 1558. *Paolo IV. proibì affatto il breviario del Quignonio detto di santa Croce* (Diarium Rosarii) *per essere sconvenevole, e contra la forma antica, e però ne da lui, nè da altre persone gravissime già mai accettato.* Haec Caracciolus *lib.*4. *cap.*6. . Ex Bulla Pii V. *Quod a nobis postulat*, anno Incarnationis Dominicae 1568. inferri potest, Paulum IV. tantum providisse, ne ulla *novi breviarii*, videli-

nio, e ne ha stampato un libretto in Bologna. L'Alcionio ha comprato tutti quei libri, ma lo Spagnuolo li vuol far ristampare. Il detto Spagnuolo è qui, ed ha havuto dal Cardinale de Medici Ducati dugento per tradurre Alessandro sopra la Metafisica, e già intendo ne ha tradotto due quinterni, non troppo cultamente, ma molto più chiaro e fedele, che l'Alcionio ne' suoi: il quale si dispera, che costui abbia credito, e scrive di qui a favoriti de Medici lettere piene di veneno; pregandoli, che non lo vogliano favorire appresso il Cardinale. Di che essi prendono grande spasso, e gli rispondono, che non sanno che si fare, perchè la dottrina di costui lo ha tanto posto innanzi al Cardinale, che essi pareriano o maligni, o ignoranti a volerlo disfavorire. Della qual cosa l'Alcionio più s'avampa, ed il Cardinale, che sa la cosa, ne piglia gran solazzo. Negat Niger, hunc Hispanum esse *Stunicam*, de quo ad eundem Michelium *epistola pariter Romae data* 26. *Junii anno* 1522. scripserat: *Vi scrissi, credo, un' altra fiata, che lo Stunica era qui, e scriveva contra Erasmo, non contra l' Alcionio. Ha dato fuora un Indice, il quale chiama* BLASPHEMIAE ERASMI, *ma il Cardinale Svizzero l'ha minacciato su la vita, et deterruit hominem ab editione.* Hic Stunica est Didacus Lopez Zuñiga; Cardinalis Helvetius per me fuerit Matthaeus Schiner natus apud Gomesianos in viculo Mulibacho, qui obiit Romae prope finem anni 1522.

cet Quignoniani licentia permitteretur. Nam ut supra constitit, breviarium Quignonii *novum* dicebatur, et qui eo uti vellent, facultatem petere tenebantur: *Hanc nimirum orandi varietatem*, ait S. Pontifex, *gravissime ferens fel. mem. Paulus Papa IV. emendare statuerat. Itaque provisione adhibita, ne ulla in posterum novi breviarii licentia permitteretur, totam rationem dicendi, ac psallendi horas canonicas ad pristinum morem, et institutum redigendam suscepit*. Falsum est igitur, quod censura Parisiensis Facultatis theologicae adversus Maldonatum habet; *Quignonii breviarium Sedes Romana approbavit, et dicere proposuit auctoritate Pauli III., Julii III., et Pauli IV., in quos omnes redundant contumeliae dictae in Quignonium*. Claudius Jolyus, quem merito Ladvocatus refellit, his Pontificibus Julium IV. approbatorem breviarii Quignoniani adjunxerat. Pergit Caracciolus de Paulo IV. narrans. *Attese lungo tempo egli stesso a fare un breviario riformato secondo l'antica gravità, e rito, mà perchè era tanto occupato, e voleva farlo lui solo di sua propria fatica, perciò non lo potè finire, mà restarono i suoi abbozzi, e principj per i successori Pontefici*. Ait sublatos fuisse, *quell' hinni male sonanti della Transfigurazione, e della SS. Trinità, che erano nel vecchio breviario*. Non apparet certa ratio, cur tantum laborem in reformando breviario subire debuerit, siquidem ante multos annos in id opus simul cum aliis sodalibus strenue incubuerat, nisi forte rationis prius initae pertaesus alia prorsus via decurrere in animum induxerit (*a*).

(*a*) Confer eundem Caracciolum *in opere edito Synop. veter. Religios. rit. p.I. ad cap.I.*, ubi rursus breviarium Quignonii exagibat, et Josephum Silos *part. I. Histor. Theatin. pag. 95.*, ex quo Meratus *in Comment. brev. in Gavant. sect.2. cap.I.* narrat, ad concilium Tridentinum delatum fuisse missale, et breviarium, *quod*, inquit, *nostri seniores ediderant*. Idem Meratus erga Quignonium aliis aequior breviter, sed exacte, et citra invidiam breviarii Quignoniani ideam, et rationem exponit. Sed cum facultas utendi hoc breviario concedi non soleret nisi Presbyteris *secularibus*, qui eam peterent, non intelligo, quamobrem Meratus, et ejus sodales laudi Majorum suorum verterint, quod nunquam illud admiserint.

Quid autem usque ad breviarium Pianum fuerit consecutum, commemoratum est in *Dissertatione num.* 150. *et seq.* .

18. Censuram, quam adversus breviarium Quignonii S. Pius V. tulit, defendunt Joannes Langhecrucius *lib.* 2. *de divinis officiis rite perag. cap.* 18., *et lib.* 6. *cap.* 9. *et seqq.*, et Schultingius *Biblioth. Eccles. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 48. iisdem fere rationibus, quibus Sotus illud breviarium impugnaverat. Schultingius potissimum urget, psalmos, et lectiones in breviario Quignonii temporibus, et festis, quae per annum celebrantur, non convenire. Id autem non prohibuit, ne maximis laudibus aliqui diligentiam, et breviarium ipsum Quignonii extulerint. Auberyus in *Historia gallica Cardinalium Parisiis* 1645. Quignonium, ejusque breviarium dilaudat; sed illud male, quod censura Parisiensis Academiae confixum unquam fuisse negat; hoc autem pejus, quod non dubitaret asserere, (ut ait,) ob veterem inter Dominicanos, et Franciscanos rivalitatem fuisse a S. Pio V. prohibitum, nisi hujus sanctitas obstaret. Nam dum erga S. Pontificem pius videri vult, impietatis erga ipsas Religiones, ac sanctam sedem Romanam arguitur. Quid? nonne Dominicanus fuit Matthaeus Ory, Parisiensis sacer Inquisitor, cujus judicio approbatum fuisse breviarium Quignonii num. 4. p. 391. retulimus? Hominis tum eruditionem, tum probitatem con-

Joseph Silos, qui Breve Clementis VII. ad Petrum Carafa, sociosque circa breviarii reformationem *lib.* 3. *ad an.* 1528. transcripsit, multo magis breviarium vetus Romanum improbat; *Quod Romae tunc temporis breviarium terebatur, nullis non erroribus, ac mendis plenum*. Quae censura viro prudenti aequitatis limites transiliisse facile videatur. Carolus Bromato da Erano, sive, verum nomen, Bartholomaeus Carrara in Vita Pauli IV. edita 1748. ad an. 1524., 1529., et 1533. easdem suorum Majorum laudes in officiis ecclesiasticis instaurandis inculcat, et in anachronismum, quem in Caracciolo num. 8. notavi, incurrit; sed mitior est in novum breviarium, quod pium, et aliqua laude dignum dicit; dispensationem vero a Petro Carafa petitam, de qua n. 9. dixi, in speciem commutationis officii veteris in recens, ab ipso, ejusque sociis compositum, repraesentat.

spicuam celebrat Joannes Petrus Maffejus *lib.* 1. *cap.* 20. *Vitae S. Ignatii*. Non silebo tamen, me in editione Lugdunensi anni 1552. in 8., vel potius 12. non reperisse verba illa, quae ex Simonio affert Zacharias, quibus scilicet examen, et correctio ab Oryo facta asseritur. Sed non propterea negabo, ea in alia editione inveniri. Waddingus in *Catalogo Scriptorum*, et Nicolaus Antonius allegant auctorem anonymum *Consultationis de horis canonicis cap.* 6., cujus haec verba refero, *Quignonius in suo breviario multa praestitit docte, et prudenter ... Hymnos vero, ceterasque lucubrationes humanas aliquatenus expolierat, ac satis latinas fecerat. Haec autem omnia ita coaptaverat, ut istud officium, licet universa, quae necessaria sunt, atque etiam amplius, quam illud, quo nunc utimur, contineret, multo tamen brevius, atque compendiosius esset ... Nec video, quare deinde prohibitum fuerit, nisi forte quod ea, quae sunt optima, propter leves, ac nullius pene momenti causas multis haud raro displicent, veluti istud officium, quod siquid ego judico, nullis aliis rationibus aboleri potuit, nisi vel amore prolixitatis ... vel odio commodae brevitatis ... vel respectu cantus ... vel praetextu antiquitatis*. Dissertatio haec, sive Consultatio *de reformandis horis canonicis, ac rite constituendis Ecclesiasticorum muneribus* excusa est anno 1643. in 8. sine auctoris, et urbis nomine: iterum prodiisse emendatam legi, sed hanc secundam editionem non vidi. Waddingus, et Nicolaus Antonius nomen auctoris tacent, sive illud ignoraverint, sive ejus auctoritati parum confisi fuerint. Nicolaius Dominicanus in *Dissertatione anno* 1667. *edita de Jejunii christiani, et christianae Continentiae vero, ac legitimo ritu* Consultationem Launojo affingit, cui adhaeret Catalogus Bibliothecae Barberinae. Sed compertum est, auctorem fuisse Claudium Jolyum Ecclesiae Parisiensis Cantorem, et Canonicum, ac Launojii discipulum. Eruditus Bibliothecae ritualis confector aut ad auctorem *Consultationis de horis canonicis*, aut ad rationem temporum non attendit, cum *tom.* 3. *in supplem. pag.* 312. scripsit, post hanc consultationem, ejus-

que querelam de prohibitione novi breviarii prodiisse defensionem Bullae Pianae adornatam a Langhecrucio, et Schultingio, qui certe longe ante Claudium Jolyum suas lucubrationes typis commiserant. Zacharias eo loco auctorem anonymum *Consultationis* audaciae arguere videtur, quem antea proprio vocans nomine, et *Consultationis* auctorem enuncians, *virum aeque pium*, *ac doctum* fuisse confirmat. Ceterum exploratum est, operam a Quignonio in breviario reconcinnando collatam, non esse vituperandam, ac magnopere juvisse, ut deinde breviarium magis correctum, magisque absolutum prodiret. Lagomarsinius *Vol. 2. Epist. Pogiani in annotatione* 30. *ad hujus vitam* nonnullas lectiones ex breviario Quignoniano, et Romano S. Pii V. desumptas inter se confert, nec semper lectiones a Pogiano meliores factas exemplo ex lectionibus S. Francisci petito animadvertit.

§. II.

Describitur Praefatio Editionis primae Breviarii Cardinalis Quignonii (*a*).

Ad Sanctiss. Patrem, et D. N. Paulum III. Pont. Max.
Francisci Quignonii tit. S. Crucis in Jerus.
Presb. Card. in Breviarium proxime
confectum Praefatio.

Cogitanti mihi, pater sanctiss., atque animo repetenti initia veteris instituti, quo sancitum est, ut clerici sacris initiati, vel sacerdotiis praesidentes singulis diebus perlegant hora-

(*a*) Breviarium Francisci Cardinalis Quignonii anno 1535. typis prodiisse adversus plurimos Bibliographos certis argumentis supra demonstravi. Postea in eam editionem incidi, existentem in Bibliotheca Angelica, quae diu clausa, dum index accuratissimus conficeretur, tandem studentium publico bono patuit. Titulus est: *Breviarium Romanum ex sacra potissimum scriptura et probatis sanctorum historiis constans MDXXXV. in* 8. *pp.* 920. In fine, *Romae apud*

rias preces, quas canonicas etiam appellamus, tres omnino (a) causae spectatae fuisse videri solent. Quarum ea prima est, quod cum ceteri homines in quaque civitate aut suum quisque negotium agant, aut in republica administranda sint occupati, clericis ex eo vocatis, ut Hieronymus testatur, quod de sorte Domini sint (b), quique bonis ecclesiasticis aluntur, hoc potissimum negotium divinis, et humanis legibus est injunctum, ut in commissum sibi populum, ac de se bene merentem Deum propitium habere (c) cunctis rationibus enitantur. Quod non solum sacrificiis efficitur, sed etiam precibus, quae a pio corde proficiscantur, teste Jacobo, qui nos ad precandum cohortans, orate (inquit) pro invicem ut salvemini, multum enim valet deprecatio justi assidua (d). Altera causa est, ut qui reliquo populo exemplo debent esse virtutis, et sanctimoniae, assidua precatione Deum alloquentes, minus opportuni reddantur tentatori diabolo, si eos invenerit, ut Hieronymus ait, oc-

Antonium Bladum Asulanum anno Domini MDXXXV. Calend. Martii. Inter hanc primam Editionem, aliasque ejusdem breviarii recogniti quaedam sunt varietates, quarum exemplum sit in festo S. Jacobi Apostoli. In prima editione: *Hispaniam adiisse, et ibi novem tantum viros convertisse traditur.... quo die corpus ejus translatum esse creditur Compostellam.* In breviario recognito: *Hispaniam adiisse et ibi Evangelium praedicasse author est Isidorus.... Postea vero ipsius Apostoli corpus Compostellam translatum est.* Ex prima igitur editione Breve Pauli III., et Cardinalis praefationem transcribam, et nonnullas correctiones in praefatione aliarum editionum factas notabo: alias cuivis conferenti diversas has praefationes facile est animadvertere: nam editiones posteriores magis sunt obviae.

(a) *In breviario recognito*, praecipuae.

(b) *In br. recog.* Clericis ex eo vocatis, quod sortis Domini sint.

(c) *In Br. recog.* ut Deum habere propitium in commissum sibi populum, ac de se bene merentem.

(d) *In Brev. recog.* quae a pio corde proficiscantur: ipsi enim, ut testimonio versibusque utar beati Alexandri Papae, et Martyris, pro populo interpellant, et populi peccata comedunt, quia precibus suis, et oblationibus ea delent, atque consumunt. Qui quanto digniores fuerint, tanto facilius pro quibus necessitatibus clamant, exaudiuntur. Quod testimonio probat Jacobi Apostoli, qui nos ad precandum cohortans etc.

cupatos, et a cogitationibus caducarum rerum subinde avocati, contemplationi divinarum assuescant. Tertia, ut Religionis quoque futuri magistri quotidiana sacrae scripturae, et ecclesiasticarum historiarum lectione erudiantur, complectanturque, ut Paulus ait, eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, et potentes sint exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. Et profecto siquis modum precandi olim a majoribus traditum diligenter consideret, horum omnium ab ipsis habitam esse rationem manifesto deprehendet (*a*). Sed factum est nescio quo pacto hominum negligentia (*b*), ut paulatim a sanctissimis illis veterum Patrum institutis discederetur. Nam primum libri sacrae Scripturae, qui statis anni temporibus erant perlegendi, vix dum incoepti a precantibus praetermittuntur. Ut exemplo esse possunt liber Genesis, qui incipitur in septuagesima, et liber Isaiae, qui in adventu, quorum vix singula capitula perlegimus, ac eodem modo cetera veteris testamenti volumina degustamus magis, quam legimus, nec secus accidit in Evangelia, et reliquam scripturam novi Testamenti, quorum in loco successerunt alia, nec utilitate cum his, nec gravitate comparanda, quae quotidie agitatione linguae magis, quam intentione mentis inculcantur. Deinde psalmorum plerisque, qui singulis hebdomadae diebus erant destinati, rejectis, pauci quidam toto fere anno repetuntur. Tum historiae sanctorum tam inculte, et tam negligenti judicio scriptae leguntur, ut nec auctoritatem habere videantur nec gravitatem (*c*). Accedit tam perplexus ordo, tamque difficilis precandi ratio, ut interdum paulo minor opera in inquirendo ponatur, quam cum inveneris, in

(*a*) *In Br. recog.* consideret, plane intelligat, horum omnium praecipuam ab ipsis habitam esse rationem.

(*b*) *In Br. rec.* precantium negligentia.

(*c*) *In Bre. rec.* Nam libri scripturae sacrae, qui statis anni temporibus legendi erant more majorum, ut est in monumentis Gelasii Papae, et Concilii Romani LXX. Episcoporum, vix dum incoepti omittuntur in alio breviario. Tum histori[illegible]

legendo. Quibus rebus animadversis, felicis recordationis Clemens VII. Pontifex Maximus., cum intelligeret officii sui esse, cum aliorum Christianorum commoditatibus prospicere, tum in primis clericorum, quibus ministris uteretur in commisso sibi grege administrando, me hortatus est, negotiumque dedit, ut quantum cura, et diligentia niti possem, preces horarias ea ratione disponerem, ut sublatis, quas dixi, difficultatibus, et dispendiis, clerici majoribus etiam commodis ad precandum allicerentur (*a*). Quam ego provinciam libentissime suscepi simul ut pastori summo (*b*) honestissima praecipienti parerem, simul ut bono publico pro mea virili parte servirem. Adhibitis igitur quibusdam meorum domesticorum prudentibus hominibus sacrarum litterarum, et pontificii juris doctrina praeditis, eisdemque graece, et latine eruditis, dedi operam quam maxime potui, ut commode ac ex utilitate publica rem conficerem in hunc maxime modum.

Omissis antiphonis, capitulis, et responsoriis, ac multis hymnis, ceterisque id genus rebus scripturae sacrae lectionem impedientibus, breviarium constat ex psalmis, et scriptura sacra veteris, et novi testamenti, et sanctorum historiis, quas ex probatis, et gravibus auctoribus graecis, et latinis decerpsimus, easdemque stylo paulo quidem cultiore, non tamen fucato, exornare curavimus. Relicti sunt etiam ex hymnis, qui plurimum omnium habere visi sunt auctoritatis, et gravitatis. Psalmi sunt ita distributi, retento, quatenus licuit, veterum Patrum instituto, ut omnes perlegantur singulis hebdomadis totius anni, terni singuli horis, unius

quaedam tam incultae et tam sine delectu scriptae habentur in eodem, ut nec authoritatem habere videantur, nec gravitatem.

(*a*) *In br.rec.* preces horarias ita disponerem, et ad veterem illam formam, quoad fieri posset, redigerem, ut difficultatibus, dispendiisque sublatis, nec a summa rationis olim ab antiquis, sanctisque Patribus institutae discederetur: nec rursum clerici ab officio precandi deterrerentur laboris magnitudine.

(*b*) *In br. rec.* ut Christi Vicario.

longitudine cum alterius brevitate sic compensata, ut labor legendi diurnus par propemodum sit tota hebdomada, et perinde toto anno.

Quod pertinet ad ceteram scripturam sacram ex veteri testamento perleguntur utilissimi, et gravissimi quique libri: Ex novo autem nihil praetermittitur, praeter Apocalypsim, cujus principium tantum legitur: quin potius epistolae Pauli cum canonicis, et actis Apostolorum repetuntur. Ex lectionibus enim ternis, quae singulis diebus totius anni leguntur, prima est ex veteri testamento, secunda ex novo, qua totum ipsum (dempta, ut diximus, parte Apocalypsis) absolvitur, tertia ex historia Sancti, si cujus festum celebratur, quod si nullum fuerit, Apostolorum acta, et epistolae tertia lectione repetuntur ordine notato in calendario.

Propter inconstantiam temporis Paschatis, et aliorum festorum, quae mobilia dicuntur, fieri non potuit, ut regulas omnino vitaremus, quarum tam plenum erat prius breviarium, ut vix aetas hominis ad earum rationem perdiscendam sufficeret, sed nos tam raras, et perspicuas regulas disposuimus, ut eas cuivis facile sit intelligere.

Officium beatae Virginis quotidianum non legitur, sed loco ejus ad vesperam, et matutinum fit commemoratio quotidie, et omnibus sabbatis totum officium eidem Virgini praestatur, nisi festum inciderit.

Habet haec precandi ratio tres maximas commoditates. Primam, quod precantibus simul acquiritur utriusque testamenti peritia. Secundam, quod res est expeditissima propter summam ordinis simplicitatem, et nonnullam brevitatem. Tertiam, quod historiae sanctorum nihil habent, ut prius, quod graves, et doctas aures offendat. Hic autem est ordo, et precandi ratio (*a*).

(*a*) *En rationem precandi.* Ad matutinum. Pater noster (cum signo crucis), Confiteor Deo etc. Domine labia mea etc. Deus in adjutorium etc. Deinde sequitur invitatorium tempori, seu festo conveniens. Psalmus, Venite exultemus etc. in cujus fine dumtaxat invitatorium repetitur, [illegible] in medio. Tum

Discrimen igitur inter illud, quo hactenus usi sumus, et hoc breviarium est, quod in illo, quamquam veteribus patribus placuisset, totam fere sacram scripturam legi singulis annis, tamen vix una particula legitur carptim libros degustando. In hoc autem legitur singulis annis magna, et praecipua pars hymnus destinatus. Posthaec sine antiphona leguntur tres psalmi, deinde lectiones tres, quarum quaeque incipitur a benedictione, et desinit in, Tu autem Domine etc. Benedictio ante primam lectionem, quae est ex veteri Testamento, Deus pater omnipotens etc. Ante secundam, quae ex novo, Unigenitus Dei etc. Tertia lectio est vel ex historiis Sanctorum, cum dies est festus, et tunc praecedit benedictio, Cujus festum colimus etc. vel ex epistolis, vel actis Apostolorum repetendo, et tunc praecedit benedictio, Spiritus sancti gratia etc. In sabbatis autem, in quibus tribuimus officium beatae virgini, dicitur benedictio, Per Virginem matrem etc. Post tertiam lectionem, Te Deum laudamus, cujus loco in adventu, et quadragesima dicitur psalmus, Miserere mei, praeterquam in festis Sanctorum, in quibus dicitur etiam tunc, Te Deum laud..

Ad laudes.

Deus in adjutorium, deinde terni psalmi cum cantico, Benedictus, quod canticum nullo die praetermittitur. Domine exaudi etc. Oratio conveniens. Postremo, nisi totum officium tribuatur beatae Virgini, fit de ipsa commemoratio, item de Apostolis, et omnibus Sanctis. Benedicamus Domino, et, Fidelium animae etc.

Ad primam.

Pater noster (cum signo crucis) Deus in adjutorium. Hymnus consuetus. Terni psalmi, diebus autem dominicis additur symbolum, Quicumque vult, aliis vero symbolum, Credo in Deum, Domine exaudi, Oratio consueta, Benedicamus Domino, et, Fidelium animae.

Ad tertiam, sextam, et nonam eodem modo, exceptis symbolis, et dicitur Oratio, quae dicta fuerit ad laudes.

Ad vesperam.

Pater noster cum signo crucis. Deus in adjutorium. Hymnus. Psalmi terni. Canticum, Magnificat, quod nullo die praetermittitur. Oratio, et commemorationes, ut ad matutinum.

Ad completorium.

Converte nos deus. Deus in adjutorium. Hymnus, Te lucis. Psalmi terni, cum cantico, Nunc dimittis, quod etiam dicitur singulis diebus. Oratio, Visita, Salve regina. Oratio, Omnipotens sempiterne Deus. Quae omnia supradicta latius explicantur in prima dominica adventus. *Haec omnia in Praefatione Quignonius.*

veteris testamenti, et totum novum praeter partem Apocalypsis, ut diximus, epistolis, et actis apostolorum etiam repetitis.

Quod pertinet ad psalterium, in illo breviario pauci quidam psalmi saepissime repetuntur, plerique ne semel quidem leguntur toto anno. In hoc omnes leguntur singulis hebdomadis sine taedio, nam singulis horis terni psalmi accommodantur, nullo eadem hebdomada repetito. Deinde in illo sanctorum historiae non paucae leguntur tam rudi stylo, tam sine rerum delectu et gravitate, ut sint interdum contemptui, atque derisui legentibus. In hoc nihil tale relictum est, omnia sunt cultiora, graviora, et ex historia ecclesiastica, et auctoribus probatis gravibusque decerpta.

Postremo in illo summa erat confusio propter regularum multitudinem, et perplexitatem, et festorum translationem, et varias commemorationum, versiculorum, responsoriorum, antiphonarum, et similium rerum laboriosas ac parum graves inculcationes, et iterationes, quae nec ad pietatem, nec ad cognitionem scripturae sacrae magnopere conducebant. In hoc talibus omnibus impedimentis sublatis in sacrae scripturae continua lectione potissimum, et gravibus sanctorum historiis versamur, paucis et perspicuis regulis appositis.

Itaque siquis diligenter animadvertat, et vetus patrum consilium, institutumque consideret, plane intelliget, hoc breviarium non tam esse novum inventum, quam breviarii veteris in commodiorem, et cultiorem formam restitutionem, sublatis quibusdam rebus, quae medio tempore praeter judicium, et gravitatem obrepserant. tatam

Porro quamquam non fuit nobis propositum brevitati, sed commoditati precantium consulere, utrumque tamen, ut speramus, consecuti sumus. Nam licet lectiones singulae longiores sint in hoc breviario, sunt tamen tres dumtaxat, cum in priore adjuncto officio beatae virginis sint duodecim cum totidem versiculis, et responsoriis, et licet quidam psalmi in hoc sint longiores, in illo tamen singulis diebus leguntur multo plures, si repetitos numeres tamquam diversos.

Accedit, quod in illo magna est perplexitas, et longitudo officii tum feriae, tum etiam dominicae diei. In hoc nullum, aut minimum est dierum totius anni discrimen: nec enim interest ad longitudinem de dominica, seu feria agatur, an de festo. In illo psalmi hinc inde cum difficultate, mora, et taedio volvendis chartis exquiruntur. In hoc per dies et horas totius hebdomadae dispositi sunt. Qui noster ordo non parum facit ad temporis brevitatem, et laboris levamen. Adjuvat itidem ordo lectionum, nam prima et secunda simplici et immutabili ordine dispositae sunt in totum annum, sive festum incidat, sive non. Diversitas enim officii *festi*, dominicae, et ferialis diei consistit in mutatione invitatorii, et hymnorum ad matutinum, et vesperam, et tertiae lectionis, et orationis, cetera sunt ejusdem rationis utrobique.

Sicui autem laboriosum in hoc breviario videbitur pleraque omnia ex libro legi, cum multa in alio, quae propter frequentem repetitionem ediscuntur, memoriter pronuntientur, compenset cum hoc labore cognitionem scripturae sacrae, quae sic in dies augescit, et intentionem animi, quam Deus ante omnia in precantibus requirit (hanc enim majorem legentibus, quam memoriter proferentibus adesse necesse est,) et hujusmodi laborem non modo fructuosum, sed etiam salutarem judicabit. Habes, Pater sanctiss., instituti nostri rationem, habes formulam breviarii, superest, ut si tibi res, quemadmodum speramus, non improbabitur, ipse quoque faveas incoeptis nostris, et labori publicae commoditatis gratia suscepto. Vale.



A tergo. Dilectis filiis Thomasio, et Benedicto Junctae, Antonio Blado, et Antonio Salamanca. Romae librorum impressoribus (*a*).

PAULUS PAPA III.

Dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem. Divinum officium per dilectum filium nostrum Franciscum tituli sanctae Crucis in Jerusalem Presbyterum Card. nuper nobis oblatum, in quo vetus et novum testamentum quotidianis lectionibus ita distributum est, ut annis singulis totum fere a legentibus reperiatur absolutum, imprimendi ac vendendi li-

(*a*) Hoc Breve Pontificium cum Praefatione relata in prima editione breviarii anni 1535., ut dixi, extat. In secunda vero proxima anni 1536., quam non vidi, aliud Breve videtur fuisse insertum, quod in aliis editionibus omissum est. Etenim Alva in *Funiculis Nodi indissolubilis pag.* 644. narrat, Paulum III. die 3. Julii 1556. in Bulla, quae incipit *Breviarium divini officii* licentiam impertivisse imprimendi breviarium Quignonii, in quo continetur officium Conceptionis, *Sicut lilium*. Absoluta jam primae editionis breviarii Quignonii descriptione, adjiciam ea, quae ex censura facultatis theologicae Parisiensis adversus illam editionem delibavit Gaudinus, *pag.* 361. *Vindic. Assumpt. Deip.* [Cum novum quoddam breviarium Roma delatum fuisset ad Universitatem Parisiensem, in quo antiphonae, et responsoria, capitula, homiliae, et pleraque alia salutaria omittebantur, quae ab omni antiquitate recepta erant: eadem Facultas confecit rationes, et motiva, quibus tolli e manibus fidelium debuit, quae rationes sequuntur. Rationes, et motiva, propter quae videtur Universitati Parisiensi non recipiendum breviarium nuper editum, et promulgatum. In primis advertendum est, quod dictum breviarium discrepat, et dissonum est ab aliis omnibus breviariis quarumcumque dioeceseon, etiam Romanae Ecclesiae, cum omnia alia breviaria pleraque sancta, et salutaria ad pietatem, et devotionem fideles adducentia contineant, quae istud breviarium non habet; cujus generis sunt Horae B. Mariae, antiphonae, responsoria, capitula, homiliae, sive expositiones catholicorum Doctorum sine evangeliis, et aliis Scripturis, ordo, et numerus psalmorum, et modus legendi illos in Ecclesia, nec non

centiam vobis concedimus, omnibusque aliis impressoribus, ne illud intra triennium a dat. praesentium computandum imprimere, seu venale habere sine vestra licentia audeant sub poena excommunicationis ubique, et in terris nostris etiam amissionis librorum, et insuper vigintiquinque aureorum, quotiens contravenient, vobis applicandorum inhibemus. Mandantes Gubernatori, Senatori, et ceteris Tribunalibus dictae Urbis, ut, dum a vobis requirentur in executione dictarum poenarum, vobis faveant, et praesentes litteras faciant inviolabiliter observari. Et insuper omnibus et singulis clericis, et presbyteris dumtaxat secularibus, qui illud recitare voluerint, concedimus, ut ad veteris officii secundum usum Romanae Curiae, vel alterius Ecclesiae, quod nunc in usu habetur, recitationem minime teneantur, sed recitationi officii et horarum canonicarum, perinde ac si vetus officium recitassent, satisfecisse censeantur, dummodo singuli specialem super hoc licentiam a sede apostolica obtineant, quam per solam signaturam absque alia impensa expediri mandabimus. Volentes etiam praesentium litterarum transumptis manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, plenam fidem tam in judicio, quam extra haud secus haberi, quam si ipsae originales

et ordo legendi sacras Scripturas in matutinis juxta varietatem temporum ab Ecclesia hactenus observatus; cum antehac usque adeo salutaria Ecclesiae instituta in ecclesiastico officio a primordiis ferme Ecclesiae usque ad haec tempora servata fuerint, mirum quonam pacto is, qui hoc breviarium condidit, rejiciat, et rejicienda decernat ... Ex his itaque patet, quantum distet a veterum Patrum instituto in hunc usque diem et pie, et sancte servato hoc novum breviarium; tum quia in eo nova, et inaudita fit psalmornm distributio, nequaquam feriis, aut festis Christi accommodata; tum in eo relinquitur ordo consuetus legendi diversos libros sacrae Scripturae pro temporum varietate. Tum in eo dimittuntur homiliae, et expositiones catholicorum Doctorum in evangelia ad dies pertinentia; tum denique inpertinentes diebus solemnibus et aliis leguntur scripturae, et historiae diebus convevenientes deseruntur.]

litterae exhiberentur. Dat. Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris Die V. Februarii M. D. XXXV. Pontificatus nostri anno Primo.

Blosius.

§. III.

Historia Breviarii Quignoniani ex Consultatione Joannis de Arze de NOVO BREVIARIO ROMANO TOLLENDO *illustratur.*

Consultationem Joannis de Arze *de novo breviario Romano tollendo* in Biblioth. Bibl. Ms. Montfauconii indicatam adversus breviarium Francisci Cardinalis Quignones fuisse elaboratam idoneis rationibus collegeram. Rem ita omnino se habere postmodum comperi, inspecto ipso codice Ms. Consultationis. Duo exemplaria habui ad manus, alterum elegantius, correctiusque codic. Vatic. 4878., alterum codic. Vatic. 5302.. Titulus est. *De novo Breviario Romano tollendo Consultatio. Illmo, et Rmo DD. Marcello Crescentio tit. S. Marcelli Presbytero Cardinali, et Sedis Apostolicae ad sacram synodum oecumenicam Tridentinam a latere Legato. D. I. Joannes de Arze Presbyter Pallantinus, professione Theologus.* In codice 5302. mendose scribitur: *Joannes de Arze Presbyter Palatinus professione, Theologus.* Cognomen *Arze* utrobique ita exprimitur: Indices aliqui habent *Arce*; Hispanis sive *Arze*, sive *Arce* dicatur, idem sonat, eodemque modo profertur.

2. Auctor in praefatione ad Cardinalem Crescentium haec de se testatur: *Quod si haec, ut spero, placuisse sensero: dabimus et alia pleraque non minus Ecclesiae profutura; ut de Erasmi, Thomae Cajetani scandalo tollendo: deque Bibliis vulgatis a typographorum injuria, et sciolorum quorumdam audacia et fallacibus scholiis, annotationibusque, et castigationibus, vendicandis: deque aliis non paucis cum apud Hispanos meos, tum apud alios nuper obortis noxiis zizaniis: quae sane apostolica egent censura. Quae omnia cum apud nos jam pridem deli-*

tescant, te auctore, ac patrono, in hac maxime tridentina luce prodire gestiunt. Opus hoc constat 18. capitibus praeter praefationem, et perorationem; in fine tempus, quo absolutum est, notatur: *Tridenti Kalendis Augusti* 1551.. Ex eo nonnulla seligam ad hujusce rei historiam illustrandam.

3. Caput VIII. inscribitur: *Chori ecclesiastici officium interturbat ubique* (breviarium novum,) *partim etiam tollit, et tranformat*. Inter alia autem haec legi digna sunt. *In quibusdam choris etiam cathedralium ecclesiarum magna ex parte mutatum vidimus veterem psallendi ritum, et ut interim alios omittam, (multa enim passim narrantur hac de re) in Hispania tres proferre possum Ecclesias (quarum una est metropolis, duae cathedrales) nempe Caesaraugustanam, Tyrasonensem, Pallentinam. In quibus chori officium mutatum est tam in nocturno, quam in diurno officio: et adhuc refragante proprio Episcopo, Albaracinensis Ecclesia cathedralis, quae Secobricensi est conjuncta, eadem novitatis vestigia nuper imitata est. Quod ipsemet Secobricensis Episcopus Gaspar Borsa Tridenti nuper conquestus est .... Porro quod majore admiratione dignum est, hujusmodi proscriptiones* [breviarii veteris] *in ecclesiis superius explicatis, et novorum breviariorum editiones instar hujus Romani, citra auctoritatem summi Pontificis tentatae sunt*. Pergit narrare gravia scandala ex novo breviario orta, nominatim Caesaraugustae feria IV. in officio tenebrarum, et feria V. in coena Domini.

4. Capite X. probare conatur, Haereticos antiquos fuisse primos inventores officii trium lectionum, additque: *Extremo loco quidam viri boni, doctique, sed novitatis, ut apparet, nimium studiosi (de Quignonio enim viro optimo, ac religioso nihil sinistri suspicari libet) pio, ut creditur, zelo ... hunc ordinem invexerunt... Mox ad missalia innovanda, et deformanda potius, quam reformanda licentia haec excurrit. Quod feliciter successit, cum jam extent missalia ad instar hujus breviarii consarcinata*. De his missalibus instar breviarii Quignoniani explicatius agit cap. XI.. *Editusque est missalis liber juxta ritum*

rum (sic enim vocant) novi breviarii Romani (ita enim habet inscriptio) in quo plurima sunt mutata ... in officio namque missae in quatuor temporibus, in Sabbato sancto, et vigilia Pentecostes lectiones omnes, quibus hactenus semper usa est Ecclesia, expunctae sunt: unica sola lectione, seu epistola superstite. Adhuc etiam in aliis diebus non pauca mutata sunt... Excusa sunt hujusmodi missalia Lugduni 1550. *elegantibus characteribus*.

5. Quantum novitas breviarii Quignoniani placuerit, ex his missalibus arguitur, multisque verbis exaggerat Arzius eod. cap.. *Cum primum exorta est haec novitas, curatum est saltem verbo tenus, ut solis occupatissimis clericis liceret ad hunc modum psallere .... mox ad rudes, et otiosos clericos .... derivatum est hoc institutum. Ad monachos posthaec (quod dolendum est) pervenit, qui clam, et furtive insciis Praelatis propriis haec meditabantur. Quamvis hac in re (ut audio) diligentia suorum superiorum, et provida cura (cum imminens malum jam jam propius spectarent) sufficienter cautum est, ne amplius haec fiant, et quae facta sunt, penitus revocentur. Denique et Praelati (quod est omnium gravissimum) haec usurparunt: non sine scandalo piorum, et offendiculo subditorum. Tandem omnibus facta est copia recitandi juxta hunc morem. Qui initio Romam mittebant pro litteris Pontificiis, ut haec sibi licerent, mox per Legatos, et Nuncios Apostolicos coeptum est dispensari, extremo loco ad bullas, et indulgentias Pontificias res delata est. Quarum una est clausula, ut vocant, ut possit quis tali novo breviario uti ... Ut nihil hic dicam de corruptis nuper diurnalibus Romanis, qui instar breviarii novi editi sunt*.

6. Quod ab aliis male habitum fuerit breviarium novum, ex cap. XV. conficitur. *Dissidium Caesaraugustanum inter clerum, et populum occasione diminuti officii (quod vocant tenebrarum) noverunt Hispani omnes, et quod infremuerit populus in clerum: et eo relicto confugerint omnes ad monachos..... Adde, quod ridiculis ubique nominibus, et infamibus traducitur hoc breviarium in omnibus regionibus, quae ego honori illius parcens hic non adscribo. Nota enim sunt in Hispania nostra tria*,

aut quatuor epitheta, quibus infamatur, magno quorumdam risu, quorumdam vero indignatione. Jam cap. XVI. contra breviarium Quignonianum allegantur Joannes Matthaeus Episcopus Veronensis, qui in constitutionibus synodalibus talem ritum *in choro* induci prohibuit; ejus successor Aloysius Lippomanus, qui sui cleri Veronensis statum hac in re deplorabat, et in melius convertere studebat; Petrus Augustinus Episcopus Oscensis, qui in praefatione breviarii a se paulo ante recogniti cladem Romani, Caesaraugustanique breviarii lamentatus est, et conatus eorum, qui haec breviaria produxerant, retudit; Hieronymiani, et Franciscani, qui publico consilio a summo Pontifice impetraverant, ne ullus e suis Religiosis quacumque occasione, vel praetextu breviario novo uti posset.

7. Extremo loco, et capite XVIII. Arzius rationibus in utraque praefatione 1. et 2. editionis breviarii novi allatis fuse respondet. Et quamvis non neget, *quasdam historias in veteribus breviariis esse reformandas, quasdam etiam cultiori stylo exornandas*, tamen in hoc genere multa in novo breviario esse, quae sibi displiceant, animadvertit. Exempli loco: in prima editione sententia de triplici Magdalena *probabilior* dicebatur, quo verbo omisso in secunda editione eadem sententia expressa est simul cum altera de unica Magdalena. Arzius voluisset, hanc solam recitari. Theologi Parisienses eandem narrationem de triplici Magdalena in prima editione breviarii damnaverant, ceu tradit Ladvocatus *Vindic. Parthenic. p.*478., qui paulo ante plura verba ex censura Parisiensi transcribit circa horas quotidianas B. Virginis a Quignonio omissas, Cardinalem coarguens, quod cultum Deiparae imminuerit. At vero post breviarium Romanum a S. Pio V. restitutum, in quo lex recitandi horas quotidianas B. Virginis antiquata est, minime vituperandus est Quignonius, quod eis in suo breviario locum non dederit, quamvis illi, qui ante S. Pium V. scripserunt, hac ratione plerique breviarium novum impugnaverint. Quod autem Arzius post Parisienses

urget, in breviario novo non legi sacr. scripturam quibusdam diebus festis congruentem, id nonnullis hominibus piis, et doctis parvi faciendum esse videtur prae utilitate, quae ex integro codice bibliorum per anni spatium recitato permanaret. Bernardus Lamyus *Apparat. Biblic. lib.* 3. *cap.* 9. parum referre ait, hoc, an alio ordine sacra Scriptura legatur, dummodo tota annuo spatio legenda in breviario insereretur: tamen ex auctore pietate, et doctrina insigni, qui anno 1669. libellum elegantem typis Caroli Savreux edidit, novam methodum explicat, qua in breviario integer bibliorum codex, ut olim fiebat, sine ullius partis praetermissione posset recitari, quam methodo Quignoniana meliorem non judico.

8. Ex iis, qui in Hispania officii ecclesiastici novitatem induxerunt, Archiep. Turiasonensem Herculem Card. Gonzaga Arzius excusat, quod negotiis gravissimis implicatus aliorum suasionibus annuerit. Ex quo reformandus est Ciaconius cum Oldoino, apud quem de Hercule Gonzaga legitur: *Sub Paulo IV. Archiepiscopus Tarraconensis, seu Tyrasonensis, ut alii volunt, factus est*. Hercules Gonzaga multo ante Pauli IV. Pontificatum Archiepiscopus erat Tyrasonensis, seu Turiasonensis, nempe anno saltem 1541., si eo anno breviarium Turiasonense secundum ritum Cardinalis Quignones impressum est, quod narrat Alva in *Militia Conceptionis*; certe Archiepiscopus Turiasonensis erat, dum Arzius anno 1551. scriptionem suam conficeret. Petrus Augustinus, Episcopus Oscensis, quem pro se Arzius appellat, frater est celeberrimi Antonii Augustini. Hunc ipsum Antonium declamationem in Concilio Tridentino adversus breviarium Quignonii habuisse, quae Ms. cum aliis codicibus Ms. ejusdem in Bibliotheca collegii imperialis Matritensis asservabatur, ex Burrieli ad Ravagum epistola didici. Gregorius Mayans, qui diligentissime vitam Ant. Augustini litteris consignavit, eos Ms. codices extare nescivit, quibus certe editio Lucensis omnium operum Ant. Augustini potuisset nobilitari: etsi subvereor, ne Declamatio memorata sit oratio illa, quam Grancolas l. 1. c. 5. re-

fert Episcopum Ilerdensem Tridenti habuisse, *ut ostenderet, quantum interesset breviariorium, et ritualium emendatio*. In Praefatione breviarii Ilerdensis 1571. editi officia trium lectionum improbantur. Admonebo etiam, Thomam Cajetanum, *de cujus scandalo tollendo* Arzius nescio quid fuerat meditatus, videri esse Thomam de Vio Cajetanum. De auctore ipso hujus Consultationis nihil aliud novi nisi quod de se locis adductis commemorat: ex quibus liquet, diversum esse a Joanne Arze de Herrera Presbytero Dioecesis Pallentinae, qui Romae vivere desiit non 1540., ut pag.402. posui, sed 1590. ut habet Nic.Antonius, vel potius 1591., ut legitur in emendatiori inscriptione sepulchri in collectione hujusmodi monumentorum ad Hispanos spectantium, quam D.Petrus Eulogius de Castro prudenti, et utili consilio ex pluribus Urbis ecclesiis confecit, mihique nuperrime communicavit; nam ipsum sepulchrum inspicere frustra sum conatus. Inscriptio Nic. Antonii, *Joanni Arceo* etc. *Ferdinandi Magni, tunc Cardinalis, Auditori* corrigenda est hoc pacto: *Ferdinandi Magni Etruriae Ducis* jun. *Card. Auditori*. Stylum *Consultationis* verba inde extracta satis commendatura spero. De re ipsa si quaeras, quid senserim; auctor doctrina ecclesiastica abundat, splendide breviarium vetus, ejusque ordinem tuetur, sed in novo impugnando debilis est inter magnos clamores, rectiusque fecisset, si *Declamationem*, non *Consultationem*, inscripsisset.

§. IV.

Kalendarium primi Breviarii Quignoniani.

Quod Hieronymus Lagomarsinius *vol.2. Epistol. Pogiani in annot. ad hujus vitam* loco minus proprio fecit, et Zacharias *Biblioth. rit lib.1. cap.4. num.4.* imitatus est, ut festa in posterioribus editionibus breviarii Quignoniani admissa recenserent, id ego congruentius exequar circa breviarium primae editionis ipsis ignotum.

Januarius. Dies 1. Circumcisio Christi dup. maj. 2. Basilius episc. confes. 3. Antherus pap. mart. 4. Martina virg. mart. 5. Telesphorus p. m. 6. Epiphania d. ma. 7. Lucianus presbyt. m. 10. Paulus primus eremita. 11. Iginus p. m. 13. Hilarius e. c. 16. Marcellus p. m. 17. Antonius abbas d. min. 20. Fabianus, et Sebastianus mm. d. mi. 22. Vincentius, et Anastasius mm. 24. Timotheus e. m. 25. Conversio Pauli apost. d. ma. 26. Polycarpus e. m. 27. Joannes Chrysostomus e. c. 31. Metranus, Cointha, et Serapion mm.

21 Agnes, v.

Februarius. 1. Ignatius e. m. 2. Purificatio M. V. d. maj. 3. Blasius e. m. 4. Phileas e., et Philoromus m. 5. Agatha v. m. 18. Simeon e. m. 22. Cathedra Petri apost. d. ma. 24. Matthias apost. d. ma. 27. Julianus, et Eunus mm.

Martius. 3. Asterius m. 4. Lucius p. m. 7. Thomas Aquinas c. 9. Quadraginta milites mm. 12. Gregorius p. c. d. mi. 18. Alexander e. m. 19. Joseph c. d. mi. 21. Benedictus ab. d. mi. 25. Annunciatio M. V. d. ma. 28. Priscus, Malchus, et Alexander mm.

Aprilis. 4. Isidorus e. c. 6. Xystus p. m. 11. Leo p. m. 13. Justinus philos. m. 14. Valerianus, Tyburtius etc. mm. 18. Apollonius senat. m. 22. Cajus p. m. 25. Marcus evang. d. ma. 26. Cletus, et Marcellinus p. m.

Majus. Philippus, et Jacobus apostoli d. ma. 2. Athanasius e. c. 3. Inventio S. Crucis. d. ma. 4. Alexander p. m. 6. Joannes ante portam lat. d. mi. 14. Victor, et Corona mm. 19. Potentiana v. 25. Urbanus p. 30. Felix p. m.

Junius. 1. Pamphylus presbyt. 2. Marcellinus, et Petrus mm. 11. Barnabas ap. d. ma. 13. Antonius c. 18. Marcus et Marcellinus mm. 19. Gervasius, et Protasius mm. 24. Nativitas Joannis Baptistae d. ma. 26. Joannes, et Paulus mm. 28. Leo p. 29. Petrus et Paulus apostoli mm. d. ma. 30. Commemoratio Pauli d. mi.

Julius. 2. Visitatio V. Mariae ad Elisabeth d. ma. 11. Pius p. e. 13. Anacletus p. m. 14. Bonaventura Cardinalis. 18. Symphorosa cum septem filiis mm. 21. Praxedis v. 22. Maria

Magdalena d.mi.25. Jacobus ap. d. ma. 26. Anna mater Mariae V. d. mi. 29. Martha v.

Augustus. 1. Vincula S. Petri d. mi. 2. Stephanus m. 5. S. Maria ad nives d. ma. 6. Transfiguratio domini d. ma. 7. Dominicus c. d. mi. 8. Xystus II. p. m. 10. Laurentius m. d. mi. 12. Clara v. 15. Assumptio M. V. d. ma. 20 Bernardus ab. d. mi. 24. Bartholomaeus ap. d. ma. 26. Zepherinus p. c. 28. Augustinus e. c. d. mi. 29. Decollatio Joannis Baptistae d. maj.

September. 3. Seraphia v. m. 8. Nativitas M. V. d. ma. 9. Petrus, Dorotheus, et Gorg. mm. 14. Exaltatio S. Crucis d. ma. 15. Cornelius, et Cyprianus. 21. Matthaeus ap. et evang. d. ma. 22. Mauritius cum sociis mm. 23. Linus p. m. 27. Cosmas, et Damianus mm. 29. Michael Archangelus d. ma. 30. Hieronymus c. d. mi.

October. Franciscus c. d. mi. 7. Marcus p. c 9. Dionysius, Rusticus etc. mm. 14. Callistus p. m. 18. Lucas evang. d. ma. Ptolomaeus, et Lucius mm. 21. S. Hilarion ab. 26. Evaristus p. m. 28. Simeon, et Judas apostoli d. ma. 29. Marcellus m.

November. Festum omnium SS. d. ma. 9. Dedicatio Basilicae Petri, et Pauli d. min. 11. Martinus e. c. d. mi. 12. Martinus p. m. 19. Pontianus p. m. 21. Praesentatio M. V. d. ma. 22. Caecilia v. m. 23. Clemens p. m. 24. Chrysogonus m. 25. Catherina v. m. d. mi. 26. Petrus ep. m. 29. Saturninus, et Sisinnius mm. 30. Andreas ap. d. ma.

December. 2. Bibiana v. m. 6. Nicolaus, ep. c. d. mi. 7. Ambrosius e. c. d. mi. 8. Conceptio M. V. d. ma. 10. Melchiades p. m. 11. Damasus p. c. 13. Lucia v. m. d. min. 21. Thomas ap. d. ma. 25. Nativitas Domini d. ma. 26. Stephanus protomartyr. d. min. 27. Joannes evang. d. maj. 28. Innocentes mm. d. mi. 29. Thomas archiep. m. 31. Sylvester p. c.

In editionibus consequentibus alia festa ex his omissa sunt, alia nova addita. Octava in prima editione solum concedebatur festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assum-

ptionis et Nativitatis Mariae V., Nativitatis S. Joannis Baptistae, solemnitatis SS. Apostolorum Petri, et Pauli, et diei omnium SS.. Simplicior erat ratio recitandi octavas, adeoque infra octavam Assumptionis non dicitur in primo breviario lectio ex sermone sub S. Hieronymi nomine prolato ad Paulam etc., qua lectione Claudius Jolyus in Dissertatione de verbis Usuardi etc. suos adversarios convincere conatur. In editione secunda, aliisque posterioribus haec lectio, pluresque novae, necnon octavae multis festis adjunctae apparent. In primo breviario Quignonius admodum cautus in historiis sanctorum enarrandis erat, verbo *traditur* saepe usus, ut in lectione S. Marthae: *Quae navis, ut traditum est, velis, remis, clavoque spoliata mari committitur, ut omnes facto naufragio perirent*. In breviario recognito deest, *ut traditum est*. Ita etiam in lectione S. Dionysii 9. Octobris *traditur* mutatum est in *memoratur*. Neque ullo partium studio abreptus Quignonius id observabat: nam de S. Francisco Assisiate primum scripsit: *Oranti apparuisse memoratur Seraph crucifixus, qui in manibus et pedibus ipsius stigmata plagarum Christi mirabiliter impresserit... Cujus rei Nicolaus Papa III. publicis litteris testimonium praebuisse traditur*. Deinde breviarium recognoscens subrogavit: *Oranti apparuit Seraph crucifixus, qui in manibus et pedibus ipsius stigmata plagarum Christi mirabiliter impressit*. Omissis vero his de re historica mutationibus, forma primi breviarii expeditior erat, et simplicior ordine breviarii recogniti, adeo ut si alterutrum esset restituendum, mallem primum, quam secundum; fidemque libenter praestabo Cardinali Quignonio in praefatione breviarii recogniti affirmanti, breviarium nuper a se editum *graves plerosque, ac doctos viros ita probasse, et recepisse, ut nihil in eo mutandum existimarent*.

APPENDIX III.

Censura Hymnorum Santolii Victorini ex Libro MENAGIANA *inscripto extracta, et expensa.*

Scriptores Gallos in Santolii Victorini Hymnis celebrandis vix ullum modum tenuisse, qui eorum hac in re judicia legerit, facile sibi persuadebit, et argumento esse possunt, quae *in Dissertatione praevia ad Hymnodiam* §. *XXIX. num.* 167. *etc.* exposita sunt, et notata. Non defuerunt tamen, qui multa, eaque non levia, in hujusmodi hymnis animadvertenda censerent; quorum ego censuram proferre constitui, non quod laudibus Santolii quidquam detractum velim, sed ut, auditis, collatisque inter se diversis hominum ejusdem nationis sententiis, aequus rerum arbiter prudenter, et incorrupte judicet; tum etiam, ut quid fugiendum, sequendumve sit in hoc lucubrationum genere, facilius possit intelligi. Ac primum quidem mihi occurunt opera quaedam posthuma P. Joannis Commirii edita Parisiis 1704., in quibus sunt multi hymni, videlicet 12. in S. Martinum, 3. in S. Gildardum, 1. in S. Perfectum Cordubensem Martyrem, 8. in S. Ursulam, et Socias Virgines, ac Martyres, 1. in S. Liberatum, et Socios Martyres, 1. in S. Saturninum, 1. in S. Augustinum, 3. in S. Nicasium, 2. in Beatum Aloysium Gonzagam, 3. in S. Symphorianum, 1. in S. Maximum. Munditiex latini sermonis, et venustas, quae in reliquis Commirii operibus elucet, in hymnis maxime eminet; habita praeterea est diligenter ratio modulationis ecclesiasticae. Crederes, Commirium cum Santolio olim amico, tunc rivali, de palma poeseos hymnodicae certare voluisse. Nam ut ad id veniam, de quo proposui dicere, Commirius plura epigrammata adversus Santolium inter haec opera posthuma habet. Nihil ille quidem stylo Santolii objicit; nam eum antea plurimum laudaverat, vel

vel potius maximis laudibus a Santolio ornatus mutuum reddiderat. Nihilominus quoddam epigramma gallicum Nicolai Boelei Pratellii latinum fecit, in quo hymni Santolii dicuntur *ampullis graves*; suo vero nomine Commirius nihil fere nisi laesam a Santolio amicitiae fidem queritur. Ceterum Dominus de la Monnoye data opera, et severitate censoria omnes Victorini hymnos in examen revocavit. Tota ejus animadversio in noto opere, cui titulus est, *Menagiana, edit. Amstelodamens*. 1713.-1716. *tom*.3. *pag*.402. *etc.* inserta est. Censor usus est collectione hymnorum Paris. 1698. in 12. apud Dionysium Thierry: eandem ego prae manibus habeo.

1. In primo hymno, qui est auctoris anonymi, censor notat titulum, *Sacris pignoribus, vulgo sanctis Reliquiis*, quia simpliciter pro titulo rectius diceretur, *sanctis Reliquiis*, quam *Sacris pignoribus*.

2. Pag. 22. in hymno Joannis Baptistae Santevil Junioris reprehendit hunc versum: *Cum virgam quatiens imperat Aridae*, quod vox *Arida* pro *terra* non accipiatur, nisi in sacris litteris.

3. Pag. 173. in hymno Claudii Santevil in hoc versu: *Quam pio plangas Pater impiorum - Corde ruinam*, negat *Plangere* recte sumi active pro *lamentari* cum accusandi casu.

Reliqui omnes hujus Libri hymni auctorem habet Joannem Baptistam Santevil Seniorem, qui adscito *Santolii Victorini* nomine solet appellari, in quibus haec animadvertit censor.

4. Pag. 5. *Tormenta quae non horruit?* De S. Barbara, qui versus efficit, *un contre sens horrible*. Sed fortasse Santolius interrogationem non apposuit.

5. Pag. 5. *Frui sponso* pro *frui marito*, atque alibi *sponsa* pro *uxore*. De quo postea dicam.

6. Pag. 5. *Si prole non terras replent* pro *Si prole terras non replent*.

7. Pag. 6. *Vinclis ligant se mutuis - His conjuges liberrimi*. De Christo, ac S. Barbara. Haud recte dicitur; per *ea* vincula Christum esse liberum, neque a vinculis, quibus se mu-

tuo *ligant*, Christum, et S. Barbaram esse liberos.
8. Pag. 6. *Ad dulce nomen Barbarae - Vanos tremores ponimus*. Cur tremores *vani* dicuntur?
9. Pag. 10. *Substrahens*, et alibi *substrahe* pro *subtraho*.
10. Pag. 11. *Aestimas auri pretiosa damna*. Dici solet *parvi*, vel *magni aliquem aestimare*; non vero *aestimo hunc esse bonum virum*.
11. Pag. 11. *Sicque dotatus pudor immolandos-Servat honores*: pro *Et sic*; reprehenditur etiam locutio, *immolandos honores*.
12. Pag. 11. *Sic nos tenebras amare*. Ambiguum.
13. Pag. 11. *Cingere mitra* aliquem pro *cingere frontem*, caput, comas, tempora alicujus.
14. Pag. 16. *Per te, divus amor, frigida pectora - Puris ignibus ardeat* (lege *ardeant*) pro *dive amor*, vel *divum amorem*.
15. Pag. 20. *Virgo Dei puerpera*. *Puerpera* non regit casum gignendi, quamvis apud Vidam id reperiatur.
16. Pag. 20., et alibi *Coaevus*. Hoc vocabulum non coepit esse in usu nisi post, vel circa dimidiatum Seculum IV. Nam apud Ciceronem quod aliqui legunt *Coaevus*, legendum est *Coquus*, ut plures animadverterunt.
17. Pag. 25. *Vrgent ecce Rhemos gens fera Vandali*. Prima vocalis in *Rhemos* est longa. Santolius iterum eam corripuit pag. 188., produxit vero pag. 68.
18. Pag. 25. *Intrat templa Nicasius*. Prima vocalis in *Nicasius* est longa, secunda brevis.
19. Pag. 32. *Dicere*. In praesenti Passivo melius *diceris*. Nihilominus Terentius passim *videre* pro *videris* utitur.
20. Pag. 32. *In fervens olei conjicitur mare*. Audacter *mare olei* pro aheno. In sacra Scriptura haec metaphora adhibita est pro *vase amplo*: 3. *Reg. cap. 7. v. 23*.
21. Pag. 33. *Sacrae participes et socii necis - Discamusque mori*. Praepostera conjunctionis *que* trajectio, sive transpositio.
22. Pag. 34. *Et jugo Christi tibi poena major - Subdere gentes*. Perperam *poena* pro labore (peine,) quod saepe alias occurrit.

23. Pag.34. *Quos tu creasti, memor usque servas*. Non constat versus, nisi legatur *Quos creasti tu*; sed tunc abest nitor, et harmonia.

24. Pag.34., et 125. *Quem fides veri studiosa trinum - Credit et unum*. Vix alios concinniores versus in omnibus his hymnis reperias; sed fateri oportet, eos depromptos esse ex Sannazarii Hymnis.

25. Pag.36. *Te vocant flexi poplite supplices*. Melius, *flexo poplite*.

26. Pag.36. *Fuso tinctaque sanguine*. Vitiosa constructio.

27. Pag.42. *Eremus*. Vox parum latina.

28. Pag.45. *Nota Sulpiti pietas*. Primum *i* in *Sulpiti* est breve.

29. Pag.45. *Deerant tyranni*. Non est trisyllabum *deerant*, et, si aliquando fit, producitur primum *e*.

30. Pag.49. *Ruenti*. In ablativo absoluto dicitur *ruente*.

31. Pag.49. *Caelo non hominum quae posuit manus*. Pro *quae hominum manus non posuit*.

32. Pag.51. *Astra redire*, pro *redire ad astra*.

33. Pag.55. *Saule tendis quos in hostes*? Melior haec constructio, *Quos in hostes Saule tendis*?

34. Pag.55. *Insecutor*. Rejicitur hoc verbum Prudentianum.

35. Pag.56. *Addunt - Seque triumpho*. Incongrua trajectio conjunctionis *que*.

36. Pag.57., et 258. *Gliscit in mentem*, pro *venit in mentem*: *Gliscere* non est idem, ac gallicum *glisser*.

37. Pag.57. *O Genevenses*. Reprobantur nomina hujusmodi in *ensis*, praesertim longa, in hoc versuum genere.

38. Pag.57 *Tamdiu noctis gemitis sub umbra*, pro *dormitis*.

39. Pag. 59. *Nihil atque spiret* pro *atque nihil spiret*.

40. Pag.65. *Christum anhelantis*. Legendum, *Christumque anhelantis*, ut constet versus.

41. Pag.66. *Sit fas beato sub sene nos mori*. Rectius *cum sene*; sermo est de Simeone cantante, *Nunc dimittis*.

42. Pag.68. *Cupiunt doceri - Teque magistro*, pro *cupiuntque*.

43. Pag. 69. *Daemon ut cedat, jubet*. Longum est o in Daemon.

44. Pag. 70. *Plangere dolores*, pro *lamentari*.
45. Pag. 71. *Intras Pharos* pro *Pharon*.
46. Pag. 71. *Qui nos foves*, *laus*, *Spiritus*. Deest *tibi*.
47. Pag. 73. *Durusque pro throno lapis*. Latine non dicitur *thronus*, neque crux idonee vocatur *lapis*.
48. Pag. 74. *Nequae vacaret*, pro *nequa*.
49. Pag. 75. *Vel cujus attactu* pro *cujus vel attactu*.
50. Pag. 77. *Praeco*, absolute positus pro concionatore, rejicitur.
51. Pag. 78. (leg. 80.) *Nos infenso* (leg. *inoffenso*) *pede ducat astris* pro *ad astra*.
52. Pag. 81. *Quantis*, *et quibus suspiriis*, reprehenditur haec locutio prosaica.
53. Pag. 83. *Subdita proles*, pro *obsequens*.
54. Pag. 95. *Non deest*. Est monosyllabum *deest*. vide *num*. 29.
55. Pag. 96. *Indiges non hic ministris* pro *non indiges*.
56. Pag. 98. *Quodque fugisti*, *fugiant caduci* - *Culmen honoris*. Ineptum est precari, ut fideles fugiant culmen honoris, quod S. Caelestinus V. fugit.
57. Pag. 99., et 202. *Desertum* in singulari reprobatur.
58. Pag. 100. *Lux redit terris sacra Landerico*, *Lux Parisinae sacra semper urbi*. Variatur significatio verbi *sacra* in primo, et secundo versu.
59. Pag. 101. *Num suis dives satis est olympus* - *Incolis*? pro *Non*.
60. Pag. 109. *Assides conviva nobis* - *Ipse tu convivium*. Quo sensu Christus est *Conviva* nobis in Eucharistia?
61. Pag. 110. *Nos vides quam dissitos* pro *Quam vides nos*. *Dissitus* pro *remoto* non usurpatur.
62. Pag. 114. *Septimus mensis*, *neque claudet annus* - *Septimus aevum*. Deest unum *neque*.
63. Pag. 124. *Securis*. Prius dixerat fuisse *ensem*.
64. Pag. 125. *Victor exemplis animosiores* - *Fac tuis nostras*, *sociare palmas*. Improbatur syntaxis.
65. Pag. 126. *Rutilantem in auro* pro *rutilantem auro*.

66. Pag. 127. *Graviora ferro vulnera* pro *vulnera graviora iis*, quae ferrum infert.

67. Pag. 134. *Ut nos reducat*. Legendum, *ut reducat nos*. Vide supra num. 23.

68. Pag. 135. *Quod fit*. Prosae id convenit, non carmini.

69. Pag. 135. *Victricem Dei*, ambiguum.

70. Pag. 135. *Qui christiano gloriantur nomine-Athenae, flus, vincla captivos tenent*. Censor hoc loco ait: *L'Auteur s'est très-mal a propos imaginé je ne sais quelle élégance dan ses sortes de transpositions dont ses hymnes sont toutes pleines*.

71. Pag. 151. *Obstupendis*. Veteres dicunt *obstupescendis*.

72. Pag. 153. *Ingenito Patri* pro *non genito*.

73. Pag. 159. *Nil damnas temere, nil leviter probas*. Ultimum e in *temere* creditur breve ab auctore censurae ex versu in tragoed. Octaviae. *Nihil in propinquos temere constitui decet*.

74. Pag. 168. *Suprema laus sit Parenti*, legendum *Laus suprema sit Parenti*.

75. Pag. 168. *Remeare urbes* pro *ad urbes*.

76. Pag. 171. *Ire recessus* pro *ire ad recessus*, seu recessus petere, quod aptius dicitur.

77. Pag. 172. *Subigisque menti*. Perperam subigo cum dativo.

78. Pag. 176. *Regibus qui dat, repetitque regna*, pro *repetit a Regibus*.

79. Pag. 177. *Monte sub celso Sequanas ad oras*. Longum est a in *Sequana*, quamvis Ausonius corripuerit.

80. Pag. 179. *Invasor*, non est verbum latinum.

81. Pag. 179. *Ibat qui toties, dum furor impetit - Ferro Christiadas, erudiit mori*. Obscurum.

82. Pag. 183. *Lance pendis non severa-Luce functi crimina*, de S. Michaele, quasi is peccata supplicum dissimulet.

83. Pag. 184. *Nuncium*, neutrum non est, sed masculinum.

84. Pag. 188. *Nedum vir; impubes sed annos-Judicii gravitate vincit*. (leg. pensat.) pro *Impubes, nedum vir*, vel pro *Nondum vir; impubes sed annos - Judicii gravitate pensat*.

85. Pag. 196. *Sic renascenti cruciata poena - Corpora subdunt* pro *renascente poena*, et *subdunt* pro *subigunt*.
86. Pag. 197. *Nesciens solis* pro *nesciens solem*.
87. Pag. 198. *Sacris barbara gens, jam docilis regi - Christum fontibus induit*. Non recte exprimitur sensus.
88. Pag. 198. *Tres caelo simul advolant* pro *ad caelum*.
89. Pag. 200. *Clatra* pro *clathros*.
90. Pag. 203. *Si non vincla gravant manus* pro *gravent*.
91. Pag. 204 *Compita per*, absolute positum pro *per Compita*.
92. Pag. 204. *Viscera Martyris - Quando nuda patent, illius intimam - Rimeris penitus fidem*. Ridicula sententia, ac Momi propria. Damnantur quinque strophae paginae 203. ob vitium obscuritatis.
93. Pag. 209. *Accensae rutilant undique lampades, - Te praesente micant minus*. Frigide dictum.
94. Pag. 211. *Quae subduntur, et imperant*. Sine dativo *subdo* non significat *subjicio*.
95. Pag. 211. *De cathedra docent - Pleni numine Martyres*. - *Pensée burlesque* (ait censor) *burlesquement exprimée*.
96. Pag 214. *Qui flevere, serenus-Abstergit lacrymas Pater*. Deest *eis*, aut *his*.
97. Pag. 218. *Hoc luce functi spiritus-Tam triste munus exigunt*. Idem est *luce fungi*, ac *mori*, quod spiritibus non convenit.
98. Pag. 223. *Media tunica* pro *dimidia* tunica.
99. P. 224. *Turo*. Fit longum *u*, quod est breve.
100. P. 224 *Ora deformi dabat una virtus - Unde niteret*. Obscure.
101. Pag. 225. *Nec truci quamvis caput immolandum-Pro Dei causa posuit sub ense, - Martyris palmam retulit vel isto - Dignus honore*. De S. Martino Confessore, informis, et intricata constructio.
102. Pag. 229. *Valeriano sese addidit*. Legendum est, *se addidit: autrement* (ait auctor censurae) *il y avrà trop d'une syllabe pour le chant. Il est vrai, qu'il resterà encore deux inconveniens, la rudesse de l'élision: Valeriano* SE *addidit dans un vers*

qui se chante, e la seconde syllabe de Valeriano allongée.
103. Pag. 203. *Flammis aheno fervido-Pudica Virgo mergitur*, De S. Caecilia, quae non in *aere*, ut forte legit Santolius, sed *in aëre balnei sui* inclusa est ex Actis apud Baronium.
104. Pag. 232. *Divis invidiam facis*, neque catholice, neque latine.
105. Pag. 240. *Aperta non, euntibus-Addent moras pericula* pro *Aperta non addent moras - Euntibus pericula*.
106. Pag. 241. *Divina quae gessit homo*. Ponitur tertia sede choreus *gessit* pro iambo, vel spondaeo.
107. Pag. 244. *Confundisque tyrannum, - Dum, quos deprimit, elevas*. *Confundo* significat *misceo*, *elevo* plerumque *minuo*.
108. Pag. 256. *A quo magnanimae praelia sustinent - Spreto funere Virgines*; pro *cujus ope*, vel *per quem*.
Haec est censurae summa; nam quaedam leviora praeterii, vitia etiam Orthographiae, quae, ut ipse censor ait, *majori ex parte* imputanda sunt typographo. Qui Bailleti operi *de judiciis Sapientum* notas adjecit, scilicet idem met Bernardus Moneta, sive de la Monnoye hanc censuram opponit elogio, quo Bailletus *tom.* 4. *num.* 1549. Santolium prosequitur iisdem verbis, quae ex Dictionario Morerii attuli *in Dissertat. num.* 202. Annotator e contrario opinatur, animadversioni censoriae expositae difficulter responderi posse. Ac sane sunt multa a censore docte, periteque notata; sed in aliis plerique dissentient. Praetereo illa omnia, quae *meliora* fieri potuisse dicuntur: nam hoc pacto infinitus reprehendendi pateret campus. Trajectiones autem verborum, sive constructiones, quae duriores videntur, interdum in optimis auctoribus reperiuntur, ut in Catullo, *Mamurrae pathicoque, Caesarique*: et alibi: *expui tussim-Non immerenti quam mihi meus venter-Dum sumptuosas appeto, dedit, coenas*. Nihilominus frequentius id fit a Santolio, quam ut tolerari possit. Verum improbare non auderem n. 2. *Arida* pro *terra*, n. 3., et 44. *plangere* cum accusativo, n. 10. *aestimo* pro *existimo*, *puto*, n. 11. *Cingere mitra* aliquem pro *cingere caput* alicujus, n. 14. *divus amor* pro

dive amor, num. 15. *puerpera* cum Genitivo *Dei*, num. 16. *coaevus* pro *aequali*, num. 20. *fervens olei mare* pro *aheno pleno ferventis olei*; num. 77. *eremus*, num. 29 *deerant* trisyllabum cum primo *e* brevi, num. 34 *insecutor*, num. 37. *Genevenses*, num. 47. *thronus*, num. 48. *nequae* pro *nequa*, num. 57. *desertum* in singulari, num. 58. varietatem significationis vocis *sacra*, num. 65. *rutilantem in auro*, num. 71 *obstupendis*, num. 72. *ingenitus* pro *non genito*, num. 107. *confundis*; haec, inquam, aliaque similia censurae nota non inurerem. Etenim pleraeque voces indicatae ecclesiasticae sunt, et hymnis congruunt; aliae idonea veterum auctoritate defendi possunt, ut ex lexicis vulgatis apparet. Quod autem censor *maritus*, et *uxor* dici mallet num. 5. pro *sponsus*, et *sponsa*, contra ego haec verba ex Ecclesiae usu praeferam, et potius castigarem Santolium, dum ait de Christo, et S. Barbara, *Conjuges liberrimi*, et *Deo superba conjuge*. Praeterea *nuntium* neutrum pro *nuncius* num. 83. ex ipso Vossio *de Vitiis Sermon. lib.* 1. *cap.* 14., qui illud reprobat, non esse reprehendendum redarguitur, cum doctissimorum hominum contrariae sint sententiae. At in *temere* num. 13. quid est animadversione dignum? Nonne quamvis ultimum *e* breve esset, ob caesuram produci posset? In *protinus* ob caesuram *u* produci posse dixi pag. 324. in nota, ac pariter *o* in *illico* ob caesuram, et duas consonantes dictionis sequentis in sententia nonneminis, qui illud *o* semper esse breve scripsit, sed revera dubium mihi non est, quin sit commune. Quibusdam visus est vocalem brevem ob caesuram produxisse Lucretius lib. 1. v. 806., quamvis in eadem dictione consonans non succedat: *Imbribus, aut tabe nimborum arbusta vacillant*. Et Ovidius Amor. lib. 2. eleg. 12. *Terra ferax cerere, multoque feracior uvis*. Et Statius 3. Theb. *Effugiet, vix Oedipode fugiente timeret*. Nam quod Ricciolius part. 4. prosod. reg. 2. versum Virgilii Æneid. 12. allegat, *Me sinite, auferte metus, ego foedera faxo*, alii melius legunt, *Me sinite, atque auferte metus; ego foedera faxo*. Ita etiam versus Virgilii ab aliis productus ex Ciri, *Nec levis hoc facere*, ne-

neque enim pote cura subegit correctior legitur, *Nec levis hoc faceret, neque enim pote cura subegit*. Quamquam versum Lucretii similiter alii corrigunt, *Imbribus, aut tabi nimborum arbusta vacillent*, et alterum Ovidii, *Terra ferax cereris, multoque feracior uvae*. *Oedipode* potest dici ablativus primae declinationis graecae. Sane mihi non aliud exemplum pro Santolio occurrit praeter versum Virg. lib. 3. Æn. v. 164. *Dona dehinc auro gravia, sectoque elephanto*; ubi Servius notat: GRAVIA *finalitatis ratione producitur, sed satis aspere; nam in nullam desinit consonantem*. Quid quod ultimum *e* in *temere* longum esse auctores prosodiae vulgo tradunt? Aliis *temere* ex *temerarie* per contractionem factum videtur, aliis melius ex antiquo *temerus*, et utrolibet modo *e* postremum producendum est. In hac opinandi ratione tenendum est, aut versum Senecae, sive auctoris *Octaviae* corruptum esse, aut senarium iambicum aliquando apud Tragicos, uti saepe apud Comicos, quarta sede admittere spondaeum, quod nonnullis exemplis posset confirmari: etsi non probo, quod Ricciolius hunc ipsum versum, *Nihil in propinquos temere constitui decet* in exemplum adduxerit, ut in *temere* longum esse *e* postremum ostenderet, et facilius Santolium ob caesuram, quam alio modo, defendi posse existimo. Potiori jure censor castigare potuit stropham illam in hymno S. Quintini pag. 208. *Ne sacros cineres contigeris reus-Tardo poena sequax non pede deserit-Fossor diriguit; mors subito reum-Indignata praeoccupat*. Nam si mors pede non tardo deserit, nunquam consequitur reum; si *pede tardo* sequax non deserit, non *subito* eum consequitur, multoque minus *praeoccupat*, quamvis *indignata*.

Pariter non video, cur censor verba *invasor*, *dissitus*, pro *remoto*, atque alia hujus generis excludenda judicaverit, ac nonnulla, quae aeque, vel magis reprehensioni patent, praetermiserit, veluti *adytus* pro *adytum* pag. 30. *O sacros adytus!* et in festo Decollationis S. Joannis Baptistae *resecatum* pro *resecto*: *Illa vox crudo resecata ferro*. Certe aequior his non est animadversio circa verbum *glisco* pro gallico *glisser*, ut asse-

ritur num 36. . En duo illa loca, quae indicantur, pag. 57. *Gliscit in mentem meditantis illa - Quae beat Divos eadem voluptas*, pag. 258. *Non vana pompa seculi - Sensus fefellit, nec malis - Gliscens voluptas artibus - Virile pectus molliit*. Quaererem a censore, cur *glisco* his in versibus non possit habere significationem, qua gaudet in illo Virgilii, *Accenso gliscit violentia Turno*, aut in altero Statii Thebaid. 9. *Menti tumor, atque audacia gliscit*? Nec dubium est, quin ita sit accipiendum illud, *malis gliscens voluptas artibus*, quidquid sit de gallico *glisser*, et de *gliscit in mentem*.

Ne vero putet aliquis, me Santolii peccata defendere, ut meis patrocinium quaeram, dicam ingenue, mihi etiam illius hymnos oculis neque lynceis, neque lividis percurrenti quaedam displicuisse praeter alia vitia, quae in *Menagianis* recte observata fuisse monui. Ac primum in festo S. Joannis Evangelistae pag. 30. fit breve *u* in *duco*; *A quo vita ducit, principium petis, - Et primordia luminis*. Simile est illud in festo S. Antonii Abbatis pag. 42. *Ut nitens plumis sine labe puris - Ne sui perdat labe quid nitoris - Transvolat nubes, humilesque terras - Deserit ales*. Longum est *a* in *labes*, ut in primo versu cernitur, sed cur fit breve in altero? immo quid eo loco significat *labe*? Sed majori fortasse reprehensione dignae sunt sententiae quaedam duriores, metaphorae audaces, et indecorae. De S. Barbara pag. 4. *Deo superba conjuge*. Quid enim est *superbus*, nisi arrogans, insolens, imperiosus, elatus, inflatus, non ferendus, se efferens, spe, atque animo inflatus, asper, difficilis, gravis, qui fastidio, et contumacia effertur? De Christo Domino pag. 88. *Caelestis en Rex curiae - Ut monstret ad caelum viam - Secumque ducat exules - Se sponte fecit exulem*. Non placet, *exulem* a caelo dici Dei Filium, qui beata Patris visione semper fuerit perfruitus. Pag 92. *Crux* vocatur lectus, in quo nos parit Christus: *Tu lectus, in quo nos parit*; et pag. 187. *torus*, et ibidem *Lancea*, quia aperuit latus, obstetrix: *Per te salutis, lancea, largius - Fluxere fontes, quando Dei latus - Praegnantis obstetrix recludis - Sacrilega famulante dextra*.

Abbas Guyotus Desfontaines *tom. 7. observ. de scriptis recen. pag.* 7. criminationem depellit nescio a quo oblatam contra hanc Santolii stropham : *Inscripta saxo lex vetus - Praecepta, non vires dabat, - Inscripta cordi lex nova, - Quidquid jubet, dat exequi* . Santolium erroribus suo tempore in Gallia disseminatis favisse aliqui jactarunt, quamvis non defuerint, qui affirmaverint, illum eum esse, qui ne intelligere quidem nascentem haeresim potuerit. In illa certe stropha nihil mali subesse puto ; sed non propterea omnia, quae in Santolii hymnis referuntur, libenti animo excipiam, quidquid sit de auctoritate, quam hymnis Santolianis conciliare possunt tot breviaria Gallicana, quae eos adoptarunt, et a Guyoto recensentur, nempe Aurelianense an. 1693., Saniciense an. 1700., Lexoviense an. 1704., Narbonense 1709., Meldense 1713., Andegavense eodem tempore, Trecense 1719., Aniciense, et Antisiodorense 1726., Rothomagense 1728., Nivernense 1729., Claromontanum eodem anno. Nam ut ab omni censura abstineam, dura mihi videtur sententia illa de Christo patiente pag. 75. *Clamore magno dum Patrem - Sibi relictus invocat - Cum morte luctantem Deum - Non audit ille, vix Pater*. Dum aliquis breviariorum Galliae laudator benignam interpretationem his verbis quaerit, ego potius credam Filium Dei a Patre, (quem nunquam *vix Patrem* appellabo,) in cruce non solum auditum, sed etiam exauditum fuisse pro sua reverentia, ita intelligens locum Apostoli cap. 5. ad Hebr. ver. 7.. *Qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Quod autem cap. 27. Matth. v. 46, *Circa horam nonam clamavit Iesus voce magna, Eli Eli lamma sabacthani*, cum SS. Patribus, qui a Calmeto indicantur, interpretabor, quod *Salvator non pro se, sed pro membris suis exclamavit*. Gravis etiam pro Santolio videri posset auctoritas Patris Bourdaloue, si neque ipse fuisset Gallus, et in poesi aeque, ac in concionibus insignis extitisset. Is *in epistola gallica ad Santolium Victorinum tom. 2.*

operum hujus edit. Paris. 1729. nimis magnifice asseruit, optare se, ut omnes hymni breviarii Romani e Santolii officina prodirent. Equidem si bene novi ingenia Romanorum, et universe Italorum, non credo, eos opinioni Bourdalouii esse subscripturos, ne Hispanos meos in hujus invidiae partem adducam.

Pergo ad alia. Displicet nonnihil, quod dicatur pag. 12. in hymno S. Nicolai: *Ipse dux facti Deus insolentis*, quamvis variam *insolentis* significationem non ignorem. Neque probo versus illos pag. 21. de Virgine Deipara: *Quam celsa! quae se deprimens - Altum Tonantem deprimis*; *- In te, sui jam non memor, - Descendit e caelo Deus*. Neque item illos de Iesu Christo in Eucharistia pag. 109, *Ipse factus es pusillus, - Pauper, exul, indigens.* Cur autem Crucem Domini sic alloquar; *Manus Tonantis quae ligabas - Semper eris pretiosa torques*? Ita lego pag. 187.. Placida vero caeli gaudia non exprimerem hoc pacto: *Pontifex terris rapitur Salesus, - Festa dum caeli fremit aula plausu*. Nihil dico de cognomine *Salesus*, quod in hymnis non esse inserendum docui *num.* 199. *Dissertat*; in quam sententiam facere videntur decreta S. Rit. Congregationis 22. Dec. 1624; et 23. Junii 1736.. Santolius vero *Salesi* nomen gentile ter intrusit. Id autem minus est reprehendendum, cum ad hanc legem Santolius non attenderit, aut ea se astringere noluerit. Sed quod in synaloephas et ecthlipses non raro incidit, vix dignus est venia, cum ei propositum fuerit modulis ecclesiasticis consulere. Hoc idem vitium Carolo Coffin scriptori Gallo objici potest, qui professus, se hymnos partim denuo condere, partim recognoscere antiquos, quos *idoneis Ecclesiae cantui numeris alligaret*, saepe elisiones duriusculas admittit, ut pag. 41. *Reges pompa alios*, alibi *Subdere amant*. Coffinus Santolio clarior est, et doctior. Nuper illius hymnos vidi inter volumina miscellanea in 12. Bibliothecae Marefuschiae hoc titulo: *Hymni sacri, Auctore Carolo Coffin, Ant. Universitatis Parisiensis Rectore, Collegii Dormano - Bellovaci Gymnasiarcha. Parisiis* 1736.. Passim, etiam

aliud agens, in novos hymnorum correctores incurro, quo magis reprehensiones quorumdam eludere licet, qui novum, inauditumque facinus esse putant, de veterum hymnorum vitiis in latiis, musicisque numeris verba facere, sive quod ignari sint, quid rerum in republica litteraria gestum fuerit, sive quod inter carminum dotes antiquitatem reponant, quasi *meliora dies*, *ut vina*, *poemata* redderet. Redeo ad sententias Santolianas.

Falsum partim est, partim puerile, quod in obitu S. Landerici asseritur, et interrogatur pag. 101. *Pauperes lugent, lacrymisque turbant - Gaudia caeli. - Num suis dives satis est olympus-Incolis? terras spoliare cesset.* Nec verius est illud pag. 130. *Nil fecit, et nil pertulit - Homo Deus, te nescio*, de S. Jacobo Majori nuncupato. Illud etiam de S. Cajetano pag. 140. *Praedicent Regem, Dominumque mundi - Praedicent justum; Gaetane, cunctis - Providum terris tibi praedicare - Convenit uni.* Nec sibi cohaeret Santolius paulo infra eundem S. Cajetanum alloquens: *Te canam sanctis similem Prophetis-Quosque provisor Deus educabat.* De S. Caecilia pag. 231. haec noto: *Ter percussa sua de nece fortior - Ter Virgo meruit mori.* Sed neque *ter*, neque *semel* mori Virgo *meruit*, et non nisi *semel mortua est*: in cujus Actis apud Laderchium non lego, *in aëre*, aut *aere balnei*, sed *flammis balnearibus . . . calore balnei*. De SS. Apostolis haec habentur pag. 236. *Haec nempe plena lumine - Tu vasa frangi praecipis, - Lux inde magna rumpitur, - Ceu nube scissa fulgura.* Fortasse Santolius alludere voluit ad Gedeonis factum cap. 7. Judic. v. 17. et seqq.. *Divisitque trecentos viros in tres partes, et dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum ... coeperunt buccinis clangere, et complodere inter se lagenas. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaveruntque: Gladius Domini, et Gedeonis.* Sed quid est lucem *rumpi*, vasis confractis? Displicet tum sententia, tum locutio; quemadmodum illa metaphora, sive allegoria de SS.

Martyribus p. 245. *Acti procellis omnibus-Sui cruoris flumine-Vehuntur, et Christo duce-Portus beatos occupant*. Alterius generis est, quod de S. Caelestino V. affirmatur p. 97. *triplici corona-Frons timet cingi*, et pag. 98. *Fleverat quando triplici tiara-Vidit ornatam radiare frontem*. Bonifacius VIII., qui Caelestino V. successit, tiara *duplici* primus usus est, quam postea Urbanus V. *triplicem* fecit. Denique animadvertendum est, Santolium, cum edita est Parisiis collectio ejus hymnorum, agnovisse errorem quemdam suum pag. 241. *Divina quae gessit homo*, ubi tertio loco admisit choreum; sed in calce paginae hanc notationem adjunxisse: *Sic peccasse gloriabor, ut pietati consulam*. Hanc excusationem non accipient, qui attendant, eum vehementissime declamasse contra *pinguem avorum gentem*, quibus eadem excusatio pietatis non profuit, *Dissert. num.* 167. Haec fere habui, quae censurae *Managiani operis* adjicerem. Verum cum nihil ex omni parte sit beatum, ut ait optimus poeseos magister: *Ubi plura nitent in carmine, non ego paucis-Offendar maculis, quas aut incuria fudit, Aut humana parum cavit natura*. Sed Galli de suo Santolio praestabiliorem opinionem haberi volunt, quorum judicium eo magis faciendum esse videtur, quia jam diu in breviariis novis adornandis, refingendisque maximo conatu, et industria laborant. Tot nova breviaria hoc seculo in Gallia prodierunt, tot opuscula, et Dissertationes de officiis singularibus, de precibus horariis universe, de litaniis, hymnisque recentibus Deiparae in *Mercurio gallico*, in *Diario Dinouartii*, in *Bibliotheca rituali Zachariae* indicantur, ut possit aliquis subvereri, ne in Galliis, ut feminae novas vestium formas, ita Sacerdotes nova breviaria quotannis inveniant, in quibus vel sola novitas placeat. Sed quod dicere coeperam, hymni Santolii plerisque Gallis etiam post animadversionem censoriam, quam excussi, adeo arrident, ut nova versio gallica in lucem venerit Parisiis 1760., interprete Domino Poupin, quam Trivultiani *eodem anno pag. 666. mense Martio* annunciant, asserentes ad hanc partem officii ecclesiastici perficiendam divini-

rus concessum fuisse Santolium. Equidem existimo, hujusmodi laudes immodieas fuisse perstrictas a Dinouartio, quem iidem Trivultiani referunt *anno* 1759 *Sept. pag.* 2302. promisisse editionem novam hymnorum Santolii ex autographo ipsius quasdam correctiones continente. In hac editione patefaciendae erant quaedam varietates, et mutationes, quae in nonnullis breviariis evenerant, ut cantui consuleretur, praemittenda etiam; *la notice historique de ce grand Poete fort mal peint iusqu' ici, e plus defigurè, qu' embelli dans ses portraits*. Nam Dinouartium non omnia in Santolii hymnis probasse observavi in *Dissertatione praevia num.* 204. Sane siquid in poesi, praesertim latina, vident Itali, (vident autem, ut quidam eorum sibi arrogant, longe acutius, quam reliqui omnes, ut ego ultro assentior, non minus, quam ceteri) fateri necesse est, Santolium in primo poetarum ordine non esse collocandum. Nam cum optimos quosque poetas non indiligenter sibi undique comparent, atque adeo denuo excudant, Santolii Hymnos Romae neque in Bibliotheca Casanatensi, neque in Barberina, neque in Corsinia, neque in Alexandrina, neque in Passioneia ad Angelicam translata, neque in Marefuschia, quae nunc sub hasta est, quarum utraque scriptoribus Santolii amicis abundat, mihi reperire contigit, ac vix tandem eos nactus sum in Bibliotheca Collegii Romani. Ubi autem poetas recentes, quos post antiquos legere, et imitari liceat, recensent, Santolium nusquam laudatum memini. Sed Galli, opinor, non indigent plausoribus, qui ipsis domi, ut ajunt, nascuntur.



IN-

INDEX PARAGRAPHORUM DISSERTATIONIS.

INDEX

INDEX HYMNORUM.

INDEX RERUM, ET NOMINUM.

B

C

D

M

Petru-

ERRATA CORRIGENDA

Pagina	Versu	
38.	6.	Philosophorum
57.	30.	*es*
Ibid.	31.	inquisitiones Januarii
64.	20.	seculum XII.
152.	1.	desiit
157.	25.	Origenis
189.	4.	sentiam
190.	5.	*invenies*
225.	28., et 29.	*immaculatae*. *sermone*
231.	31.	*caelestis*
268.	25.	loco
282.	5., et 6.	Daemonum. precatus
285.	21.	caedes
317.	17.	dele punctum.
349.	6.	*Ad matutinum*
Ibid.	17.	callenti
383.	9.	aliter
400.	35.	conticescerent
445.	5.	tempore

PONTIFICATV · D · N · PII · SEXTI · ANNO · XII ·

SALVATOR · BOMBELLIVS

CVRATOR · OFFICINAE · LIBRARIAE · SALOMONIANAE

INCHOAVI · OPVS · EIDIBVS · MAIS

ABSOLVI · PRID · NATAL · VIRGINIS · GENETRICIS

ANNO CIↃIↃCCLXXXVI.

REGNANTE · IN · HISPANIA · KAROLO · III · P · F · AVG ·

ET · PER · OMNIA · CATHOLICO ·





